PETRI RIBADENEIRAE

E S. I.

DE RATIONE

INSTITUTI SOCIETATIS IESU

EX HISPANO IN LATINUM CONVERSA

A P. LAURENTIO CARLI

EX EADEM SOCIETATE

ALMA COLLEGE
060115
LIBRARY
R352
Alma, California

ROMAE
TYPIS *CIVILITATIS CATHOLICAE*
MDCCCLXIV.

24310

J 3460
57

PATRIBUS FRATRIBUSQUE IN CHRISTO CARISSIMIS

SOCIETATIS IESU

PERPETUAM IN EODEM IESU SALUTEM

Magna quaelibet et nova, Patres et Fratres in Domino optatissimi, admirationem pariunt; admiratio vero, ut Philosophus ait [1], causa est, cur homines illud cognitione assequi studeant, quod cognitum dubietatem admirationemque ex eorum animis amoveat. Mirum igitur non est hoc fieri solere, ut, quoties providentissimus Deus suppetias Ecclesiae suae mittit novum aliquem Religiosorum Ordinem forma vivendi distinctum ac diversum a ceteris iam in eadem Ecclesia exsistentibus, excitetur in omnium pectoribus curiositas ac studium cognoscendi, cuius naturae sit Institutum, quod recens prodiit. Quod sane studium non videtur esse reprehendendum: naturale enim homini

1 Metaphys. L. I. c. 2.

5

est abdita rerum velle detegere, eaque cogitatione complecti. Sed illorum enimvero reprehendendus est mos, qui rem aliquam nec ante exploratam, nec rite perspectam audacter notant ac improbant, nulla alia ad eam improbandam ratione adducti, nisi quod nova sit, et a veteri consuetudine remota.

Ea tempestate, qua s. Athanasius Romam venit afferens secum commentarium, in quo vitam et gesta magni Antonii abbatis conscripserat, fuere multi ex romanis equitibus, qui illud attente perlegerent atque eo successu, ut tanto exemplo incitati mundanis illecebris omnibus abdicatis monachalem saccum induerent, ut testatur s. Hieronymus epistola 16 : ubi [1] sanctam Marcellam collaudat eo quod prima fuerit, quae novum vitae genus aggressa esset, ceterisque exemplo praeisset. Verum non defuere alii, homines scilicet voluptarii ac molles, qui rationem vivendi adeo suae contrariam detestati, in eam invehi, palamque dicere coeperunt huiusmodi novitatem tolerandam non esse, Monachosque tamquam novarum rerum studiosos ex urbe esse amandandos.

S. Augustinus [2], qui Monachos in Africam induxerat, eisque monasteria aedificarat, exagitatus ob id fuit a Donatistis dictitantibus, otiosos et nullius usus homines esse, quibus domicilium praebebatur. Sed alia

1 Edit. Vallarsi, ep. 127 ad Principiam.
2 Contra litt. Petil. Lib. III. c. 40.

fuit irarum causa. Cum enim Donatistae haeretici essent et Religionis hostes, Monachorum caelestes mores perferre non poterant. Verum quia Dominus ipse familias monasticas tamquam vineas electas in Ecclesia sua plantaverat, non solum ab adversariorum conatibus eas vindicavit, sed gratiarum suarum copia ita auxit ac foecundavit, ut pulcherrimos virtutum omnium fructus ederent, Ecclesiaeque essent praesidio et ornamento, quemadmodum in earum annalibus memoriae proditum est.

Constitutis iam Religionibus Monachorum ss. Basilii, Benedicti, Bernardi, Carthusianorum, aliorumque, qui divinarum rerum mediationi operam dabant, instituit Deus ac misit Ordines Mendicantes sanctorum Dominici et Francisci, aliosque; qui vitae sanctitate, doctrina, praedicatione animarum curam susciperent, improbitatem ubique debacchantem compescerent, Ecclesiamque multis undique cinctam periculis liberarent. Et quoniam istorum vitae institutum non parum a Monachorum regula ac disciplina abludebat, factum est, istiusmodi novitas admirationem in multis excitaret, in aliquibus etiam indignationem: qui propterea Mendicantes Ordines acriter insectari coeperunt; palamque tum disputationibus, tum concionibus, tum libellis in lucem editis affirmabant, talium Ordinum institutionem christianae reipublicae perniciosam esse, aut saltem valde suspiciosam. Et eo res processerunt, ut necessarium esse putaverit Apostolica Se-

des temerarios homines auctoritate sua comprimere, Religionesque, quas ipsa approbarat, tueri; et sanctissimi clarissimique doctores Thomas Aquinas et Bonaventura obviam fieri omnium Religionum ac virtutum hostibus, eorumque tela perfringere: quod sane fecerunt, atque ea eruditione, prudentia, rationum pondere fecerunt, ut cumulatam de adversariis vel potius tartareis monstris victoriam reportarent. Nec a foris solummodo prodiere homines, qui vel errore decepti vel improbitate compulsi nova Religionum instituta cavillationibus calumniisque appetere auderent, sed intus et in ipsis Religionum visceribus aliqui extitere, qui, animo fortasse non iniquo, difficultates proponerent circa intellectum ac observantiam regulae, quam profitebantur, contentionesque excitarent; et cum ipsi quieti non essent, nec alios quiescere paterentur. Quae res causa fuit, ut ad discordias omnes sedandas summi Pontifices rationem ipsi inierint declarandi interpretandique regulas, quae in controversiam venerant: sicque factum esse legimus [1] a Nicolao III, Clemente V, Ioanne XXII super regula seraphici Patriarchae Francisci, ut videre est in eorum Apostolicis Constitutionibus et Extravagantibus. Atque in universum affirmare possumus, omnium Religionum initia oppositionibus non caruisse, atque ad eas amo-

1 In sexto, cap. *Exiit qui seminat;* et Clement. *Exivit de paradiso*; et Extravag. *Quorundam.*

vendas necesse fuisse, ut Instituti, quod impugnabatur, ratio redderetur, resque explicarentur, quae quamquam per se evidentissime paterent, aliquibus tamen caecutientibus subobscurae videbantur. Quam suorum Ordinum regulas explicandi provinciam cepere s. Thomas in aliquibus suorum opusculorum, quae sunt septimum decimum, duodevicesimum, et undevicesimum; et s. Bonaventura in expositione Regulae sancti Francisci Parentis sui [1]; tum in tractatu quem exaravit ad quaestiones nonnullas resolvendas. Et in eo quidem tractatu monet, dubia quaedam occurrere ad regulas sui Ordinis spectantia, quibus accurate satisfaciendum erat; ut qui de iis praeiudicata opinione minus recte sentirent, intelligerent tandem, quam prudenter ac sancte earum observantia exigeretur, quamque non licitae solum essent, sed necessariae etiam ac praemio dignae. Etenim opera Dei, ait idem sanctus, licet in se castissima sint et plane admirabilia, tamen nisi probe percipiantur, atque eo sensu, quem revera habent, explicentur, occasionem simplicibus ac insipientibus suppeditare solent turbarum atque offensionum.

Iam cum Religio nostrae minimae Societatis Iesu multis partibus differat a ceteris religiosis Ordinibus (etsi in iis conveniat, quae Religionis essentiam constituunt), mirum non est, eas attentionem multorum

1 In prol. eiusdem tit.

ad se vocare: qui tamen inquirere negligentes, quam bene cum ratione, antiquitate, doctrina Sanctorum praedictae partes cohaereant, quamque ad finem, quem eadem Societas respicit, accommodatae sint, eas improbant, divexant, insolentesque ac absurde excogitatas arbitrantur.

Huiusmodi acerrimorum censorum partim Haeretici sunt pestilentesque homines, et Religionum omnium hostes, illarum praesertim, quae eorum insaniae maxime resistunt. Sed de iis nihil est, cur hic agamus: obtrectationes enim et iniuriae a tali hominum genere illatae in laudis gloriacque partem habendae sunt. Aliud eorum genus est, qui quamquam nomine Catholici, eorum tamen vita ac mores a catholicae professionis sanctitate maximopere abhorrent. Neque enim satis habent vitiis indulgere, sed iis adeo delectantur, ut maximo odio prosequantur, probris onerent, calumniis petant Religiosos, qui dexteram benigne porrigentes vellent e foedissimo coeno eos educere, in quo prostrati iacent. Haec cum ita sint, nisi eorum affectus ad sanitatem, gratia Dei opitulante, redeant, necesse est, ut eorumdem intellectus tanta tenebrarum nube obductus, per innumeras errorum ambages oberret atque implicetur. In hos aptissime quadrant, quae sanctus Cyprianus in aliam rem protulit: « Viderint qui « vel furori suo vel libidini servientes, et divinae le- « gis ac sanctitatis immemores, vel iactitare interim « gestiunt, quae probare non possunt: et cum inno-

« centiam destruere, atque expugnare non valeant, « satis habent fama mendaci et falso rumore maculas « inspergere [1]. »

Tertium genus, reliquis fortasse numerosius, eorum est, qui quidquid audiunt, facillime credunt, et levitate animi etiam maiore audita iactant in vulgus: quin etiam nulla indagandae veritatis cura adhibita temere condemnant, quae non cognoscunt, putantque stultissimi homines id esse malum, quod esse bonum prorsus ignorant. Sed quid de Religiosis iis sentiendum, qui Institutum suum adeo diligunt, vitaeque formam a se susceptam tanti aestimant, ut quidquid in aliis Religionibus deprehendunt non convenire cum regulis suis, id, tamquam suspiciosam mercem reiiciant, velintque compari modulo disparia Dei opera dimetiri? Quemadmodum Religiosis istis merita laus tribuenda est propterea quod contenti vocatione propria vivant, et quod gratissimo sensu afficiantur erga Deum Dominum nostrum pro beneficio, quo eos vocavit ad talem Religionem, quam censent sibi salutique suae maxime expedire; sic non omni errore vacare putandi sunt in eo, quod res aliorum Ordinum condemnant ideo, quia cum suis non congruunt. Etenim, ut Apostolus praecipit [2]: « Is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non

1 Epist. 42.
2 Rom. XIV. 3.

iudicet » , videant qui aliter sentiunt ac faciunt, ne velint gratiam Dei coarctare, quae, ut docet Apostolus s. Petrus [1] , varia est ac multiformis.

Nocendi artes, quas Satanas adhibet, multae sunt, multoque inter se diversae. Alias agit palam, atque aperta vi opera Dei destruere conatur; alias, ut Apostolus [2] loquitur, Angelum lucis mentitur, et Religionis specie Religionem aggreditur gravissimo Religionis eiusdem detrimento. Hoc autem praestat instigando Religiosos aliquos, qui pietatis zelique obtentu Religiosos alterius Ordinis qua voce, qua scriptis conturbent obliti nimirum, eos quos conturbant, fratres esse, commilitonesque et administros eiusdem ducis ac domini; obliti etiam rem facere pessimam, et pessimi apud fideles exempli. Sane Religiosi , qui sic et unde minus deceret vexantur, oblivisci non possunt, quae olim dixit doctor Ecclesiae maximus s. Hieronymus ad Asellam scribens adversus eos, qui sanctae Paulae ac Melaniae obtrectabant propterea quod, paterna domo et ingenti asse relictis , Iesu Christi nuditatem et crucem amplexae fuerant : « Si gentiles hanc vitam « carperent, si iudaei, haberent solatium non placendi « eis, quibus displicet Christus : nunc vero, proh ne- « fas, homines christiani praetermissa domorum sua- « rum cura, et proprii oculi trabe neglecta, in alieno

1 I Petr. IV. 10.
2 II Cor. XI. 14.

« oculo festucam quaerunt, lacerant sanctum propo-
« situm 1. »

Quae cum ita se habeant, visum est mihi sapientissimorum Doctorum quos modo nominavi, sanctorum scilicet Thomae ac Bonaventurae vestigiis insistere, et quamquam ab utroque ratione spiritus, doctrinae, prudentiae longissimo distem intervallo, tractationem etiam ipsum instituere, in qua ad trutinam veritatis exigam nonnullas Religionis nostrae Constitutiones, quas aliqui valide oppugnant ignari videlicet causarum, quare eas observari Societas iusserit. Spero equidem, infinita Domini bonitate fretus, me illud esse conseculturum, ut omnes qui attente et animo ab inordinatis affectionibus vacuo scripta haec legerint, persuadeant sibi, quae nova et insolita nunc videntur, antiqua fuisse, et in Ecclesia Dei priscis temporibus usurpata; finemque Religionis nostrae esse excellentissimum, et praesidia ad illum consequendum maxime convenientia. Tali modo qui imprudentes nostrarum rerum ignarique male de iis existimant, in errore versatos esse fatebuntur: qui vero scientes ac dolo malo Constitutionibus nostris maledicunt, hi ab iniquo incoepto absistent et erubescent, si modo sciant erubescere: insuper Deo, cuius opus haud dubie Societas est, tamquam auctori istius ac vindici, gloria atque honor conquiretur: boni denique male-

1 Epist. 99. Edit. Vallarsi, ep. 45.

volorum foedas calumnias deprehendentes diligent profecto impensius, quod ratione, antiquitate, doctrina, auctoritate, usu sanctorum Patrum ac magistrorum Religionum omnium comprobatum commendatumque esse cognoverint.

Quamquam quae modo dixi, nec unicum nec praecipuum sunt huiusce mei tractatus propositum. Praecipuum propositum vos estis, Patres ac Fratres Societatis nostrae in Christo Iesu dilectissimi. Et ideo quo facilius ad vos tam longe lateque dispersos hoc proprium vestrum ac domesticum opus perveniret, curavi, ut typis mandaretur. Nam summo afficior desiderio, quando Deo placuit pro sua unice benignitate vocare nos ad tam praecellens ac sanctum Institutum profitendum, nobisque in ducem, parentem, magistrum praeficere beatum Ignatium, summo, inquam, desiderio afficior, ut huiusce Instituti praestantiam perfectionemque assequamur, ac caelestes illustrationes, quas beatus Parens habuit ad hoc conficiendum, cognoscamus. Hoc modo gratiam vocationis nostrae longe pluris aestimabimus, et gratos esse pro tanto bono enitemur. Atque ut tales simus, nihil potius habebimus, quam ut diu meditemur, rite intelligamus, exacte observemus Constitutiones nostras, earumque spiritum ac veritatem alte animo imbibamus; adeo ut de earumdem sanctitate non ipsi solum certi simus, sed certos etiam faciamus alienos et extraneos difficultates eorum expediendo, dubia resolvendo, et ve-

ritatis luce nebulas dissipando, quas inscitia aut malignitas certorum hominum Instituto nostro inducere conatur.

Hunc autem laborem a me potius quam ab aliis suscipiendum esse putavi propterea, quia videbar maiori ipse obligatione detineri, quam alii. Ipse enim religiosae vitae tempore omnes anteco, quotquot nunc in universa Societate degunt (quod quidem dicens rubore suffundor, spectata animae meae infirmitate inopiaque virtutum). Ipse praeterea a puero usque velut in sinu eductus sum beati nostri Parentis, primusque fui, quem idem Parens, postquam Constitutiones nostras mente conceperat, in iis describendis adhiberet. Ad haec, quinquagesimus iam se circumegit annus, ex quo in Belgium ab eodem beato Ignatio missus sum cum hoc mandato, ut sociis Institutum nostrum explanarem: diplomaque, quod mihi dedit, adhuc teneo, in quo ait, se huiusmodi officium commisisse mihi, utpote qui suam mentem nossem, ususque ac mores Societatis nostrae compertos haberem. Quare nemo erit, credo, qui meae aetatis et experientiae tot annorum spatio acquisitae ratione habita mirabitur, me nunc senem litteris velle id consignare, quod adolescens iussus sum a Parente nostro Ignatio voce explicare tunc cum eius mentem, in Belgio, ut dixi, commorans aperirem, Institutique nostri rationem redderem.

Quod etiam ut maiore animo aggrediar, facit Claudius Aquaviva Societatis nunc Praepositus Generalis,

qui lecto una cum Patribus Assistentibus hoc meo tractatu, mihi significavit, se velle omnino, ut hunc cum omnibus Nostris communicarem, et, quo commodius fieret, typis imprimi curarem. Ad orationis stylum coloremque quod attinet, hic profecto non idem esse poterit, ac ille, quem in aliis iam editis operibus servavi. Cum enim materies, de qua hic loquimur, controversa sit, et e scholastico quasi penu deprompta, dictio etiam scholastica, hoc est simplex omnique ornamento nuda esse oportet; ut et verba cum sententiis conveniant, et dicendi forma ad materiam, de qua dicitur sic aptetur, quemadmodum ad personae qualitatem vestimenti dignitas accommodatur. Nec tamen consilium est ad omnes respondere quaestiones, quae de nostro Instituto fieri fortasse possent (esset enim seges nimis ampla, nec necessaria, operaeve pretio digna): sed tantummodo praecipua quaedam gravioraque capita perpendere ac declarare, quae sapientium etiam hominum animum dubium facere possint.

Denique omnium nostrum deprecationes, reverendi Patres, et Fratres animo meo carissimi, ad eum convertantur, cui omnia Instituta Religionesque omnes originem suam, vitam, spiritum, tutelam, conservationem, incrementum accepta referre debent; ut, quod hactenus fecit, tueri pergat hanc minimam Societatem nostram, nosque tam optimae parentis progeniem gratiarum suarum copia cumulet; ut et nos ipsi quam

merito a nobis expectat, servitutem fidelissime deferamus, et ipse tum ob cetera, quae agit, tum ob paternam providentiam, qua hanc nostram reliquasque Religiones fovet atque gubernat, gloria ac laude cumulatissime ab omnibus afficiatur.

Ex hoc nostro Collegio Matritensi, anno Domini MDCV, IV. Calend. Iun., quinquagesima a Paschate die.

Petrus Ribadeneira

Quae sedulo advertenda sunt ante operis tractationem.

Antequam ea diluamus, quae Societati nostrae obiiciuntur, visum est nonnulla statuere veluti operis fundamenta; quae quidem et magna luce perfundent ea, quae tractaturi sumus, et validas contra adversariorum argumenta rationes suppeditabunt.

Primum omnium illud animadvertamus oportet, Deum ac Dominum nostrum, qui admirabili prorsus providentia Ecclesiam suam tueri ac gubernare non desinit, diversas pro temporum necessitate religiosorum hominum familias excitare solere, quae laboranti Ecclesiae succurrant, ea tamen ratione succurant, qualem proprium uniuscuiusque Institutum postulat. Hinc sequitur, ut, si finem praecipuum consideremus, quem religiosi Ordines spectant, caritatis videlicet perfectionem divinaeque gloriae propagationem, hic finis profecto communis sit universis Ordinibus, cum universi in hunc mire consentiant: et ex hac parte

non multi neque diversi, sed unus idemque Ordo censendus sit. Si vero attendamus finibus cuiusque peculiaribus, qui quidem viam veluti muniunt ad illum generalem nobilissimumque assequendum, ii procul dubio diversi sunt, et vocationi Dei alia ab aliis Fundatoribus exposcentis respondentes. Iam vero divinae huiusmodi vocationi religiosae familiae attendere debent, hac tamen aequissima lege, ut quaeque suae vocationi inserviat, suae obtemperet, suam diligat, non vero ut in aliorum vocationibus se immisceat, aut eas in iudicium adducere et reprehendere audeat, si quae forte in aliis reperiat, quae cum sua minime consonant.

Hanc rem, quam primo loco adnotandam censuimus, gravissimo sermone persequitur s. Bernardus, atque haec inter alia habet: « Cur igitur Ordinem damnare putor?... An forte quia iuxta alium Ordinem « conversari videor, propterea suspectus hinc habeor? « Sed eadem ratione et vos nostro derogatis quicumque aliter vivitis. Ergo et continentes et coniuges « invicem se damnare putentur, quod suis quique legibus in Ecclesia conversentur. Monachi quoque ac « regulares clerici sibi invicem derogare dicantur, « quia propriis ab invicem observantiis separantur 1.»

Sic ille, multaque insuper addit exempla ad rem melius explanandam confirmandamque. Tandem ita

1 In Apolog. ad Gulielm. abbatem, capp. 2. 3. 4.

concludit: « Quid ergo? Cisterciensis sum. Damno « igitur Cluniacenses? Absit; sed diligo, sed praedi- « co, sed magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum « non tenes, si sic laudas? Audi; propter hoc quod « Apostolus 1 ait. Unusquisque in ea vocatione, in qua « vocatus est, permaneat. » Et paullo inferius: « Deni- « que requiratur a me etiam, cur, cum omnes Ordines « laudem, omnes non teneo? Laudo enim omnes, et « diligo, ubicumque iuste et pie vivitur in Ecclesia, « unum opere teneo, ceteros charitate. Faciet autem « charitas, fidenter loquor, ut ne illorum quidem fru- « ctu frauder, quorum Instituta non sequor. »

Secundum monitum ex primo veluti sua sponte dimanans in eo positum est, quod ad dignoscendum, num alicuius Religionis leges bonae sint et salutares, minime explorare debemus, utrum cum legibus aliarum Religionum congruant et conveniant, sed utrum apte conducant scopo peculiari illius Religionis, quae norma est, ad quam praedictae leges se accommodare et componere debent. Etenim, ut ante diximus, Deus et pro temporum varietate varios in vineam suam operarios immittit, et pro hostium genere novis pugnatorum delectibus militantem Ecclesiam instruit, iisque ad praelianda praelia Domini arma suppeditat non eadem, sed quae necessitas postulat. Hinc videre licet Religiosorum phalanges multimodis sane armatas. Aliis

1 I. Cor. VII. 20.

enim pro armatura silentium corporisque afflictationes assignata sunt, aliis oratio et contemplatio, aliis sacrarum litterarum scientia, et verbi Dei praedicatio, aliis alia, pro temporum locorumque conditione; ut quaeque iis armis, quae a summo Imperatore Deo accepit, pugnas conserat, Christique sponsam Ecclesiam tueatur.

Quemadmodum ergo in humana militia fieri videmus, ut nec statarius miles velites contemnat, nec eques peditem, nec ballistarius funditorem; quin immo ut concorditer vivant, se invicem adiuvent, cohortentur, laudent, quamvis diversis armis utantur, diversisque muneribus fungantur: sic in spirituali militia inter religiosos Ordines, qui in admirabili plane Ecclesiae exercitu sunt validissimae acies, maximam fas est vigere animorum concordiam, mutuum auxilium, mutuam existimationem. Nec sane apparet, cur armorum discrimen, dissimilisque pugnandi ratio dissensionem et contemptum pariat, cum potius amorem et concordiam alere debeat. Nam ad commune bellum gerendum et ad proterendos multiformes Ecclesiae hostes haec armorum dissimilitudo, dissimilisque praeliandi modus necessaria omnino sunt. Itaque ne plus aequo in hac re immoremur, cum finis proprius, quem sibi singulae Religiones proponunt, sine controversia honestus et sanctus sit, illud unice considerandum esse videtur, utrum idonea an inepta sint adiumenta, quae unaquaeque ad hunc finem suum obtinendum si-

bi adscivit atque optavit. Etenim ex huiusmodi consideratione arguitur eorumdem bonitas aut pravitas, commendatio vel reprehensio. Atque, ut ait s. Thomas [1], quo maior est finis excellentia, et *mediorum ad finem proportio*, eo etiam maior dicenda est religiosi Ordinis praestantia.

Tertium monitum finem respicit Societatis nostrae. Qui quidem finis qualis sit, Paulus Papa III et Iulius Papa itidem III in Bullis [2], quibus Societatem Iesu confirmarunt, hisce verbis luculenter declarant: « Qui- « cumque in Societate nostra... vult sub crucis vexillo « Deo militare,... proponat sibi in animo, se partem es- « se Societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad fidei « defensionem et propagationem, et profectum anima- « rum in vita et doctrina christiana, per publicas prae- « dicationes, lectiones, et aliud quodcumque verbi Dei « ministerium ac spiritualia exercitia, puerorum ac « rudium in Christianismo institutionem, Christi fide- « lium in confessionibus audiendis ac ceteris sacra- « mentis administrandis spiritualem consolationem « praecipue intendat; et nihilominus ad dissidentium « reconciliationem et eorum, qui in carceribus vel in « hospitalibus inveniuntur, piam subventionem et mi- « nisterium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei

1 2. 2. q. 188. art. 6; et opusc. 19. contr. impugn. Relig. c. 1.

2 *Regimini militantis Ecclesiae*, et *Exposcit debitum.... cui Nos*.

« gloriam et commune bonum expedire visum erit, « exequenda. »

Gregorius vero Papa XIII in Constitutione 1, quam dedit anno salut. MDLXXXIV, sic ait: « Cuius prae- « cipuus finis est religionis defensio ac propagatio, « animarumque in christiana vita et doctrina profectus; « gratiae quoque eius vocationis est proprium diversa « orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, seu Prae- « positi Generalis eiusdem Societatis directione pera- « grare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi « salvandarum sua opera animarum copiosior proven- « tus ad Dei gloriam speratur. »

Ex hisce verbis satis liquet, finem Societatis in eo verti, ut ipsa fidem ab Haereticorum telis defendat, eamque inter Ethnicos diffundat; insuper ut Christianorum mores emendet coeloque dignos efficiat; idque obtineat tot tantorumque ministeriorum ope, quot et quanta Bullas supra memoratas legentibus occurrunt. Exinde sequitur ut, cum sermo erit de muneribus, quae Societas exercet, atque exercere pro sua vocatione debet, triplex hic finis in memoriam revocandus sit; et pacato ac aequo animo perpendendum, num illa idonea et convenientia sint tum ad vindicandam, tum ad disseminandam fidem, tum denique ad Fidelium mores corrigendos tanta temporum, quae nunc sunt, corruptela depravatos.

1 *Ascendente Domino*, §. 5.

Quartum monitum est, probabile admodum et vero proximum esse, Deum corporum religiosorum Conditoribus magistrum se praebere, eosque sedulo edocere de ratione, qua in quolibet corpore exhiberi sibi servitium exoptat. Quod si haec sententia minus alicui probatur, illud pro certo tenendum est, Deum Fundatorum oculis ea saltem subiicere atque detegere, quae sunt veluti fundamentum et nervi illius Instituti, quod ipsi divino Numine afflati condiderunt: ut hac divini luminis face illustrati certi sint id facere, quod Dei voluntati plane consonum est. Nam cum religiosi quique conventus inventum sint divinae sapientiae, quippe quos Deus principaliter instituit, inspiravit, fieri iussit, concludere pronum est, Deum ipsum dedisse more sapientissimi architecti exemplar et formam, qua iidem rite componerentur, simulque modum declaravisse, quo ei placeret, ut qui in aliquem ex hisce conventibus adlegeretur, Maiestati divinae famularetur. Sine hoc benignissimi numinis magisterio homo sibi relictus nunquam id sola naturalis ingenii vi praestare potuisset. Verum quidem est, Deum solere plura Fundatorum aliorumque moderatorum prudentiae statuenda permittere; ea tamen solere permittere, quae levia sint, et tanquam externa religiosi corporis lineamenta, non vero quae illius essentiam, vitalesque partes constituant. Haec sunt, ut dixi, unius providentissimi Dei inventum et opus: uni Deo proinde referenda sunt, non humano consilio tribuenda.

Non desunt exempla, quae dicta nostra manifeste comprobant. Memoriae proditum est, Pacomium accepisse ab Angelo regulam, quam sui asseclae observarent. Et de s. Benedicto haec refert s. Bernardus: Fuit « divina magis inspiratione atque consilio, quam « humana prudentia, vel adinventione formatus 1. »

Quin sanctus doctor eadem de se narrare poterat: siquidem in eius vita litterarum memoriae consignata haec legimus: « Haec fuit in tempore illo sub abbate « Bernardo et magisterio eius in clarissima et caris- « sima valle illa spiritualium schola studiorum, hic « fervor regularis disciplinae, omnia eo faciente et or- « dinante et tabernaculum Deo in terris aedificante, « secundum exemplar, quod ei in monte ostensum « est, cum in solitudine cisterciensi cum Deo in nube « habitaret 2. »

Memorabile etiam et ad rem nostram mirifice faciens illud est, quod de beato Francisco Assisinate accepimus. Cum beatus Patriarcha in montium recessus latebrasque se recepisset, ibi XL dies, tamquam alius Moses, immoraturus ea mente, ut regulas Instituti sui Deo adspirante exararet; factum est, ut ex suis discipulis nescio qui beatum Parentem convenirent, et libero prorsus sermone utentes dicerent: regulam, quam ipse

1 Declamation. de verbis: *Ecce nos reliquimus omnia*, §. 45.

2 Lib. I. c. 8.

animum induxerat proponere suis observandam, nimis asperam esse et intolerandam, humanaeque imbecillitatis vires longe excedentem. Nondum ea loqui desierant, cum vox de coelo delapsa est, quae in hanc sententiam clare insonuit: «Francisce, exploratum habeant omnes, quidquid in hac regula continetur, id totum esse meum, nihil esse tuum; proinde me velle, ut omnia, quae in ea imperantur, sancte et accurate custodiantur. Nec aliquis humanarum virium infirmitatem obiiciat. Scio enim et quid homo per se, et quid gratiae meae praesidio firmatus praestare valeat. » Quare idem beatus Dei famulus nihil a veritate alienum pronuntiavit, cum Honorio Papae III dicere non dubitaret, nullam in sua regula non modo sententiam, sed ne verbum quidem contineri, quod suum esset: omnia, etiam minutissima quaeque, a Patre luminum accepisse, Deoque dictante scripsisse. Quae de Patriarchis diximus, quos nuper memoravimus, eadem possemus de aliis, deque eorum Constitutionibus dicere. Et ad beatum Patrem nostrum Ignatium quod spectat, scimus, eum, cum Instituti sui leges digeret, familiari Caelitum consuetudine usum esse, multaque divinitus hausisse, atque ea praesertim, quae corporis a se constituendi forma et spiritus essent. Idque puto me satis superque ostendisse in commentario vitae, quem edidi, dulcissimi Parentis mei. Praeterea constat ex Brevi Gregorii XIII, incipiente: *Quanto fructuosius*.... in quo perspicue dicitur, beatum Ignatium

miris Spiritus Sancti illustrationibus affectum fuisse, eique ab eodem divinissimo Spiritu archetypum propositum fuisse, secundum quod Institutum suum exprimeret conformaretque.

Quintum monitum est, tamdiu Religionem quamlibet duraturam esse, nec statu suo casuram, quamdiu perseveret in iis potissimum servandis, quae Instituti sui veluti nervi et robora habenda sunt. Nec aliter res esse potest. Nam in confesso apud omnes est, Religiosorum quodvis Sodalitium a Deo tanquam a primario Parente proficisci, atque illi pulcherrima haec manuum suarum opera carissima esse. Hinc naturale est consequi, huiusmodi Sodalitia Deo summopere cordi esse, Deum eorum conservationi studiosissime consulere, a Deo multiplici charismatum supellectile ditari, validisque subsidiis communiri : hac tamen conditione servata, ut ea in proposito et instituto vitae persistant, quod primitus acceperunt, nec ab illa indole et spiritu degenerent, quem Deus eorum singulis insevit. Quod si, praedicta conditione neglecta, homines in opera, quae Dei solius sunt, iniicere manus temerario ausu praesumant ; eaque mutare et ad ingenii sui commenta traducere, quid mirum, si Deus haec non iam manuum suarum opera, sed vanorum hominum deliramenta reiiciat, tueri desinat, dissolvi et corruere permittat ? Religiosi omnes qualescumque sint, putent sibi etiam dicta illa Domini verba : « Haec est via, « ambulate in ea, et non declinabitis neque ad dexte-

« ram neque ad sinistram [1] », et « fac secundum « exemplar, quod tibi in monte monstratum est [2] », et « attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Sa- « ram, quae peperit vos [3]. »

Parentes hoc loco ad imitationem nobis propositi ii sunt, qui nos in Christo genuerunt, quique hominum Societates coegerunt, ut essent gens sancta, populus Dei electus, divinaeque Maiestatis servitio impensiore animi affectu se manciparent. Itaque si talium Parentum progenies esse gloriamur, hoc curemus in primis, ut eorum imperata faciamus, exempla sectemur, imaginem referamus, rectum Deoque acceptum existimantes quidquid amantissimi Patres filiis carissimis praeceperunt; fallax contra periculique plenum quidquid eorum praescriptionibus saltem solidioribus adversatur. Iure igitur s. Bernardus acriter coarguit Religiosos nonnullos, qui paternarum traditionum obliti, aliam vivendi rationem inierant, his verbis: « Sic « Macarius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius « instituit? Sic Patres in Aegypto conversati sunt? Sic « denique sancti Odo, Maïolus, Odilo, Hugo, quos se « sui utique Ordinis principes et praeceptores habere « gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt [4]?»

1 Ex Deuter. V. 32. 33.
2 Exod. XXV. 40.
3 Isai. LI. 2.
4 In Apolog. ad Guill. ab. §. 23.

Gregorius porro XIV in Constitutione quae incipit: *Ecclesiae catholicae* . . . necessitatem mordicus retinendi ordinationes, quas Religionum Conditores reliquerunt, gravissimis hisce verbis inculcat: « Et quo-
« niam neque tranquillitati, neque firmitati huiusmodi
« Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum Insti-
« tuta firmiter inconcussa serventur, iisdemque modis
« feliciter progrediantur et crescant, quibus a Funda-
« toribus, Domino inspirante, atque hac sancta Sede
« approbante, primum fundati sunt; necessarium du-
« ximus ea, quae ab Ignatio huius Ordinis Fundatore
« ordinata, et a praedecessoribus nostris Romanis Pon-
« tificibus circa eiusdem Societatis Institutum san-
« cita sunt, apostolicae firmitatis munimine denuo ro-
« borare ».

Sextum monitum est, unam Apostolicam Sedem esse veluti lapidem lydium, quo indice probatur, utrum Religio aliqua aurum mundum sit, an non: hoc est, utrum donum sit providentissimi Numinis Ecclesiae suae ad tutelam concessum, an humanae civilisque sagacitatis inventio. Et sane quod Apostolicae Sedis auctoritati ius competat Ordines religiosos examinandi, approbandi, confirmandi, aperte declaravit in Lateranensi Concilio Innocentius III, qui definivit et sanxit, nullam nec esse nec vocari posse Religionem, quae a Christi Vicario in terris approbata non fuerit. Quod quidem iustissime sancitum esse, nemo sanus, credo, inficias ibit. Nam cum Apostolica Sedes causas

quasque maioris momenti ad tribunal suum revocet, aequitati maxime consentaneum erat, ut Religionum approbandarum ius sibi uni vindicaret reservaretque, quum haec causa inter gravissimas et maxime necessarias accensenda sit. Quid enim aliud est Religionem approbare, quam Christi fidelibus vivendi regulam proponere, qua quicumque uterentur, non modo tutum aeternae salutis iter ingrederentur, verum etiam perfectionem vitae sanctitatemque breviori tramite consequerentur? Atque ex hoc ratio etiam elicitur, cur Apostolica Sedes in Religione qualicumque approbanda falli non potest; propterea quod si falli posset, perniciosissimum illud incommodum accideret, ut Christifideles, qui Apostolicae Sedis iudicio freti tutum aeternae salutis iter terere putabant, periculum aeternae condemnationis adirent. Quod certe vel suspicari solummodo, summopere ut moderate dicam temerarium esset: siquidem haec suspicio non mediocriter laederet Maiestatem divinam; perinde quasi Deus parum provide Ecclesiae suae consuleret.

Septimum monitum est, eamdem Apostolicam Sedem, cuius solius est, ut diximus, Religiones adprobare, adprobavisse, quemadmodum ceteras, ita etiam Religionem Societatis Iesu, et Constitutiones, quibus eadem innititur: idque fecisse tanto auctoritatis pondere tantaque amplitudine, quantis antehac Religiones alias stabilivit. Atque ut incipiam a Paulo III, quem nostri Ordinis Conditorem et Parentem vere nomina-

mus, ipse anno Christ. MDXL primus Societatem confirmavit, amplissimisque beneficiis auxit. Cuius exemplum secuti sui successores in Societate tuenda, promovenda, privilegiis ornanda, laudibus decoranda propensissimis studiis concertarunt; ut videre licet in Bullis Litterisque Apostolicis, quas hic, ut medear satietati lectorum, referre abstinebo. Obiter tamen liceat commemorare Gregorios duos XIII et XIV: quorum alter Constitutionem tulit perpetuam et extravagantem, in qua totum Societatis Institutum explicat, confirmat, defendit ab eorum telis, quos inscitia aut odium ad illud oppugnandum impulerat: alter Constitutionem pariter publicavit eo consilio, ut nonnullorum audaciam confringeret, quos temeraria lubido incesserat Societatis Institutum ad futile ingenium suum accommodandi.

Octavum monitum, duorum praecedentium additamentum maxime adnotandum, sic se habet. In sententia vel de Societatis rebus vel alterius Ordinis ferenda norma, quam in primis sequi debemus, est ius peculiare et proprium illis ab Apostolica Sede concessum, non est ius aliarum Religionum commune. Nec iniusta apparere potest istiusmodi norma consideranti, Sedem Apostolicam universi iuris ecclesiastici et positivi fontem esse, arbitram, magistram; summamque proinde in ea potestatem inesse cum ecclesiasticas leges condendi, tum ab iisdem solvendi. Hoc autem posito, si quis, de religiosis summatim Ordinibus ad in-

quirendum accedens, iudicium suum ad normam confingeret iuris antiqui, vi cuius, ut uno exemplo utar, Episcoporum gubernationi subiiciuntur; ius vero novum, quo ab eadem potestate eximuntur, plane negligeret, is profecto a veritate longe aberraret. Sed non minus a veritatis semita aberrat, qui in aliquam particulatim Religionem inquirens, quam Summis Pontificibus placuit privilegiis donare, legibusque exsolvere, quibus ceterae Religiones tenentur, quaestionem postremo definit non secundum ius istius peculiare et proprium, ut par esset, sed secundum ius aliarum Religionum commune, quod minime deceret. Quapropter hoc fixum in causa maneat. Qui religiosi cuiuspiam Ordinis rectus aestimator esse velit, eum consulere oportet ius proprium illius Ordinis, hoc prae oculis habere: aliter periculum est, ne sine hoc filo per multas errorum ambages circumagatur.

Ceterum quemadmodum remotioribus aetatibus (id quod supra innuimus) factum est, ut Summi Pontifices ab Episcoporum iurisdictione Religiosorum coetus liberarent, veterique iure abrogato novum ius statuerent. Sic postea Pontificibus, qui successerunt, placuit de ipso iure novo derogare, privilegiaque et immunitates certis Ordinibus concedere, quae pro sapientia sua concedenda esse censuerunt. Neque id cuipiam mirum, multo minus iniustum videri debet. Siquidem eadem auctoritas, eadem potestatis plenitudo eadem a Spiritu

Sancto directa gubernatio, ut primas illas, sic has postremas ordinationes decrevit et sanxit.

Ex his quae diximus, necessario consequitur, Societatem Iesu, cui Romanorum Pontificum indulgentia maturaque deliberatione, non pauca impertita sunt privilegia, quibus aliae Religiones carent, in iis quidem haudquaquam iure communi, sed omnino iure suo proprio iudicandam esse: in iis contra rebus, quibus immunis non est, et quas proinde cum aliis Religiosis communes habet, eodem modulo demetiendam esse, quo ceterae Religiones. Nam et ipsa Religio est, legibusque obtemperare tenetur, quibus soluta non est. Propterea Gregorius XIII nonnullos coercens, qui hoc tam necessario discrimine neglecto, Societatem ad iuris communis rationem exigere volebant, haec notatu dignissima protulit in Constitutione *Ascendente Domino* [1]: « Disputantes et praedicta in dubium revocantes, « omniaque ex aliorum Ordinum communibus ratio- « nibus, formis ac statutis metientes Societatis In- « stitutum, peculiares Constitutiones ac vim votorum « simplicium illius, a Sede Apostolica in eadem So- « cietatis Religione probata admissorum penitus igno- « rantes, ac nonnulla iure antiquo, quae post illud « successu temporum huius Sedis auctoritate, appro- « batione et confirmatione ac peculiaribus privilegiis « sancita et roborata esse dignoscuntur, perperam in- « terpretantes, convellere nituntur etc. »

1 §. 18.

Nonum monitum est, Societatem Religionem quidem esse, sed Religionem Clericorum Regularium, non vero fratrum Coenobitarum, ut Tridentina Synodus [1], Summique Pontifices semel et iterum in suis Bullis declararunt. Nam, ut scite animadvertit s. Thomas [2], illa est vocarique debet Clericorum Religio, quae ad hunc praecipue finem instituta est, ut ministeria exerceat Clericorum propria, et quae sine clericali ordine exerceri non possunt. Iam vero quod talis sit Societatis finis, docuimus paulo ante, cum de scopo, quem spectat in agendo Societas, sermonem habebimus. Diximus enim, Societatem in eo totam versari, ut Confessiones Fidelium audiat, sacras conciones ad populum habeat, Catholicorum mores castiget, Haereticos ad Christi ovile reducat, Idololatras e Daemonis servitute vindicet. Quae quidem apostolica munia Clericorum esse propria per se, non Monachorum, nemo, qui rem pacato animo perpendat, negabit. Quamquam non ita unice Clericorum esse contendo, ut aliquando etiam a Monachis exerceri non valeant. Sed nemo non videt, aliud esse aliquod munus ex intima status et officii necessitate exerceri, aliud exerceri obiter et, ut dicunt, per transennam. Hinc patet, nostrum Institutum, nostras Constitutiones, nostramque vivendi formam ad clericalis Ordinis normam accommodatam esse oportere; ad Coenobitarum nec oportere nec pos-

1 Sess. XXV. cap. 16.

2 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2.m

se. Verumtamen, qua Religiosi sumus, regulas observare debemus saltem eas, quae religiosi status sunt veluti columen, quaeque ad omnes indistincte Religiones pertinent. Idcirco non Clerici solum, sed Clerici Regulares sumus et nominamur. Patet praeterea quanto in errore versentur omnes illi, qui, praeiudicata opinione ducti, acerbe carpunt nonnullas Societatis Constitutiones, propterea quod videantur sibi novae, singulares, et ab aliarum Religionum legibus alienae. Nimirum censores isti discrimen immensum, quod Societatem inter et alios Ordines intercedit, investigare negligentes sententiam falsitate plenam pronunciant.

Decimum monitum est, Clericorum Religionem longe antiquissimam esse omnium, quae post evangelicam legem promulgatam extiterunt: quippe quae primordia ducat ab ipso Christo Domino, qui vivus adhuc et spirans in terris eam fundavit [1], primosque Parentes nuncupet sanctos Apostolos, qui vestigiis fidelissime

1 Christum instituisse statum Religionis secundum se et quoad substantiam docent omnes Patres, qui explicant Christi consilia. Ex graecis, Dionysius areopag. cap. 6 eccles. hierarch.; Origenes in cap. XV ad Rom., et homil. 9 in Iosue; Chrysostomus homil. 8 de poenit., et 17 ad pop.; Nazianzenus oratio I in Iulianum; Basilius lib. de virginit.; Athanasius lib. de humanitate Verbi; Epiphanius haeres. 48; Eusebius lib. 1 demonstr. evang. c. 8. Ex latinis, Hieronymus lib. 1 in Iovin., et lib. contra Vigil.; Augustinus de sancta virg. c. 24. 30. 44. 45; Ambrosius lib. de viduis; Gregorius moral. lib. 15. c. 9; Cyprianus de habitu virginum; Beda et

insistentes divini sui Magistri ad prodigium pauperis, casti, obedientis, voto se obstrinxere paupertatem, castitatem, obedientiam perpetuo et sancte observare, ut docet s. Thomas 1.

Apostolos exceperunt primi discipuli, ut ait s. Augustinus 2 et Waldensis 3: quibus Fideles bene multi adhaeserunt, sociosque vitae et disciplinae se tradiderunt. Ita ab hisce principiis, tanquam a fontibus flumina, vel a seminibus arbores, sacrae omnes Religiones profectae sunt. Atque idipsum luculentius comproba-

Anselmus in illud Matth. XIX *sunt eunuchi;* deinde Thomas 2. 2. q. 88. a. 4.; Paludanus in 4. d. 38. q. 1. definit. 5. conclus. 2 et 3; et ex recentioribus Castro contr. haeres. verb. votum; Turrianus lib. 5. pro epistolis Pontif. c. 2; Bellarminus lib. 2. de monach. c. 9.; Henriquez lib. 10 de sacram. Ordinis c. 1. n. 4; Franc. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 28. sect. 2; Platus lib. 2. de bono statu relig. c. 20; Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 10. q. 4. et lib. de statu et votis relig. c. 2; Waldensis de Sacram. to. 1.; Soto lib. 7. de inst. q. 5. a. 1; Catharinus lib. 2. contr. Caietan.; Navarrus com. 4. de Regul. et alii.

1 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3.m Apostolos fecisse vota religionis substantialia, praeter s. Thomam loc. cit., asserit Paludanus dist. 38. q. 1., Castro, Turrianus, Bellarminus, Valentia, Soto, Navarrus, Waldensis, et Michael de Medina lib. 2. de contin. c. 14, et multo ante Augustinus lib. 17 de civit. Dei c. 14; Hieronymus lib. 1. contr. Iovin. et contr. Vigil.; Gregorius hom. 5 in Evang.; Bernardus declam. de verbis *Ecce nos reliquimus omnia.*

2 In psalm. 132.

3 Doctr. fid. L. III. art. 1. c. 6.

tur ex eo, quod primis Ecclesiae temporibus Clerici vitam exigebant regularum severitate votorumque religione coercitam, ut locuples testis est s. Clemens I [1], Eugenius II, s. Leo IV, et s. Nicolaus I, quorum verba Gratianus refert [2], memineruntque duo viri sapientissimi, Turrianus Societatis nostrae Sacerdos [3] et Soto [4]. Recte igitur Possidius, de s. Augustino verba faciens [5], ait: « Factus presbyter monasterium « intra Ecclesiam mox instituit, et cum Dei servis vi- « vere coepit, secundum modum et regulam sub san- « ctis Apostolis constitutam. »

Nimirum innuere volebat Possidius, praeclarissimum hunc Ecclesiae Doctorem haudquaquam fuisse inventorem et inceptorem Ordinis Canonicorum Regularium, sed solummodo fuisse instauratorem et restitutorem illius Ordinis, quem beati Apostoli in Christo Iesu inchoarant et perfecerant. Sed hoc ipsum apertius asseruit Pius IV, cum dissensionem quamdam de praelatione, quae inter Canonicos Regulares et Monachos sancti Benedicti coorta erat, disceptare et componere vellet. En Pontificis verba [6]: « Comperto satis per

1 Epist. V ad Iacob.

2 Can. *Dilectissimis*, caus. XII, q. 1.; can. *Necessaria etenim*, ibid.; can. *Nulla*, ibid.

3 Lib. V pro epist. decret. c. 2.

4 Lib. X de iustitia q. 4, art. 3.

5 In eius vita, cap. V.

6 Brev. *Sedis Apostolicae*, §. 3; et apud Martinum Navarrum, De Regularib. comm. IV. n. 7 et 8.

« eos (Cardinales) ex compluribus Litteris Apostolicis, « diversisque aliis documentis, rationibus et probatio- « nibus, quod ipsi Canonici fuerunt et sunt de illis « Clericis a s. Augustino, quin imo a sanctis Apostolis « institutis. »

Quae autem beatus Augustinus aliique Dei famuli perfecerunt, eadem hisce temporibus perficienda curavit divini Numinis instinctu afflatuque permotus beatus Pater Ignatius natione hispanus, domo Loyola, Fundator et Parens Religionis nostrae. Cuius quidem viri consilium et studium illud semper fuit, ut quamplurimos posset, suo exemplo incitaret ad eum vitae statum amplectendum, qualem in Ecclesiae exordio Christiani complures profitebantur. Prodigiosum sane divinae Bonitatis argumentum, quod homo militaris, illitteratus, sibi relictus, nec multo ante inanis gloriae blanditiis irretitus, ad tantum opus aggrediendum a Deo legeretur! Scilicet divina consilia eo valebant, ut omnes solum Deum auctorem huius operis perfectoremque esse faterentur.

Haec decem monita tamquam fundamenta eorum, quae in posterum tractaturi sumus, praeiacere placuit, ea mente, ut semel dicta et probe intellecta necessitas abesset saepius repetendi.

Veniamus iam ad id, quod operis nostri caput est, ad ea videlicet refellenda, quae adversus Institutum Societatis obiiciuntur.

CAPUT I.

De nomine Societatis Iesu.

Atque ut a nomine auspicemur Religionis nostrae, quod nomen est *Societas Iesu*, plures inventi sunt, quibus hoc nomen negotium facesseret; cum aliis novum et inusitatum in Ecclesia Dei, aliis insuper arrogans fastuque plenum esse videretur. Illud sibi persuadere minime poterant, ut, cum ceterae Religiones nomina sibi adsciverint humile quiddam et vile sonantia, aliaeque proinde *Minorum*, aliae *Minimorum*, aliae *Discalceatorum*, aliae aliis id genus agnominibus vocari se voluerint, nostra Religio contra, quamquam minima ab ipso suo Fundatore cognominata, augustum *Societatis Iesu* nomen usurparet; perinde quasi nos soli Iesu Socii essemus, alii vero Religiosorum coetus non essent et ipsi Societatis Iesu, nec sub Iesu vexillo mererent. Quod adeo absurdum est, ut s. Paulus hoc Societatis Iesu nomen ad omnium Fidelium universitatem pertinere definierit, cum dixit: « Fidelis Deus: per « quem vocati estis in Societatem Filii eius Iesu Christi

« Domini nostri [1]. » Ut huic obiectationi satisfaciamus, quae initio ob speciem novitatis multorum scriptis et sermone percrebuit, deinceps vero usu consenuit, et pene obsolevit, animadvertendum in primis esse censeo, duo longe diversa hominum genera, Haereticos videlicet et Catholicos, hoc Societatis Iesu nomen acriter insequutos fuisse, sed animo dissimiliter admodum affecto; Haereticos quidem propter ingenitum Religionis odium, Catholicos autem zelo permotos, sed zelo, ut vere dicam, qui non est secundum scientiam.

Martinus Kemnitius, homo inter Haereticos apprime insignis, librum composuit adversus nostram Societatem, in quo et nomen Religionis nostrae scurriliter irridet, nosque non *Iesuitas* (quo nomine vulgo nuncupamur per totum Septentrionem) sed *Iebusitas* per ludibrium vocat, interdum, adempta prima syllaba, *Suitas*, alias voce germanica *Iesuwider*, hoc est Iesu hostes. Tandem se corrigit quodammodo, et hoc Iesuitae nomen perbelle nobis quadrare affirmat, eo tamen sensu quadrare, quo Romani Imperatores Asiatici vel Africani salutabantur. Ut enim isti huiusmodi agnomina a subactis direptisque Asia et Africa invenerunt, ita, aiebat Kemnitius, nos a Iesu, quem male habemus, cuiusque regnum diripimus, appellari optimo iure posse *Iesuitas*. Hoc idem pensum sibi assumpsit absolvendum quidam cognomento Boquinus haereticus

1 I. Cor. I. 9.

sacramentarius, qui et ipse conscripto et edito contra Societatem libello, eius praecipue nomen aspere insectatur. Verum de iis, quae ab Haereticis vel fiunt vel scribuntur in Societatem, nihil est cur magnopere laboremus. Neminem enim latet, nihil aliud ab Haereticorum scriptis posse depromi, quam venenatum mendaciorum calumniarumque penus. Praeterea Kemnitio concinne et graviter respondit Didacus de Payva [1], natione lusitanus, vir doctus iuxta ac pius; Boquino Franciscus Turrianus Religionis nostrae sacerdos. Omissis igitur Haereticis veniamus ad Catholicos, quorum auribus iniucundum et absonum accidere hoc Religionis nostrae nomen iam diximus. Ad tria capita posse redigi videntur, quae nobis ab ipsis obiiciuntur. Primum est, nos accepisse nomen insolens, novum, nec unquam usurpatum. Secundum, parum christianae modestiae nos consulere in eo, quod Societas Iesu nominemur, quasi Socii essemus et non potius mancipia Iesu, cui *servire regnare est*. Tertium, vindicare nobis, nostrique iuris facere, quod Fidelibus universis commune est. Hoc postremum acriter urget Magister Canus in libro, quem de locis theologicis inscripsit [2].

Secundo loco animadvertendum est, Religionem nostram nomine Societatis Iesu non ante usam fuisse, quam facultatem utendi impertiret Sedes Apostolica.

1 Orthodox. explicat. L. I. fol. 19.
2 L. IV. c. 2. sub init.

Tunc vero eam reapse impertivit, cum Religionem nostram ipsa Apostolica Sedes instituit confirmavitque sub hoc diserte nomine Societatis Iesu, ut liquido constabit consulentibus tum Bullas Institutionis et Confirmationis a Paulo III et a Iulio itidem III emissas, tum privilegia et beneficia, quae hi Pontifices, aliique eorum successores in eam congesserunt. Sed digna prorsus, quam adversarii considerent, est Constitutio perpetua, quam Sanctitas Gregorii XIV dedit, quarto Kal. Iul. an. Chr. MDXCI, ad confirmandum Societatis Institutum contra nonnullos, qui hostili odio illud aggressi fuerant. Inter alia haec ibi [1] leguntur: « Quod « vero ad reliqua, quae in controversiam vocata erant, « sic statuimus. Nomen Societatis Iesu, quo laudabilis « hic Ordo nascens a Sede Apostolica nominatus est « et hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus « in ea retinendum esse ».

Hoc denique nomine Societatis Iesu sacrum Concilium Tridentinum Religionem nostram appellavit [2]. Cuius tantae auctoritati nemo, credo, qui Christianus modo sit, non acquieverit.

Quamquam, quae diximus, ad defensionem nostram non modo satis, sed abunde etiam esse videantur; tamen iuvat perpendere aliquantulum rationum momenta ab adversariis allata; ne quis forte ea pluris faciat,

1 Constit. *Ecclesiae catholicae* §§. 14. 15.
2 Sess. XXV. cap. 16.

quam valent. Aiunt, Iesuitarum vel Societatis Iesu nomen novum esse et nunquam in Ecclesia Dei auditum; nos vero illud excogitasse nobisque imposuisse. Hoc ego puto maiore animi fidentia esse prolatum, quam rei veritate. Etenim multo ante quam Societas in lucem prodiret, sciunt omnes extitisse, et adhuc extare in Italia Iesuatarum Ordinem, institutum Senae a beato Dei famulo Ioanne Columbino, quem mortalitatem exuisse an. D. MCCCLXVII, scribit Paulus Morigia istius Ordinis sodalis [1]. Quin etiam ab Antonio Corsetto iureconsulto siculo, et in urbe Patavio canonico [2], causam addiscimus, quare huic Religioni tale nomen inditum fuerit. Scribit enim, hoc prodigii simile usuvenisse, ut quoties huiusce Ordinis Religiosos necessitas aliqua domo eliceret, publicoque se committere cogeret, ad eos toties puerorum turba loquendi adhuc impos confluueret, et divino veluti percita instinctu magna vocis contentione adclamaret: Iesuatae, Iesuatae! Quod nomen tamquam divinitus emissum haesit in posterum Ordini b. Ioannis Columbini. Haec fere eadem a Paulo Morigia, quem supra meminimus, enarrantur [3]. Non hic praetereundum esse arbitror, quod Ravennae, ditionis pontificiae urbe pernobili, meis ipse oculis perspexi; Collegium scilicet Clericorum, quod femina quaedam nomine Margarita et vitae sanctitate

1 Historia della origine di tutte le Religioni Lib. I. c. 39.
2 L. 30 quaestion.
3 Loc. nuper cit. c. 38.

illustris, arcano Numinis admonitu, fundavit, mutuataque a Iesu nomen, *Collegium Boni Iesu* nuncupari voluit. Hoc Collegium suum nomen, ut et suum pariter Iesuatae, etiamnum obtinent, nec ob id querelis et obtrectationibus cuiuspiam petuntur.

Quod si aquam, ut aiunt, ab ipsis fontium scatebris petamus, et investigemus Ecclesiae incunabula et origines, inveniemus, Christi sectatores, ante quam Christiani nominarentur Antiochiae, nominatos fuisse Iessaeos, ut locuples testis est Epiphanius [1], cuius verba hic interserere placuit: « Aut ex nomine Iesu Domini « nostri appellati sunt Iessaei, propterea quod ex Iesu « procederent, cum discipuli eius essent, aut propter « nominis Domini etymologiam; Iesus enim in he- « braica lingua curator appellatur, aut medicus, et « salvator. Nihilominus hoc nomen habuerunt prius- « quam ipsi Christiani appellarentur. »

Cum Epiphanio consentit Philo Iudaeus, qui Christianos graeco vocabulo Θεραπευτὰς appellat [2]: quae vox latine reddita sonat *medentes*. Scio equidem, alio sensu vocabulum graecum usurpari a Dionysio Areopagita, ubi [3] Monachos et Religiosos Therapeutas vocat, hoc est, ut ipse Dionysius explicare videtur, administros et cultores; ita ut Therapeutae, secundum Dionysium sint, qui Deum colunt, eiusque famulatui se

1 Advers. Nazaraeos; haeres. XXIX. c. 4.
2 De vita contemplativa, sub init.
3 De Eccl. Hierar. C. VI. §. 3.

addicunt. Sed haec graecae vocis significatio non prohibet, quominus constet prior eiusdem graecae vocis intellectus. Philonem audiamus, qui utrumque sensum vocabulo Therapeutae attribuens sic ait: Therapeutae dicuntur tum medentes tum cultores. Quem Philonis locum Eusebius referens [1], idemque explanans, Therapeutae, inquit, Christiani nominantur, « seu quod « tanquam medici quidam, animos eorum qui ad « ipsos accesserant, vitiosis affectibus liberatos cura« rent, seu quod ipsi divinum numen caste ac sincere « colerent. »

Hoc igitur posito, quod Therapeuta utrumque significet, *medentem* scilicet et *cultorem,* nec secunda istius vocis significatio priorem excludat, nemo non videt, Therapeutam, si priore sensu accipiatur, eamdem prorsus vim habere, ac Iessaeum; duoque haec vocabula sono quidem vocis discrepare, at re plane congruere. Nam Iessaeus nihil aliud sibi vult, quam *medentem*, *curatorem*, *salutiferum*. Quae tria in se complectitur dulcissimum Iesu nomen, unde suum Iessaei deduxerunt. Ita porro denominari voluere, ut omnes intelligerent, sibi potissimum provinciam a Deo esse commissam medendi hominibus, multiplicesque animi morbos sanandi, a quibus humanum genus languebat, ut dicit Philo ab Eusebio citatus in sua historia. Haec, quae disputavimus, recognoscant quaeso adver-

1 Euseb. Pamph., Hist. eccl. L. II. c. 17.

sarii nostri, videantque, num *Iesuitae* nomen, quod re nihil differt omnino a nomine *Iessaeo* vel *Therapeuta*, sit novum, ut ipsi dictitant, et a nobis primum temere inductum in Ecclesiam Dei. At enim Magdeburgenses haeretici [1] contendunt, Philonem vocabulo Therapeuta indicare voluisse non Christianos, sed Essenos sectam Religiosorum apud Iudaeos. Verum Magdeburgensium opinionem nulla satis probabilis ratio tuetur; quin imo falsam esse ostendit sapientium virorum bene multorum auctoritas, qui oppositae sententiae adhaerent. Et sane Eusebius [2], s. Epiphanius [3], s. Hieronymus [4], ven. Beda [5], Sozomenus [6], Nicephorus [7], summa consensione affirmant, Philonem voce Therapeuta Christianos solos designasse. Quod quidem haud mirum videri debet, cum Eusebius et s. Hieronymus nos doceant, Philonem Romae fuisse ea tempestate, qua ibi versabatur s. Petrus, adiisse beatum Apostolum, et cum eo sermones de religione saepe conseruisse. Addit praeterea Photius [8], Philonem professum aliquando esse christianum nomen, sed postea

1 Centuria I. L. II. c. 3.

2 Loc. nuper cit.

3 Haer. XXXIX, quae est Nazaraeor.

4 De viris illustrib. in Philon., seu c. XI.

5 In prolog. sup. Evang. s. Marc.

6 L. I. c. 12.

7 Lib. II. c. 16.

8 In sua Biblioth. Vide Turrian. pro epist. Pontif. L. V. c. 2.

offensione asperatum, quam aut acceperat, aut accepisse putabat, a Fide descivisse.

Quarto loco animadvertendum est, nomen Societatis Iesu non ita esse interpretandum, ut congregationem hominum denotet, qui Iesu Socii sint, sed cohortem veluti militum, qui sub Imperatore Iesu stipendia faciant; vel, si melius placet, familiam, quae Christi magni Patrisfamilias mores induere, censumque amplificare satagat uberrima animarum fruge coacervanda. Societatis Iesu nomen hoc modo acceptum, non video, cur nobis, qui illud usurpamus, arrogantiae potius verti debeat, quam convenientiae, cum finem et ministeria vocationis nostrae apprime declaret. Ne illud quidem video, cur nos dicamur invadere in nomen, quod Fidelibus omnibus commune est; quasi nos soli esse vellemus Iesu Socii, ceteros vero de illius nominis possessione deiicere conaremur; cum potius commune nomen adsumentes significamus, nos communione, animorum concordia, germanitate cum omnibus esse devinctos; simul praecavemus, ne illa vox a christiana unitate valde abhorrens audiatur: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae* [1].

Quod si qua Religio, eo quod nomen sibi adsciscat aliis commune, insimulanda esset iniuriae illatae, perinde ac sibi soli arriperet, quod omnium esset, con-

1 I. Cor. I. 12.

sortesque iure suo expoliaret, insimulandus hoc crimine esset Ordo Trinitariorum, qui, nomine Trinitatis SS. sibi imposito, declarassent ex adversariorum sententia, se solos Trinitatem Augustissimam adorare, reliquos autem fideles non adorare. Insimulandi ob eamdem rationem Ordines, quibus nomen est a Domina nostra vel de Mercede vel de monte Carmelo. Insimulandi pariter alumni s. Dominici, Ordo Praedicatorum vulgo nuncupati, tanquam praedicandi munus sibi tantummodo arrogarent, ceteris adimerent. Nec minus Equites reliquorum Ordinum conqueri possent de Lusitanorum Equitum Ordine, qui suum fecisset Christi nomen, quod omnibus Ordinibus pro Christo Ecclesiaque militantibus competeret. Attamen istiusmodi criminationes et querelas nemo unquam inventus est, qui moveret. Nec iniuria sane. Nam aut pia animi affectio Sanctique Spiritus illustratio Fundatores permovit nominibus id genus Ordines suos insignire, aut finis natura, ad quem iidem Ordines destinati sunt, suasit.

Ad nomen quod attinet Religionis nostrae (quod nomen Apostolicae Sedis auctoritate nos gerere iam diximus) non dubitamus, quin illud beato Patri Ignatio Deus ipse suggesserit, et tanquam muneri dederit. Certe b. Parens, ut in eius vita, quam ipse litteris expressi, demonstratum est [1], Caelitum visitatione fre-

1 Lib. II. c. 11.

quentissime est recreatus, supernarumque rerum intelligentia affatim imbutus. In dulcissimo illo cum Iesu Dominaque nostra commercio tantam erga sanctissimum Iesu nomen animo concepit amoris flammam, quanta accepimus aestuasse pectus illius Ignatii pontificis et martyris gloriosissimi, quem Parens noster factis multo magis quam nomine imitari enitebatur. Itaque inexplebili cupiditate incensus salutiferum Iesu nomen longe lateque disseminandi mittebat filios, quos in Christo pepererat, spirituque suo informaverat, in omnes mundi plagas, ut caelestissimi Nominis cultum et amorem ubique diffunderent. Nec boni Parentis vota frustrata est impigra filiorum sedulitas. Ad extremas enim usque Sinarum oras suavissimi Iesu nominis fragrantia pervasit. Atque ego ipse testari possum, me vidisse sinensi sermone conscriptam ab Ignatii filio, typisque editam institutionem elementorum christianae Religionis, quae prae se ferebat effigiem more nostro confictam adorandi nominis Iesu. Hoc igitur nomen b. Pater inustum esse voluit Ordini, quem ipse ad eiusdem Nominis gloriam propagandam instituit; nec unquam passus est, ut aliter Religio sua nominaretur. Qua in re illud primum spectavit, ut, qua erat humilitate, sui memoria penitus obliteraretur; deinde ut appareret, Iesum fuisse unicum et praecipuum auctorem conditoremque suae Religionis; se vero nihil aliud, nisi ignobile in manu Dei instrumentum ad illud opus perficiendum. Atque haec satis esse videntur ad ea refellenda, quae Adversarii nobis obiecerunt.

CAPUT SECUNDUM

Cur Societas proprium vestimenti genus non assumpserit, et illud admiserit, quo Clerici vulgo utuntur.

Videndum modo est, quare Societas a consuetudine recedens aliarum Religionum formam indumentorum propriam capessere noluerit, cum multae, nec eae infirmae rationes contrarium suadere videantur.

Prima ratio petitur a loco psalmi XLIV, ubi regius vates Ecclesiam Dei sub imagine regalis sponsae eleganter confingit. Sic enim ait: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. » Haec porro varietas persimilis Iosephi clamydi, quae polymita erat [1], hoc est variis intertexta coloribus, repraesentat, si Interpretibus standum est, varios in Ecclesia Dei Religiosorum Ordines diversosque Fidelium status. Itaque cum Ecclesia hoc varietatis ornatu summopere gaudeat, consentaneum prorsus rationi est, ut Religiosorum singulae familiae, a quibus pulcherrima haec varietas enascitur, eam, ut aliis rebus, sic et habitus diversitate commonstrent.

Secunda ratio est consuetudo, quae semper apud Religiones omnes obtinuit, ut singulae talem vestium

1 Gen. XXXVII, 3.

speciem induerent, quae essent sui Ordinis velut insigne. Quae quidem consuetudo antiquitatis est adeo remotae, ut s. Dionysius Areopagita de Monachorum professione disserens, de eorum veste hisce verbis meminerit: « Sacerdos signo crucis eum consignatum ton-« det, ... omnique veste detracta, eum alia induit [1]. » Meminit etiam Tertullianus [2]: meminit s. Basilius [3]: meminit Cassianus [4], qui etiam, cuiusmodi esset Monachorum habitus, enucleate describit. Denique quotquot scriptores de Monachis et Religiosis agere instituerunt, de eorum habitu sic locuti sunt, tamquam de re, quae cum religiosa professione maxime cohaereret, essetque assiduum veluti monumentum vitae in melius mutatae.

Tertia ratio est, Monachum, qui suae Religionis habitum gestare detrectat, nec talem in vulgus videri, nec culpa vacare posse. Quanta in existimatione habenda sit religiosa vestis, quantique intersit, ex eo facile intelligi potest, quod, cum significare volumus quempiam Religionis alicuius Institutum amplexum esse, dicere solemus eum Religionis eiusdem habitum induisse. In iis autem Religionibus, in quibus non eadem novitiis et professis vestiendi ratio est, fieri

1 De Eccl. Hier. cap. VI, part. 2.
2 Lib. de veland. virg.
3 Ep. I. modo II. §. 6, ad Gregor.
4 De Instit. L. I.

videmus, ut qui tantummodo professi vestem gerit, in professorum numero putetur.

Quarta ratio est, religiosum habitum freni vicibus fungi. Eo enim Monachus coercetur, ne tecto intempestive exeat, ne amicorum domos temere frequentet, neve talia admittat, quae habitus, quem gerit, sanctitatem dedeceant. Etenim subito agnosceretur, digitoque intuentium monstraretur. Quas curas facile excutit Religiosus, qui non proprio sed alieno habitu incedit.

Haec sunt rationum haud levia sane pondera, quibus probari potest Societatem minus prudenter egisse, quae vestem propriam adsciscere recusavit. Ut consilium a Societate in hac re initum probe teneamus, tria mihi videntur esse attendenda. Primum, quod vestis religiosa tametsi in magna apud Fideles omnes observantia meritissimo habeatur, utpote quae sit modestiae, gravitatis, sanctimoniae indicium, testimoniumque insuper obligationis, qua Religiosus tenetur vota perpetua servare Paupertatis, Castitatis, Obedientiae, nihilominus fatendum omnino est, religiosi status essentiam nullo modo in veste consistere, sed in votorum, quae modo diximus, nuncupatione. *Monachum*, sic enim legimus in titul. de Regularib. *non facit habitus, sed professio regularis* 1. Idem etiam arguitur ex eo, quod apostatae abiecto licet religioso

1 Cap. *Porrectum*, 13.

habitu, non ideo tamen desinunt esse Religiosi, nec ab implenda, quantum fieri potest, votorum promissione liberantur.

Secundo, ut rite satisfaciamus haec et horum similia Societati obiicientibus, firmiter tenendum est, quod paulo ante monuimus, Societatem scilicet non esse cucullatorum hominum conventum, sed Clericorum regularium congregationem. Quemadmodum ergo, si quis Clericum percontaretur, quare cucullo abstineat, praepostera et ridicula censenda esset istiusmodi percontatio, sic idem ferendum esset iudicium de eo, qui Monachum interrogaret, cur clericale byrrhetum capiti imponere moretur. Ratio luce clarior patet. Ut enim a Clericorum more cucullus abhorret, sic a Monachorum usu alienum est byrrhetum; omninoque fas est, ut quisque ea vestimentorum forma utatur, quae melius sui status conditioni consentanea sit. Non immerito igitur Concilium Aquisgranense, quod Ludovico imperante celebratum est, insigniter satis notavit [1] Canonicos aliquot, qui cucullum Monachorum proprium vesti superimponere ausi fuerant; et Urbanus II poenam contra Clericos decernit [2], qui monachalem habitum usurpare non dubitaverint. Item in canone XII Concilii Gangrensis, in quo canone sermo fit de Clericis, haec leguntur: « Si quis virorum putaverit, san-

1 Cap. 125.

2 Can. *Mandamus,* caus. 19, q. 3.

« cto proposito, idest continentiae, convenire, ut pal-
« lio utatur, tamquam ex eo iustitiam habiturus, et
« reprehendat vel iudicet alios, qui cum reverentia
« birris utúntur et alia veste communi quae in usu
« est, anathema sit 1. »

Tertio denique illud adnotatu dignum maxime ducimus, quod in secundo monito posuimus: omnia videlicet, quae ad finem aliquem assequendum eliguntur, eiusdem finis certissima regula gubernanda esse et dirigenda. Iam si finem Societatis attente dispiciamus, haud multo negotio statuemus, nec proprium, nec clericali absimilem habitum Societatis hominibus imponi debuisse. Nam si fuisset impositus, gravia impedimenta obiecta fuissent fini obtinendo, ob quem Societas condita est. Finem Societatis diximus supra (monit. 3.) positum esse in eo, ut ipsa Fidem defendat et proferat: defendat quidem ab Haereticorum conatibus, proferat vero inter Idololatras *in umbra mortis sedentes*. Sed ad Haereticos quod attinet, neminem ignorare arbitror, quam infestis oculis despiciant, quantisque contumeliis appetant (Deo id sinente ob peccata nostra) cum cetera catholicae pietatis insignia, tum proprium Coenobitarum habitum: ut si quis istorum per provincias hae-

1 Is est can. 15, dist. 30. — Canon XII. Concilii Gangrensis sic effertur: « Si quis virorum propter continentiam, quae putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, et despicit eos qui cum reverentia birris et aliis communibus et solitis utuntur, anathema sit ».

reticis incolis occupatas permeare cogatur, cum necesse sit vestes commutare, nisi vitae periculum adire, aut saltem ludibriis verberibusque mulctari velit. Quae cum ita sint, qui fieri posset, ut Societatis homines vocationi suae obsecundare cupientes cum tali hominum genere viverent, colloquerentur, agerentque de Fidei mysteriis, de supremo salutis aeternae negotio, de palinodia canenda (quod quidem praestant, nec frustra, Deo favente), si ad ipsos accederent veste induti eorum oculis ominosa et despicatissima? Nonne ab eorum conspectu prius abigerentur, quam ad eorumdem colloquium admitterentur? Ad Idololatras vero quod spectat, usus, magister rerum non fallax comprobavit, vestem communioris formae longe commodiorem esse habitu singulari ad eorum culturam suscipiendam, salutemque procurandam. Hoc in Indiis, et maxime apud Sinas observari licuit. Nam cum Religiosorum quidam subinde manipuli ad Sinarum oras adnavigassent studio inflammati florens illud regnum Iesu Christo subiiciendi, non prius conspecti sunt, quam inde eiecti, dirisque omnibus devoti; neque id aliam ob causam, quam quod insolens vestiendi ritus, quo Religiosi utebantur, suspicacis maxime gentis oculos offenderat, pravisque opinionibus animos imbuerat. Contra Socii nostri, quorum vestitus a Sinarum consuetudine haud multum abhorrebat, longe minus difficilia et suspiciosa experti sunt illius gentis ingenia. Quo factum est, ut pedetentim agendo, caute se insinuando, molliter allo-

quendo, aliisque id genus artibus viam sibi munierint ad fidem Christi in vastissimum illud imperium inducendam. Quamobrem nemo id mirabitur, quod ab Innocentio III factum esse comperimus. Cum rescivisset hic Pontifex, aliquot Ordine habituque differentes Religiosos in Livoniam concessisse ad Evangelii sementem per ea loca iaciendam ; inter illos vero, qui ad Fidem nuper accesserant, obmurmurationes et contentiones etiam coortas fuisse ob habitus discrepantiam quo Fidei magistri induebantur, hic Pontifex, inquam, Episcopo Livoniae Religiosisque in hanc sententiam perscripsit : « Ne igitur, si dispar in vobis observan-
« tia fuerit, et dissimilis habitus, apud eos, quibus
« unum Evangelium praedicatis, scandalum suscitetur,
« mandamus, quatenus eo non obstante quod inter
« vos Monachi sunt et Canonici Regulares, vel alii
« etiam regularem vitam sub alia districtione profes-
« si, omnes pariter in unum regulare propositum et
« honestum habitum, quantum ad hoc spectat offi-
« cium, conformetis [1]. » Ita scripsit sanctus aeque ac sapiens Pontifex, illud nimirum volens demonstrare, omnia caritati obnoxia esse debere, ideoque Religiosos paratos esse oportere ad vestem commutandam, si hoc ad Infideles Christo lucrifaciendos utile sit.

1 De vita et honest. cler. cap. *Deus qui,* 11.

Posito igitur, quod Societatis praecipuus finis sit Haereticos quidem ad sanam mentem reducere, Ethnicos autem ab Idolorum cultu avocare; posito insuper, quod ille habitus optandus sit, qui ad finem obtinendum iuvare possit: clare hinc consequitur, Societatem, quae proprium habitum assumere recusavit tanquam fini suo obtinendo ineptum atque adeo perniciosum, prudenter se gessisse. Assumpsit autem, utpote quae Clericorum Religio est, habitum clericalem, illum scilicet, quo per catholicas provincias honestos Clericos communiter uti conspicimus. Duo tamen Societas in usu vestimentorum prae oculis potissimum habuit, decentiam videlicet et vilitatem. Quarum alteram Clericis maxime commendatam legimus in Conciliis et ordinationibus bene multis [1]; altera veluti tessera esse debet religiosi hominis paupertatem profitentis [2]. Ceterum ne cui erroris ansa in hac re praebeatur, notandum est vestium vilitatem cum exquisito et eleganti cultu pugnare quidem, haudquaquam vero cum munditia. Quae sane negligenda minime est a religiosis, qui vitae instituto in animarum curam incumbunt. Incultus enim horridusque habi-

1 Vide, sis, Ioannem Trullum de Ordine Canonic. Regul. Lib. II. c. 30.

2 De s. Augustino Possidius in eius vita, cap. 22 haec habet: « Vestes eius et calceamenta vel lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. »

tus, ut experientia Sanctorumque doctrina monemur, avertit homines, et quemdam veluti horrorem et contemptum in eorum animis progignit [1].

Restat, ut argumentis, quae supra attulimus, breviter respondeamus. Et ad primum, ultro a nobis conceditur, sanctam Ecclesiam multiplici et pulcherrima varietate exornari diversarum Religionum, quae insunt in eadem Ecclesia: verum huiusmodi varietatem consistere putamus non tam in discrimine vestium, quam in diversitate Instituti finisque peculiaris, quem Religio quaevis proprium et individuum habet. Itaque videmus alios Religiosos rerum caelestium meditationi vacare, alios corporum afflictationibus se cruciare; hos propriae utilitati animum unice intendere, illos praeterea et proximorum utilitates curare; omnes uno verbo se gerere secundum doni mensuram, quam singulis Religionibus distribuit Dominus, qui eas pro temporum natura et necessitatibus instituit. Horum ergo finium varietati attendendum est multo magis, quam vestium, quae, ut diximus, nihil ad Religionum

1 Martinus V in Constit. *Cum generale*, cap. 2 Regulae Fratrum Minor. Conventual. ait: « De qualitate habitus, quum regula dicat quod fratres omnes vestimentis vilibus induantur. . . . ordinamus quod omnes fratres vestimentis talibus induantur, quod nec sint adeo pretiosa, ut videntes ea de curiositate et vanitate notare debeant, nec ita vilia et grossa, quod ipsa videntes in horrorem inducant et provocent ad derisum. »

essentiam conferunt, et fini inservire debent, quem Religiones respiciunt. Fatendum tamen est, non parum decoris et ornamenti accedere Ecclesiae ex religiosorum habituum diversitate: sed si haec conditio caute servetur, ut ad graduum distinctionem habitus etiam distinctio respondeat; proinde Clericorum habitus differat a monachali; vicissim monachalis nihil commune habeat cum clericali.

Ad secundum, non negamus Monachorum veterem in vestiendo consuetudinem talem fuisse, qualem supra dicti Patres memoriae prodiderunt, nec negamus Religionibus, quae in posterum deinceps secutae sunt, habitum fuisse proprium et ad eam formam confictum, quam unaquaeque sibi expedire in Domino iudicavit. Dicimus tamen, nihil inde contra Societatem colligi posse. Nam et Societati suus habitus est, clericalis videlicet, quo et a reliquis Religionibus, et ab aliis hominum coetibus rite distinguitur optimeque internoscitur. Idque satis est: non enim puto aliquam in nos necessitatem incumbere cucullatam Monachorum vestem induendi; quin imo eam reiiciendi plurimae, ut vidimus, rationes suadent.

Haec, quae ad secundum argumentum respondimus, valere etiam puto ad tertium, quod obiiciebatur. Unum tamen adiicio; ea sancte observanda esse quae in Religione qualibet sancte decreta sunt; quare, ubi diversa vestimenti forma Novitios a Professis distinguat, istam consuetudinem firmiter esse tenen-

dam, utpote quam Apostolica Sedes adprobavit et sanxit.

Ad quartum denique, quod opponebatur, reponimus, ultro et nos asserere habitus distinctionem salutarem veluti obiicem esse, qua Religiosus a multis, quae sui status sanctitatem minus decent, peragendis coercetur, ideoque Societatem nostram habitum sibi talem optasse, qui alumnos suos satis a ceteris distingueret, simulque in officio contineret. Ceterum haec quamquam sic sese habeant, fatendum tamen est, ea forinsecus Religionem attingere, minimeque ad illius essentiam pertinere; proinde necessarium prorsus esse, ut vestis, quae medii rationem tantummodo obtinet, ad Religionis finem unice ordinetur. Quare cum vestimenti genus a Societate assumptum fini suo consequendo mirifice inserviat, nullum aptius, quam illud, quo utitur congruere illi poterat. Atque haec, quae dicimus, probabiliora etiam videbuntur consideranti imbecillitatem humanam, cui nec habitus nec aliud ullum exterius adiumentum sufficere potest ad cupiditates animi comprimendas, nisi Dominus gratiae suae praesidio adsit, quo communitus Religiosus internis animi affectionibus ita moderetur, ut ad eamdem regulam externi etiam corporis actus componantur. Nam, ut apposite admodum ait Caelestinus Papa I [1]: « Dis-

1 Epist. 2. ad Episc. Galliae c. 1. in Tom. I Concilior. veteris Collection. In nova habetur in Tom. IV, col. 465.

« cernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non « veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, « non cultu. »

Hinc Societatis homines addiscant, quo pacto oporteat, ut internoscantur et secernantur a reliquis; scilicet, ut externa totius personae compositio et modestia imaginem exhibeat interioris animae tranquillitatis: quo fiat, ut quotquot ad Nostros accedunt, probitatis exempla desumant, virtutisque sectandae desideria concipiant, prout Constitutiones nostrae loquuntur. Quod vero Nostri, qui ita se gerunt, optime cuiates sint agnoscantur, documento sit quod dicturus sum. Egomet enim conspexi Haereticos nonnullos, qui, cum forte in aliquot e Nostris praetereuntes inciderent, horrendum in modum allatrarent *Wölfe Wölfe*. Atqui Nostros non vestis (alieno enim indumento obtecti erant) sed oris totiusque corporis modestia et decor detexerat. Est autem *Wölfe* germanica vox lupos significans. Sic verissimi illi lupi, qui Christi gregem truculentissime dilaniant, nomen suum turpissimo mendacio Nostris imponebant.

CAPUT III.

Cur Societatis Constitutiones a ieiuniis certisque corporis afflictationibus imperandis abstineant.

Sunt aliqui, boni ceteroquin perfectiorisque vitae sectatores viri, quibus haudquaquam placet nullas corporis castigationes in Societate Regularum imperio praescribi, cum multae et graves in aliis Religionibus praescriptae sint, earumque pium usum veteres Sancti universi tum praeceptionibus tum exemplo docuerint. Eusebius Caesariensis [1] asperrimum vivendi cultum describit, quo Ecclesia Alexandriae ab Evangelista Marco fundata carnem afflictabat: ad cuius exemplum innumerae prodierunt Anachoritarum Monachorumque familiae, qui licet corporea hac inclusi compage, incorporeae tamen formae esse videbantur: victu adeo pertenui vitam sustentabant. S. Hieronymus [2] pariter, Palladius, Theodoretus, Cassianus [3] exempla nobis proponunt suspicienda potius quam imitanda vitae patientissimae, quam suis temporibus Monachi tolerabant. S. vero Augustinus [4] collaudata in universum dignis-

1 Histor. Eccles. Lib. II, c. 17.

2 Epist. 15 modo 24 ad Marcellam et 22 ad Eustochium; idem in vita s. Pauli primi Erem.

3 De Instit. L. IV, c. 11.

4 De moribus Ecclesiae cap. 31, 33.

simis, ut par erat, verbis abstinentia Monachorum sua aetate viventium, illud specialius addit, vidisse se Mediolani et Romae Christianos quosdam, qui ad noctem ducebant ieiunia ne frustulo quidem panis interdiu abrupta; quosdam autem eo esse progressos, ut tres pluresque dies, cibi potusque immemores, transigerent. Praeterea sanctus Benedictus, prior Monachorum Parens in Occidente, esum carnium discipulis suis interdixit [1]: quemadmodum et interdicitur eo decreto, seu capitulo, cuius initium est: *Cum ad monasterium*, de statu monachor. et c. *Carnem*, de consecrat., dist. 5.

Contra s. Martinus suos iussit vino abstinere [2]. Atque ut ad propinquiora nobis tempora deveniamus, scimus Carthusianos ieiunitati cum ipso vitae exitu finem imponere, Dominicanos autem, Minores, Minimos, reliquosque Ordines plurimis ad carnem edomandam asperitatibus uti: idque optimo sane iure. Nam, teste s. Bonaventura [3], Virgo beatissima declaravit s. Elisabethae reginae hungaricae, caelestia charismata nulla alia plerumque ratione animabus communicari, quam per studium orandi corporisque subigendi. Quae duo vel maxime necessaria sunt iis quibus ex vi Instituti sui incumbit onus divini verbi prae-

1 Regul. cap. 39.

2 Sulpicius Severus de vita divi Martini Ep. turonen. L. I.

3 De vita Christi, cap. 3.

dicandi ; inter quos sine dubio recensendi sunt Societatis sacerdotes. Etenim ut s. Hieronymus ait 1 : « An « non confusio et ignominia est Iesum crucifixum , « magistrum , pauperem atque esurientem fartis praedicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre ? »

Haec porro necessitas, ad Nostros quod attinet, valde admodum excrescit; propterea quod vocationis suae munus expostulat, ut cum quovis hominum genere, etiam cum nequissimis, facinorosis, aeternae salutis plane securis, terrena solummodo et carnalia sapientibus versentur sermonesque commisceant. Ex hac coniunctione nemo non videt, quanta innocentiae Nostrorum immineat periculorum moles , nisi desideria carnis severissima castigatio compescat. Ad haec accedit praesentium temporum conditio, quibus Haereticorum insania eo usque pervasit, ut vitae austeritates non modo despicatui habeat, sed, tamquam anilia deliramenta, reiiciendas esse putet. Pestilentem huiusmodi errorem nos maxime, qui Religiosi sumus, refellere enimvero debemus, at refellere multo magis re, quam verbis, ne secus agentes in eorum sententiam ire videamur.

Quae hactenus disputavimus satis demonstrant nos, qui religiosam disciplinam professi sumus , tanto magis ad carnem acriter insectandam obligari, quam alios Christi fideles , quanto magis religiosa professio

1 In Michaeae cap. II. 9. 10. §. *Duces populi mei.*

poenitentiae status est et lacrymarum, quam ceterae vitae professiones. Demonstrant insuper corporales macerationes prodesse plurimum pravis animorum motibus cohibendis, veteri Adamo in servitutem redigendo, animae noxis abstergendis, uberibus gratiis a Domino impetrandis, homini ad dignitatem idonei ministri Dei evehendo: mirum proinde non esse, quod sancti homines qua doctrina, qua exemplo tantopere nos ad corpus rigide tractandum adhortentur. Attamen quo melius materies, de qua loquimur, intelligatur, quatuor potissimum adnotanda esse censeo; primum qualem de huiusmodi afflictationibus opinionem habere nos iubeat Sanctorum doctrina: deinde quae maxime in iis advertenda sint, ne aliter, ac recta ratio poscit, nosmet geramus: tertio quam difficulter definiri queat earumdem modus et mensura, quae pro omnibus iusta sit. Ex tribus hisce capitibus quartum sponte sua deducitur, nimirum, quidquid in externae mortificationis exercitio Societas statuit, convenienter admodum statutum esse, tum quia cum doctrina Sanctorum et rectae rationis norma mire consentit, tum quia ad scopum Societatis eiusdem optime collineat.

Et ad primum quod spectat, s. Thomas [1] aperte docet perfectionem christiani hominis nequaquam in abstinentia et carnis afflictione consistere. Idem, quod

1 2. 2. q. 188. a. 6. ad 3.m

rem confirmat, ex abbatibus Mose et Theona Cassianus [1] acceperat, scilicet ieiunia, vigilias ceteraque id genus esse quidem praesidia ad perfectionem assequendam, sed ipsam perfectionem nullo modo esse. Eadem legimus apud s. Basilium [2]. S. vero Augustinus [3] dicere non dubitavit: « Nec in manducando es-« se iustitiam, sed in aequanimitate tolerandi ino-« piam. » Quae Augustini sententia a Gratiano [4] commemoratur. Quare s. Thomas [5] definit Religionem aliquam alia perfectiorem dici non posse eo quod austeriorem vivendi modum professa sit, sed quod et finem respiciat excellentiorem mediaque possideat, quae commodius ad huiusce finis adeptionem conducant. Non est tamen praetereundum quod idem s. Thomas [6] subiungit, quamlibet nimirum Religionem esse veluti quemdam poenitentiae statum, in quo homo positus vitam novam veteri abdicata inchoat; atque ex hac parte rite comparari posse perfectionem Religionis unius cum perfectione alterius, illamque praeferri, quae paupertate, abstinentia reliquoque poenitentiae comitatu alias antecellat. Ita quidem sanctus Doctor, sed iterum

1 Collat. I. cap. 7; Coll. III. c. 2; Coll. XXI. cc. 13. 14 15; et de Instit. L. V. c. 11, immo toto lib. V.

2 De virginit. et Constit. monast. Cap. IV.

3 Quaest. Evang. Lib. II. q. 11.

4 Can. *Quod dicit Dominus,* dist. 41

5 Loc. nuper cit.

6 Opusc. XIX. c. 1.

monet praestantiam finis, aptioremque huic fini adipiscendo mediorum convenientiam regulas esse certiores ad perfectionem Religionis alicuius diiudicandam; quippe quae penitius attingant Religionis essentiam. Contra, norunt omnes christianam perfectionem multo magis positam esse in interna animi motuum compressione, quam in externa corporis animadversione, quae etiam illud incommodum habet, ut solidiora bona haud raro praepedire soleat. Sic certe sentit s. Basilius [1], sic s. Gregorius [2], cuius pulcherrima verba placuit hic afferre: « Longe altioris meriti est propriam voluntate alienae semper voluntati subiicere, quam magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiore sacrificio mactare. » Nec auctoritatibus solum, sed ratione etiam comprobatur assertio nostra. Nam quemadmodum medicamenta non ea putanda sunt meliora, quae vel copia abundent, vel efficacitate praevaleant, sed quae magis ad morbos expellendos idonea sint (ad hoc enim nata sunt medicamenta); sic poenitentia non ea melior atque perfectior dicenda est, quae aut magnitudine insignis sit aut duritie, sed quae conferat magis charitati acquirendae aliisque virtutibus, in quibus potissimum animae sanitas atque adeo ipsa perfectio consistit. Nam media, ut saepe diximus, hoc proprium ha-

1 Loc. cit.

2 Lib. VI. in I. Reg. cap. II. §. 23.

bent, ut fini suo inserviant, eaque omnino mensura adhibeantur, quam finis ipsius natura et necessitas exposcit. Hanc porro doctrinam Apostolorum vita luculente confirmat, quam novimus quidem et virtutibus omnibus enituisse, et votorum religione constrictam fuisse, at nusquam legimus fuisse pariter afflictationibus immodicis asperam atque exercitam. Nimirum sanctis Apostolis vigiliae, ieiunia, fustuaria iustum modum excedentia minus accommoda visa sunt ad finem suum obtinendum, hoc est, ad dissitas mundi plagas peragrandas et ad ministeria evangelica obeunda. Quamobrem s. Thomas [1], ubi quaerit utrum consilia ad praecepta ordinentur, docet intrinsecos omnes virtutum moralium actus eo valere, ut animam ab omni labe emundent, illiusque sedent perturbationes. Addit praeterea virtutes, tum quae Deum, tum quae mores respiciunt, proponere sibi, tanquam signum, caritatem erga Deum proximumque, citatque ad id comprobandum sequentem Cassiani locum [2]: « Quidquid nos... ad puritatem cordis potest dirigere, « tota virtute sectandum est; quidquid autem ab hac « retrahit, ut perniciosum ac noxium devitandum. Pro « hac enim universa agimus atque toleramus; pro hac « patria, parentes, dignitates, divitiae, deliciae mundi « huius et voluptas universa contemnitur; ut scilicet

1 Quodlib. IV. q. 11. art. 24. in corp.
2 Collat. I. cc. 5. 7.

« puritas cordis perpetua retineatur..... Pro hac ie-
« iunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectio-
« nem ceterasque virtutes debere nos suscipere nove-
« rimus, ut scilicet per illas ab universis passionibus
« noxiis illaesum parare cor nostrum et conservare
« possimus, et ad perfectionem caritatis istis gradi-
« bus innitendo conscedere ». Et hoc idem (subdit s. Thomas), Augustinus [1] dicit: « Non reiiciendis,
« inquit, generibus ciborum quasi pollutis, sed con-
« cupiscentiae perdomandae et dilectioni fratrum re-
« tinendae invigilat omnis industria ».

Primo capite sic explicato ad secundi explanationem progrediamur. Diximus paulo ante, aliqua esse advertenda, ut abstinentia ceteraeque poenae, quibus insolentia carnis contunditur, ad rectae rationis praescriptum suscipiantur. Duo autem cum Caietano [2] advertere satis habebimus. Primum, ut corpori necessaria alimenta praebeantur, quibus vivere possit; vivere autem sine iusta cibi potusque mensura non potest. Alterum, ut non solum vivere queat, sed ut viribus etiam valeat ad ea onera sustinenda, virtutisque opera exercenda, quae quisque debet exercere pro eo vitae statu et conditione, in qua Supremi Numinis ordinatione collocatus est. Quae Caietanus, eadem ante

1 De morib. Ecclesiae, cap. XXXIII.
2 In 2. 2. q. 147. a. 1.

ipsum praeceperat s. Gregorius [1], eaque citata reperiuntur can. *Convivia*, dist. 44. Memoratu vero dignissima sunt, quae sanctissimus pariter ac doctissimus Pontifex alibi tradit [2]. En eius verba: « Necesse est, « ut arcem quisque continentiae teneat, quatenus non « carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque « dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercita- « tione boni operis enervatur..... Unde necesse est, « ut interior homo noster aequus quidam arbiter prae- « sideat inter se, et eum quem exterius gestat, quate- « nus ei homo suus exterior et semper ad debitum « ministerium servire sufficiat, et nunquam superbe « libera cervice contradicat ». Hactenus s. Gregorius. In cuius sententiam loquitur etiam Cassianus [3]. Quin imo s. Basilius [4] reprehendit Monachos, qui in sua corpora adeo saeviunt, ut postea nec lectioni vacare sufficiant, nec misericordiae pietatisque munia perficere. Idcirco praecipit, ut sanitati corporis caute prospiciatur, neutiquam ipsius corporis commodo, sed ut anima corpore uti valeat tanquam idoneo instrumento ad exercitationes caelestis philosophiae obeundas. Hac ratione, sic ille ait: « Temperantia et moderatio ven-

1 Regest. Indict. X. Lib. II. epist. 37. in edition. maur. 52. ad Natalem Episc.

2 Moral. Lib. XXX. cap. 18. al. 14. in Iob. XXXIX, 7.

3 Collat. XXI, c. 22.

4 Constit. monast. c. IV.

« tris optima est, si eam quisque corporis viribus « metiatur. » Concluditque Monachum, qui quantum necesse habet comedit quidem, sed eo consilio comedit, ut et laboribus perferendis par sit et Instituti sui oneribus subeundis, minoris non esse aestimandum eo, qui et abstinentiae simul et laborum patiens sit.

Hinc tertium caput prona deductione consequitur, quod sic se habet. Cum inter eos, qui in sodalitium vitae consortium coiverunt, hic viribus polleat, ille careat; pars prospera, pars adversa valetudine utatur; alios firmet iuventutis robur, alios senectutis languor enervet; quidam in paterna domo molliter et delicate, aliqui contra duriter et laboriose educti sint: negotium sane per quam difficile putandum est, in tanto rerum personarumque discrimine, talem afflictationum mensuram, quae indiscriminatim omnibus apte conveniat, praefinire, calceumque, ut est apud Cassianum [1], pedibus omnibus habilem confingere. Audiamus Basilium fuse et nervose de hac re disserentem [2]: « In vitiis « quidem animi unus continentiae modus est, summa « earum rerum quae ad pestiferam voluptatem ferunt « a nobis alienatio: in cibis autem, quemadmodum alii « aliis necessarii sunt, pro aetate scilicet cuiusque et « studiis, iique apposite ad corporis cuiusque habitu- « dinem distinctis, ita quoque diversa sunt usus illo-

1 De Instit. renunt. L. V. c. 5.
2 Regul. fusius tract. Interrog. XIX.

« rum, modus, ratioque; quo fit, ut regula una omnes « pietatis exercitatores comprehendi non possint. » Cum s. Basilio Cassianus concinit, qui ait [1]: « Super « iciuniorum modo haud potest facile uniformis regula « custodiri, quia nec robur unum cunctis corporibus « inest, nec sicut ceterae virtutes, animi solius rigo- « re parantur; et idcirco quia non in sola fortitudine « mentis animique consistunt (cum corporis enim pos- « sibilitate participant), talem his definitionem tradi- « tam nobis accepimus, diversum quidem esse refe- « ctionis tempus, ac modum, et qualitatem, pro im- « pari scilicet corporum statu, vel aetate, vel sexu; « unam tamen esse omnibus pro mentis continentia « atque animi virtute castigationis regulam. » Eadem fere quoad sententiam habentur apud s. Basilium [2]. Quarum rationum pondere permoti sancti homines praedicti, unaque cum ipsis s. Benedictus (in sua Regula cap. XL, explanata a celebri de Turrecremata tractatu CV, quem ipse super eadem Regula composuit) prudenti Moderatorum caritati modum quantitatemque externae mortificationis determinandam transmittunt. Capite vero XXXIV idem s. Benedictus enucleatius praescriptionem suam explicans sic loquitur: « Sicut scriptum est [3]: *Dividebatur autem sin-*

1 Loc. cit.
2 Const. monast. c. IV.
3 Act. IV. 35.

« *gulis, prout cuique opus erat;* ubi non dicimus « quod personarum, quod absit, acceptio sit, sed in- « firmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat « Deo gratias, et non contristetur; qui vero plus indi- « get humilietur pro infirmitate et non extollatur pro « misericordia; et ita omnia membra erunt in pace. » Nec ob aliam causam in ea Regula, quam Angelus s. Pachomio tradidit, haec legimus [1]: « Concede uni- « cuique ut comedat et bibat pro viribus comeden- « tium: eis quoque manda opera, quae proportione « conveniant ac respondeant, et nec ieiunare prohi- « be, nec comedere. Sic quidem fortibus fortia opera « manda, imbecilla autem et levia iis, qui se minus « exercent et imbecilliores sunt. » Hisce Patriarchis merito addendus est s. Augustinus, qui in sua Regula [2] haec mandavit: « Distribuatur unicuique ve- « strum a Praeposito vestro victus et tegumentum, « non aequaliter omnibus, quia non aequaliter va- « letis omnes, sed potius unicuique, sicut opus fue- « rit. » Et paullo inferius [3] subiicit: « Qui infirmi « sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in « victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum « videri eis, quos fecit alia consuetudo fortiores; nec « illos feliciores putent, quia sumunt, quod non su-

1 Palladius in Histor. lausiaca, c. XXXVIII.
2 Regul. ad servos Dei, §. 1.
3 §. 5.

« munt ipsi ; sed sibi potius gratulentur, quia valent « quod non valent illi. Et si eis, qui venerunt ex « moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid ali- « mentorum, vestimentorum, stramentorum, operi- « mentorum datur, quod aliis fortioribus, et ideo fe- « licioribus non datur, cogitare debent quibus non « datur quantum de sua saeculari vita illi ad istam « descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt « corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequive- « rint. » Atque haec fuit ratio, quare hic praeclarissimus Ecclesiae Pater et lumen certa ieiunia certasque fustigationes in sua Regula imperare noluerit, quamquam in universum cohortetur suos ad carnis contumaciam flagris aliisque poenis conterendam, quod quidem repetit in Sermone XXV *ad Fratres in eremo*. Accedit auctoritas Coriolani augustiniani sodalis, qui sancti Parentis sui Regulam sic interpretatur [1], et Ioannis Trulli Canonici Regularis [2], qui Humbertum insuper citat idem sentientem. Ex quo conficitur, rem, de qua agimus, adeo esse veram, ut non solum mensura compar assignari non possit personis disparibus, quaeque inter se multimodis differunt, sed etiam una eademque persona, pro temporum diversitate, diversitate quoque remediorum indigeat ; atque alterum sit medicamenti genus, quo utitur ad morbum

1 Comment. XXI sub fin.

2 Ord. Canonic. Regular. L. IV. c. 7. §. 4.

praevertendum, alterum, quod adhibet ad expellendum. Et sane aliter se gerere debet, qui suavi consolationis aura defertur, aliter qui moestitiae pondere affligitur; nec minus diversa eorum ratio est, quorum alter rationis imperio subiectos appetitus tenet, alter adversus rebelles animi cupiditates quotidiano bello fatigatur, et modo superior, interdum victus discedit.

Ex tribus hisce sic explanatis capitibus, tamquam ex tribus radicibus illud enascitur, quod proposuimus quarto loco, Societatem nostram in hac religiosae disciplinae parte talem iniisse viam percurrendam, qualem et rationis facula, et Sanctorum monita atque exempla monstrarunt. Etenim quamvis Societas ab ordinariis statisque poenitentiis imperandis abstineat, tamen earum usum valde commendat, et filios suos monet non solum posse, sed debere etiam quamdam poenitentiarum vim suscipere iudicio tamen Superiorum comprobandam. Id videre licet in I cap. Examinis §. 6, et in Constitutionibus, parte tertia, cap. II, §. 5; et parte sexta, cap. III, §. 1. Quod Societas poenitentias certas decernere recusaverit, id suasit difficultas summa, quam supra attigimus, communicandi scilicet cum omnibus, quod nullo modo potest esse commune. Quod vero ad poenitentias exercendas hortetur, subditosque iubeat adire Superiorem, qui aut ratas habeat, quas ipsi peragere animo intendunt, aut alias imponat, quas utiliores ipsis esse in Domino iudicaverit, hoc plane congruens est cum

doctrina Cassiani et sanctorum Basilii et Benedicti, ut supra demonstratum est. Quapropter legimus hoc munus demandari tum Rectoribus [1], tum Praepositis [2], tum tironum Magistris [3]. Et in tertia parte Constitutionum, cap. I, §. 12, iubentur subditi omnes poenitentias quas obeunt, Superiori manifestare, illius ductum sequi, immo libenti animo eas amplecti, quas Superior forte sibi licet immeritis iniunxerit. In sexta vero parte, cap. III, §. 1, ubi sermo est de professis et coadiutoribus formatis, qui tamquam spectatae virtutis homines haberi, suoque ductu et consilio iam posse regi videntur, beatus Parens noster Ignatius hanc de poenitentiarum usu regulam tradit: « Hoc « tamen dicetur in universum, esse quidem animad- « vertendum ne nimius huiusmodi rerum usus tanto- « pere vires corporis debilitet, tantumque temporis « eos distineat, ut deinde spirituali proximorum au- « xilio, iuxta nostri Instituti rationem non sufficiant: « nec contra tanta in illis sit relaxatio ut, fervore spi- « ritus refrigescente, humani ac inferiores affectus in- « calescant. » Haec beatus Pater: qui etiam quoties de poenitentiis sermonem instituit, illud pro certo sumit, earum usum in Societate vigere, nosque suos filios in hac exercitatione froeno potius, quam stimulo indi-

1 Reg. Rector. 31.
2 Reg. 32.
3 Reg. 43.

gere. Atque ne unquam in re tanti momenti segnes restitantesque simus, non semel nos ad poenitentiae studium excolendum cohortatur impense et inflammat. Idcirco nostrarum Congregationum Decreta [1] declarant « non ad singularitatem pertinere, si quis ieiunet « aliis non ieiunantibus. »

Ex dictis perspicue constat discrimen, quod Societatem inter et alios Ordines intercedit, non iam in eo esse ponendum, quod Religio nostra poenitentias non usurpet, usurpent ceterae; sed quod istae ordinarias poenitentias habeant Instituti sui legibus designatas atque praescriptas; Societas contra et ipsas habeat, non tamen Constitutionibus suis impositas, sed Superiorum arbitratu, vel potius caritate prudentiaque imponendas. Proinde in aliis Religionibus lex scripta poenitentias iubet; in Societate lex viva spiransque, hoc est Superior, qui in gubernando Supremi Domini vicibus fungitur. Quae quidem posterior lex multo potior ac tutior est priore, ut dicitur in Authent. [2], *de Consulib.* §. *Subiaceat igitur,* ad finem. Praestantia huiusce legis apparet etiam luculentius ex praeclaris utilitatibus quas parit. Tres potissimum adnotabo. Prima est obsequens Superiori imperanti voluntas: quae quamquam in omnibus habenda sit, tamen in corporis castigatione curiosius servanda est, ut nos Sancti

1 I. Congr. P. E. Decr. XCVI. (*in Ms.* tit. 6. Decr. 17.)
2 Collat. VIII.

commonefaciunt. Nam difficillimum esse, aiunt, medium in hac re iter adeo tenere, ut nec per immodicam saevitiem, nec per nimiam indulgentiam erga corpus nostrum de tramite aequitatis deflectamus. Haec certe fuit sententia s. Benedicti [1], haec s. Bernardi [2], haec Cassiani [3]. Et beatus Pater Theodorus Studita, vitam [4] exponens sancti abbatis Platonis, ait: « Extenuatio corporis ....., sobrietas in vigi-« lando ....., humi cubando se affligere ..... » et huiusmodi « ipsa quidem per se laudabilia esse con-« cedet aliquis, sed nihil tamen expedire, imo vero « et ruinae causam illi esse affirmamus, qui suo ar-« bitrio in his faciendis utitur, nisi eius, qui praeest, « ductu et regula dirigatur. » Nec modo absimili loquitur s. Basilius [5]: « Vera et perfecta obedientia, « ait, subiectorum erga Moderatorem in eo cernitur, « si quis ex eius consilio non modo a rebus flagitio-« sis abstineat, sed si ne ea quidem, quae laudabilia « sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia « et omnis corporis incommodorum perpessio utiliter « haec quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis

1 In sua Regul. cap. XLIX.

2 In Cantic. serm. LXXI. §. 14.

3 Collat. IV. cap. 20.

4 Haec vita reperitur adiecta Historiae lausiac. Palladii impressae Parisiis, 1570.

5 De institut. Monach. serm. (II); in edit. recent., serm. ascet. (II), §. 2.

« propriae obsequens voluntati, spretis consiliis An-
« tistitis sui, id facere voluerit quidquid ipsi libitum
« sit, hic plus erit quod faciet mali, quam quod
« boni. » Postremo audiamus s. Bernardum 1, ita dicentem : « Ne incurrat qui currit, illuminari necesse
« est lumine discretionis, quae mater virtutum est,
« et consummatio perfectionis. Haec nimirum docet,
« ne quid nimis ..... At vero quia omnino rara ista
« avis est in terris, huius discretionis locum in vobis,
« fratres, suppleat virtus obedientiae, ut nihil plus,
« nihil minus, nihil aliter quam imperatum sit, facia-
« tis. » Secunda utilitas est hac eadem viva lege consuli necessitatibus tum animae tum corporis, quibus premitur quisque ; periculumque adimi, ne per excessum neve per defectum peccemus. Quod certe praestari non potest lege mortua et generaliter perlata. Nam ut apposite admodum dicit s. Basilius : « Quae
« unumquemque singillatim attingant Constitutio com-
« plecti non potest, sed ea tantum quae e communi
« quadam doctrina dependent ». Quae verba hausisse videtur Basilius a iuris consultis 2 docentibus : Leges non posse casibus particularibus providere. Tertia utilitas est, per eamdem legem caveri, ne quis a regularum imperio solvatur aut eximatur. Quae cautio profecto adhiberi non potest, cum regula generalis et

1 In Circumcis. serm. III, §. 11.
2 Digest. L. I. tit. 3.

par imparibus personis observanda proponitur. Quod sane incommodum nemo iudicaverit ita leve, ut negligi debeat. Nam cum dispensatio relaxatio iuris sit, et quaedam veluti plaga iuri ipsi inflicta, illud naturaliter usuvenit, ut religiosa disciplina multis dispensationibus senescat et langueat. Quocirca sacrosancta Tridentina Synodus praecipit, ut dispensationibus, quam maxime fieri potest, temperetur [1]. Quare non immerito aliqui contendunt longe minus dedecere, si quis Religiosus secundum Regulam bubula vescatur, lineasque vestes induat, quam si quis praeter Regulam cultu eodem utatur, seu sponte sua id faciat, seu ordinaria dispensatione, seu demum nimia indulgentia Moderatorum et incuria.

Meum non esse arbitror oratione persequi poenitentiae opera, quae in Societate peraguntur, rigidiora fortasse, quam praedicat vulgaris opinio. Ipse enim unus sum de Societate; et laus, ut est sermone tritum proverbium, *in ore proprio sordescit*. Ceterum quoniam huiuscemodi opera extra omnem dubitationis aleam posita sunt; et plures, qui nos nostraque sciunt, impune me abire non sinerent, si falsa venditarem; disputatioque praesens postremo id me penitus silere non patitur, aliqua decerpam de multis, quae aspirante propitii Numinis gratia in Societate fieri solent. Aliqua, inquam; nihil enim dicam de mensa nobis

1 Sess. XXV, cap. 18. de reform.

apposita: quae tametsi ad vires reparandas sufficiat, tamen nihil praefert adeo exquisitum, ut a paupertate abhorreat, pauperesque Dei famulos dedeceat. Atque haec constans vivendi ratio, si fidem s. Basilio et Cassiano adhibeamus, plerumque multo utilior est et tutior, quam ieiuniorum asperitas et diuturnitas. Nihil praeterea dicam de abstinentia aliisque ieiuniis, quae per anni decursum apud nos factitantur: nihil de domesticae supellectilis vilitate: nihil demum de privatis vitae commodis, quae singulis nullo aut aetatis aut doctrinae aut aliorum meritorum respectu interdicuntur. Illud, quod magis heic attendatur velim, sunt cilicia et flagra, quorum usus in Societate Superiorum iussu compescendus est, non adhortationibus acuendus. Complures egomet vidi aut vitam voluntariis cruciatibus finiisse, aut membra ita male mulcasse, ut ad ministeria nostra absolvenda inutilia instrumenta evaderent. Hisce adde verberationes, quibus alii in coenaculo, inspectantibus sociis omnibus, saevum in modum humeros foedant atque contundunt. Adde humilitatem aliorum, qui exemplum divini Magistri sequentes assidentium Patrum Fratrumque pedes exosculantur. Adde incommodum non sane perleve tum eorum, qui vel humi sedentes vel genibus innixi cibum capiunt, tum aliorum, qui circumeuntes mensas frusta panis obsoniique emendicant, eisque tantummodo se nutriunt. Nec tacendi sunt illi, qui, confessione defectuum suorum propalam facta, veniam implorant, ora-

tionumque subsidia a Fratribus ad emendationem efflagitant; quae quidem a nobis Religiosis praestanda esse monent sancti Basilius [1], Dorotheus [2] et Bonaventura [3]. Iam haec omnia satis ostendere videntur commune vitae genus, quod in Societate transigitur, non esse adeo lene, ut nonnulli dictitant. Scio equidem Religiones alias nos anteire ieiuniorum et cruciatuum asperitate. Fatendum tamen est, non ita nos relinqui in hoc stadio, ut non contendamus et ipsi currere, saltem quantum fas est, ad metam Instituti nostri pertingendam; quae meta in eo est, ut cum quovis hominum genere conversemur ad eorum animas aeterna beatitate donandas.

In septima Synodo generali [4] legimus eos, qui lucrandis fratrum animabus operam impendunt, recedere non oportere a communi exterioris cultus forma. Id Christum Dominum in terris degentem docuisse; qui communem vivendi ritum amplexus carnibus vescebatur bibebatque vinum, ut hac victus morumque similitudine magis ad se alliceret popularium animos, iisque aeternae vitae pabulum commodius ministraret: *Omnibus* proinde *omnia factus,* ut de se loquitur Pau-

1 De instit. Monach. serm. (I); in edit. recent. serm. ascet. (I) ad fin.

2 Doctr. VII. de accusat. sui ipsius.

3 Specul. discipl., part. I. c. 10.

4 Seu Nicaen. II. can. 16.

lus Apostolus [1], exemplum divini Praeceptoris sui, longo licet intervallo, secutus. Itaque cum, ut ait s. Thomas [2], huiusmodi vitae ratio mirifice fini tam praecelso conduceret, Salvator noster nihili faciebat invidorum obmurmurationes dicentium: *Ecce homo vorax et potator vini* [3]. Hoc vero dicebant, ut observat s. Augustinus [4], non quia largiter epulis indulgeret, sed quia id comederet biberetque, quod communiter alii, quamquam moderatissime. Ideo s. Thomas [5] sic concludit: « Qui cum aliquibus conversatur « convenientissimum est, ut se eis in conversatione « conformet, secundum illud Apostoli [6]: *Omnibus « omnia factus sum.* »

Haec arbitror sufficere posse ad diluenda Societati obiecta quoad ieiuniorum et poenitentiarum usum. Quae quidem et collaudat Socictas et admiratur in aliis Religionibus. Ad se tamen quod attinet, ob rationes modo allatas iudicavit melius sibi expedire illud vitae genus, quod suscepit, susceptoque pergit insistere.

Sed et aliud possem adiungere, carnem videlicet non corporali solum maceratione edomari, verum mul-

1 I. Cor. IX. 22.
2 3. p. q. 40. art. 1.
3 Matth. XI. 19.
4 Contr. Faust. Lib. XVI. c. 31.
5 In quaestione superius citata 40. art. 2.
6 I. Cor. IX. 22.

to magis etiam internis animae exercitationibus, hoc est, imperata obedientissime faciendo, animum a terrenarum rerum cupiditate sevocando, et in coelestium contemplatione figendo, Sacramenta rite et quotidie usurpando, actiones saepe per diem ad officiorum trutinam exigendo, corporis sensus severe coërcendo, rebelles tandem concupiscentiae motus comprimendo propriamque voluntatem abdicando, in qua abdicatione, teste s. Bonaventura [1], religiosa perfectio tota consistit. Atque hoc adeo verum est, ut s. Ioannes Climacus [2] definiens Monachi vim atque essentiam dicat, eam nihil esse aliud, quam perpetuam adversus naturales appetitus luctam, et custodiam sensuum numquam intermissam. In hac vero interioris mortificationis parte quantum Societas proficere studeat ne ea quidem, quae minimi momenti esse videntur, parvi pendens, praestat, ut alii oculis cernant, quam ut ego litteris consignem. Verum ne omnino taceam, illud dicam, quod in comperto apud omnes est, plerosque nostrorum hominum cursum vitae ante senectutem conficere, complures assidue morbis tentari, adolescentes ipsos non paucos aetatis robore amisso immatura admodum morte interire; idque ob nullam aliam rationem, quam quod mortificationi tum inter-

1 Specul. discipl., part. I. c. 4.
2 Grad. I. 6.

nae tum externae immodice indulserunt. Haec enimvero satis superque respondent rationibus iis, quas adversum nos afferri initio huius capitis docuimus. Cum enim rationum istarum summa hoc velit, ut nos magnam existimationem de corporalibus poenitentiis concipiamus, haec existimatio, Deo favente, non modo viget in Societate, sed viget etiam haud mediocriter earumdem usus. Haereticos autem nihil moror; siquidem recte intuentibus tum quae Societas agit, tum quae docet adversum Haereticos apparebit, opera nostra non minus, quam nostram doctrinam pravitati haereticae summopere adversari.

CAPUT IV.

Cur Societas chorum non habeat.

Multi pariter Societatem coarguunt, propterea quod chorum non receperit, ubi Dominum nostrum laudet, Horasque canonicas cantet ceterarum Religionum more. Rationum momenta, quae contra nos adducunt, haec sunt praecipua.

Prima ratio est aliorum Ordinum consuetudo: quae, cum universalis sit, duo probat; et eam esse laudabilem, et quod ab ipsa recedit, tamquam novum et suspiciosum habendum esse.

Secunda est, Religionem, quae chorum non habeat, vix dignam esse, quae hoc nomine appelletur. Haec Soti [1] sententia sic videtur confirmari posse. Cum ex una parte virtus, quae religio nuncupatur, Deum intueatur, et in eo colendo adlaboret; ex altera Religiosorum status sit veluti quaedam a terrenis bonis abalienatio, ut hisce vinculis expediti Deo unice vacare possint, atque ob eam maxime rationem hic status Religio vocitetur: sequitur, eumdem (si re velit esse Religio, non nomine tantum) choro non posse carere, cum chorus ad id institutus sit, ut supremae Dei Maiestati debitus cultus exhibeatur.

1 De iustit. et iure Lib. X. q. 5. a. 3. circa fin.

Tertia est, Societatem, ut in capite II explicavimus, Religionem esse Clericorum regularium, non autem Monachorum. Iam vero docet sanctus Thomas [1] hoc inter Canonicos regulares et Monachos interesse discrimen, ut ex vi Instituti sui debeant illi divina officia accurare et celebrare, Monachi contra in contemplationem incumbere. Unde eruitur, Societatem, quae Clericorum, ut diximus, Religio est, teneri magis ad chorum habendum, divinaque officia in eo peragenda, quam reliquos Ordines, qui clericales non sunt, sed qui ex Monachis constant et Coenobitis.

Quarta ratio ex eo desumitur, quod Societas caritate et largitate Fidelium alitur. Aequitatis igitur ratio postulat, ut tanto beneficio eo, quo potest, modo gratiam rependat. Nullus autem modus esse potest acceptior, quam ut ipsa chorum frequentet, ibique pro bene de se meritis supplicationes fundat, ut mos est apud alias Religiones. Et certe ob hanc etiam causam christianus populus alimenta Religiosis suppeditat, ut scilicet ipsi deprecatores pro eo ad Deum accedant.

Quinta est, chorum Societati ipsi non parum prodesse. Cum enim in Societate multi necessario esse debeant, qui aut laboribus fracti aut senecta confecti impares evaserint vel Confessionibus excipiendis, vel concionibus habendis, vel disciplinis tradendis, nihil isti nec utilius nec sanctius praestare possunt, quam

1 2. 2. q. ult. a. 8. ad 2.m

ut laudes Deo in choro persolvant. Aliter desidia et otio tabescerent detrimento Societatis ipsius haud sane levi.

Ut satis rationibus obiectis faciam, primum omnium dicam non ita verum esse, quod Societas chorum non habeat, ut eo omnino careat. Non habet certe ordinarium et quotidianum chorum, ut aliae Religiones, sed aliqua sibi chori munia assumpsit, quae fini suo congruerent. Sic Hebdomadae Maioris divina officia concelebrat: sic in pervigilio Nativitatis Christi Matutinum beatissimae illius noctis nascenti Domino concinit: sic diebus festis, cum pomeridianis horis habetur in templo ad populum sermo, Vesperas etiam cani voluit; pluribusque in locis consuetudo invecta est, ut Missae sacrificium solemniter et cum cantu peragatur, cum ante meridiem fit concio. Verum in hac re attendendum omnino est ad id, quod in Constitutione VI Partis, c. 3. § 4. Societati praecipitur, et ad id, quod in subiecta Declaratione adnotatur. In Constitutione iubetur generatim Societas choro abstinere; in Declaratione dicitur Societatem aliqua eorum, quae in choro geruntur, exercere posse; adiecta tamen conditione, ut haec animarum bono conducant: puta, si populus hisce piis velut illecebris captus detineatur ad verbum Dei audiendum vel confitenda peccata. Et quoniam in Germania finis, quem nos intendimus, chori functionibus mirum in modum iuvatur, idcirco Nostri in illa regione choro dant operam, eo tamen

modo et per ea temporum intervalla, quae supra diximus. Itaque quemadmodum Societas haec praestat, quia censet ea fini suo obtinendo idonea, ita ab ordinario choro temperat, quia eum minus accommodum eidem fini suo assequendo iudicat. Atque, ut ratio melius pateat, tria consideranda esse videntur.

Primum, quod si rei naturam penitus investigare velimus, inveniemus plurimum differre finem, quem Monachus respicit, a fine, in quem Clericus tendit. Monachus animae suae negotia solummodo curat: atque ad hunc scopum collineant psalmorum cantus, prolixa oratio, ieiunia, vigiliae aliaque id genus exercitia, quibus perfungitur. Et quo facilius id quod optat assequatur, consortia hominum vitat, rerumque sensibilium oblectamenta contemnit, illud unice et contentissimo desiderio quaerens, ut soli Deo in omnibus serviat placeatque, ut dicit Dionysius [1], et Cassianus [2]. Inde est origo nominis. Graeca enim vox Μοναχὸς solitarium significat, ut in Concilio Nicaeno I habetur, et a Gratiano refertur [3]. Inde est etiam quod olim Monachi vetabantur ecclesiastica munera obire ad spirituale proximorum bonum pertinentia; qualia sunt poenitentiae Sacramentum ministrare, concionari, Fidelium cadavera humare, aliaque his similia perfi-

1 De eccl. Hierar. cap. VI. part. 3.
2 Collat. XVIII Abbatis Piammonis cap. 5.
3 Can. *Placuit omnibus residentibus,* caus. XVI. q. 1

cere. Vetabantur, inquam, ne scilicet alienis a fine suo curis distinerentur, ut videre est in canone citato Concilii Nicaeni *Placuit omnibus,* et in canone Eugenii Papae *Placuit communi* (ib.). Praeterea s. Gregorius [1] sic scribit: « Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis « deservire et in monachica regula ordinate persiste- « re: ut ipse monasterii districtionem teneat, qui quo- « tidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. » Atque his ipsis verbis effertur canon 2. caus. XVI. q. 1. Et s. Hieronymus ad Riparium scribens [2] ait: « Monachus non docentis, sed plangentis habet offi- cium. » Atque haec verba priorem partem constituunt can. 4. ibidem positi. Contra, finis Clerici est, ut ipse non solum sibi, quemadmodum Monachus, verum etiam aliis consulat; hoc est, vitae bene moratae exemplo, oratione, praedicatione divini verbi, Sa- cramentorum administratione populos ad meliorem frugem reducat, ut eruitur e Concilio II Aquisgra- nensi [3], et e libro *Pastoralis curae* [4] s. Gregorii, qui dicit: « Praeconis quippe officium suscipit, quisquis « ad Sacerdotium accedit. » Id ipsum confirmatur eo vel magis, quod Episcopi Apostolorum, Sacerdo-

1 Regist. epist., lib. V. *al.* IV, epist. 1. ad Ioannem Epi- scopum Ravennat.

2 In edit. Vallarsii habetur in Libro contra Vigilant. § 16.

3 Cap. I, can. 8. et cap. II. de vita et doctr. infer. ord.

4 Part. II. cap. 4.

tes Discipulorum personam gerunt. Ita enim scribit s. Clemens ad Iacobum fratrem Domini [1], et s. Anacletus Papa [2], et s. Leo [3], et s. Damasus [4]; idemque meminit Gratianus [5], idem refert Ivo Carnutensis [6] a s. Augustino desumptum, confirmatque s. Thomas [7]. Memorabilia denique sunt illa s. Hieronymi verba [8]: « Alia ..... Monachorum est causa, alia Clericorum. « Clerici pascunt oves, ego pascor, etc. » Et habentur can. *Alia causa,* caus. XVI. q. 1. Huic tamen legi, quae s. Hieronymi aetate adhuc valebat, derogatum est decursu temporis, factaque est copia Monachis sacerdotalem Ordinem suscipiendi, ministeriaque Sacedotum propria exercendi. Ceterum ex dictis aperte consequitur cantum psalmorum in choro (quae quidem actio orationi et contemplationi valde affinis est) convenire Monacho magis, quam Clerico, praesertim si sit Sacerdos. Hinc est, quod olim Ecclesiae Patres caverant, ne diaconis et Sacerdotibus canendi officium committeretur. Notabilia in primis sunt ver-

1 Epist. I.

2 Epist. II.

3 Epist. LXXXVIII edit. ant. Ques. vulg., ad Episcopos Germaniae et Galliae; edit. recent. in Dissert. XI. Quesnelli.

4 Epist. IV, ad Stephan. Archiep. et ad Concilia Africae.

5 Can. *Quamvis Chorepiscopis,* dist. 68., et can. *Chorepiscopi,* ib.

6 Decret. part. VI. c. 11.

7 2. 2. q. 188. art. 4. ad 5[m].

8 Epist. XIV. *al.* I, ad Heliod. § 8.

ba, quae s. Gregorius Papa 1 in hanc rem protulit in quodam Concilio Romano: « In sancta, inquit, Ro- « mana Ecclesia, cui divina dispensatio praeesse me « voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis « exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium can- « tores eligantur, et in diaconatus Ordine constituti « modulationi vocis inserviant, quos ad praedicatio- « nis officium eleemosynarumque studium vacare con- « gruebat..... Qua in re praesenti decreto constituo, « ut in hac sede sacri altaris ministri cantare non « debeant, solumque evangelicae lectionis officium « inter Missarum solemnia exsolvant; psalmos vero « ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos vel, si « necessitas fuit, per minores Ordines exhiberi. Si « quis autem contra hoc decretum meum venire ten- « taverit, anathema sit. » Hactenus s. Gregorius. Docet vero s. Thomas 2 hoc s. Gregorii decretum illo principio, tamquam fundamento, inniti, quod nempe praedicatio et doctrina longe efficacius, quam cantus, pietatis studium foveat: et ideo ait, quibus officium excolendi sacra doctrina Fideles demandatum est, eos ab onere canendi vacuos esse debere, ne in plures distracti curas minus alacritatis ad ea, quae praecipua sunt, exsequenda adhibeant.

1 Regist. epist. Lib. IV. ep. 44.; edit. maur. in Append. ad epist. n. V.; et refertur can. *In sancta Romana* dist. 1.

2 2. 2. q. 91. a. 2, ad 3m.

Sed ex tribus adnotandis ad secundum veniamus. In quo duo veluti pronuntiata divi Thomae diligenter advertantur. Alterum est, quod docere et ad populum dicere ministeria sunt multo praestantiora, quam canere, etiamsi in choro fiat. Alterum, quod ii, qui ex officio saluti animarum operantur vel docendo, vel concionando, debent se a canendi negotio expedire. Ratio evidens est. Semper enim quod minus est maiori est posthabendum; cuius rei documentum satis insigne nobis sancti Apostoli reliquere: qui ut orationi et praedicationi expeditiores navarent operam, septem diaconis temporalium rerum procurationem resignarunt. Nota omnibus sunt verba, quae tunc pronuntiarunt 1: « Non est aequum nos derelinquere verbum « Dei, et ministrare mensis. » Et Paulus Apostolus 2 de legatione, quam a Deo acceperat, loquens aiebat se a Domino missum esse non ad homines Baptismo tingendos, sed verbo salutis erudiendos. Quare aliis baptizandi ministerium transmisit, sibi praedicandi munus optavit; tum quia haec cura potior illa, tum quia multi rite baptizare poterant, sed verbum Dei ministrare aeque rite non poterant. Quocirca iustum minime erat Apostolum in eo ministerio versari, quod multi alii valerent implere; negligere vero id, quod apostolici sui officii potissimum esset.

1 Act. VI. 2.
2 I. Cor. I. 17.

Idem fere sermo mihi videtur posse fieri quoad chorum, quem Societati imponi nonnullis placeret. Nam cum ex una parte multa habeantur monasteria, multae Ecclesiae tum Cathedrales tum Collegiariae, Capellae itidem multae, in quibus ingens vis Clericorum, Fratrum, Monialium magnam diei partem detinetur choro, ubi in hymnis et canticis cum gratiarum actione fructus labiorum suorum supremo rerum Domino persolvit; ex alia vero parte cum non adeo multi inveniantur, qui christianam Catechesim rudi popello explanent, sontes a peccatis absolvant, apud Fidelium conventus sermonem habeant, iuventutem christiana educatione informent, morientibus adsint auxilio, xenodochia et carceres adeant miseros ibi detentos consolaturi; Societas nostra a Deo vocata et electa ad haec et his similia ministeria in animarum emolumentum exercenda iudicavit et ea maxime amplecti praesidia, quibus ad tantum bonum assequendum maxime iuvaretur, nec iis implicari occupationibus, quae tametsi optima in se, vocationi tamen suae minus bene convenirent; praesertim cum alii bene multi non desint, qui cum sui laude Deique gloria istiusmodi occupationibus dent operam.

Tertia demum res, quam sedulo adnotandam puto, est Societatem sub sua signa neminem admittere solere, nisi in aliquo ex tribus gradibus mox dicendis consistere valeat. Primus gradus eorum est, qui in studia litterarum incumbunt; alter eorum, qui in vi-

nea Domini operarios agunt; postremus eorum est, qui rem domesticam curant, adiutores merito dicti, propterea quod adiumento sint primis quidem, ut litteraria, secundis autem ut spiritualia munia liberius et perfectius absolvant. Iam vero quod ministeria ab unaquaque istorum hominum classe peracta consociari non possint cum functionibus chori, ut a ceteris probationibus abstineam, exemplum aliarum Religionum satis luculenter ostendit. Nam apud ipsas 1 immunes a Choro sunt fratres, quos vocant laicos; eximuntur item auditores, lectores, concionatores, alii penitus, ex parte alii. Et ratio in promptu est; studere enim et canere dissociabiles res sunt, nec amice inter se coniurare possunt.

Haec consideranti, immunitatem videlicet a choro, qua apud alias Religiones donantur nonnulli, nec non rationem, qua immunes fiunt, mihi videtur Societas, quae in hac etiam re singularis esse audit et a reliquis Ordinibus dissimilis, nihil ab ipsis re vera differre. Societas enim aliorum Ordinum morem secuta est; et si a choro liberavit suos, ob illa eadem ministeria liberavit, ob quae aliarum Religionum alumni ab obligatione chori solvuntur. Quapropter ista inter nos et Religiones alias dissimilitudo speciosa potius quam vera dicenda est. At enim aditus in Societatem patere

1 Constit. FF. Ord. Praedicator., dist. I. cap. 1.; Constit. alexandrin. FF. Minor., cap. III. art. 2.

poterat quarto hominum generi, cui onus vacandi choro tantummodo imponeretur. Verum hoc consilium plane reiiciendum est, tum quia id Instituto nostro prohibetur, tum quia, ut sapienter monet Caietanus [1], Religiones in proximorum utilitatem institutae duos tantummodo hominum ordines admittere deberent, eos nimirum qui piaculares confessiones audiendo, dicendoque ad populum idonei sint, et eos, qui familiarium more officia administrent. Praeterea si chorum haberet Societas, illud probabiliter sequeretur, ut nos obita ista occupatione partes nostras implesse iudicaremus; deinde ut nemo nos vocare merito posset segnes inertesque, si canendo defatigati nihil aliud ageremus, postremo ut studium in ministeriis Societatis propriis obeundis refrigesceret, finisque, ob quem Deus nos in Ecclesiae suae auxilium vocavit, effectu suo privaretur. Nunc vero cum a choro immunes liberique simus, nullam profecto praetendere possumus excusationem iustam: et si opem, quam per nostra ministeria valemus praestare, petentibus denegaremus, optimo iure capita inutilia vocaremur, indignique essemus, ut Fidelium caritas desidiae nostrae ea alimenta suppeditaret, quae gnavis vineae Domini operariis praebere solet. Hac de re loquentem meis ipse auribus audivi b. Ignatium nostrae minimae Societatis Fundatorem, atque haec praecipue

1 In 2. 2. q. 188. art. 7.

dicentem: se procul dubio inducturum fuisse chorum in Societatem, si genio vel potius si intimo pietatis sensui, quo eum cantus afficiebat, obtemperare voluisset: verum in contrariam abiisse sententiam eo quod caelitus intellexisset Dominum nostrum aliud famulatus genus a Societate exposcere. Una haec ratio, quando ceterae deessent, pio cuilibet et prudenti satis esse deberet. Nam cum Religiones omnes a Deo primario auctore et Parente producantur, naturale profecto est, ut ea fideliter praestent, quae Deus facienda ipsis praecepit, numquam ab illo fine declinantes, ad quem unaquaeque a sapientissimo Conditore ordinata est. Quod vero Deus in re tanti momenti voluntatem suam declaret illis hominibus, quos ad Religiones fundandas tamquam instrumenta assumit, non est cur dubitemus; id enim rationi apprime consentaneum est, ut supra in quarto monito demonstravimus.

Nunc argumentis contra nos obiectis respondendum est. Ad primum dicimus non omnes Religiones habere chorum; aliquas praeterea, quae nunc habent, primordiis suis non habuisse. Deinde observamus sapientiam et providentiam Dei, nullis utique limitibus circumscriptam, procreare posse nova semper religiosae vitae Instituta novasque formas, quae licet in eumdem generalem finem conspirent, in gloriae divinae scilicet propagationem caritatisque perfectionem, tamen peculiaris quidam finis mediaque ad eum

ducentia unicuique proposita sunt, atque haec sancta quidem omnia et perfecta, sed plurimum inter se discrepantia; quemadmodum in primo monito adnotavimus. Postremo animadvertimus solius Apostolicae Sedis esse, ut ibidem monuimus, de hoc peculiari fine mediisque inquirere sententiamque ferre, quemadmodum eiusdem est unius Religiones approbare et confirmare. Atqui Apostolica Sedes Institutum nostrum approbavit, ut ex septimo monito constat. Et ad chorum quod attinet, quaecumque de eo in nostris Constitutionibus statuuntur, ea rata esse voluit, ut videre est in Bullis confirmationis Societatis, et in illa [1], quam Gregorii XIII *motu proprio* et *ex certa scientia* novissime edidit anno salutis MDLXXIII pridie Calendas martias.

Ad secundum argumentum non negamus chorum esse sanctissimam piorum hominum exercitationem, ingens Religionis ornamentum et decus, partem divini cultus nobilissimam: verum ut haec non negamus sic illud asserimus, chorum non adeo esse necessarium, ut sine eo aliquis Ordo non possit esse Religio. Siquidem auctores sunt s. Thomas [2] et Cassianus [3], Religiones institui posse, quae nulla chori obligatione detentae totas actuosae vitae se dedant, exempli cau-

1 *Ex Sedis Apostolicae.*

2 2. 2. q. 188. art. 2. in corp.

3 Collat. XIV, quae est Abbat. Nesterotis, c. 4.

sa, captivos redimant, aegrotis medeantur, in publica vincula coniectis libertatem, sin minus solatia conquirant, aut aliis id genus fungantur misericordibus officiis. Sic ab eadem obligatione solutas videmus Religiones militares; sic in monachalibus ipsis liberantur a choro fratres laici, quos vocant *Conversos*, quamquam professi, et proinde sine controversia Religiosi. Unde concludit Caietanus [1], cui Sotus ipse [2] consentit, concludit, inquam, Religiosos sacris Ordinibus carentes ratione votorum nulla obligatione constringi recitandi Horas canonicas ne privatim quidem, nedum in choro: et si alicubi vigeat huiusmodi obligatio, eam a consuetudine proficisci: ideo cessante tali consuetudine, cessaturam etiam esse obligationem inde enatam. Quare dicendus est Sotus indulsisse potius suo erga chorum studio, quam consuluisse veritatem, quando scripsit Religionem, quae chorum non habeat, vix dignam esse, quae hoc nomine appelletur. Non vidit homo ceteroquin doctissimus, si propositio sua valeret, ne suam quidem Religionem, primis saltem temporibus, Religionis nomine vocandam iure fuisse; cum initia Ordinis dominicani immunia a choro fuerint, sicut auctores gravissimi scriptum reliquere.

Tertio argumento satis respondent, quae in primo monito fuse pertractavimus. Illud solum advertam,

1 In Summ. verb. *Horae canonicae* §. 3.

2 De iustit. et iur. l. X. q. V. a. 3. §. *Post haec autem.*

a sancto Thoma non comparari statum Monachorum cum Clericorum, sed Canonicorum regularium: quod certe idem non est.

Ad quartum respondeo, non solum psalmis in choro decantandis fidelium liberalitates compensari posse, sed multiplici alia ratione, eorum videlicet aut confessionibus aures patienter praebendo, aut spiritualibus aliis necessitatibus subveniendo; tum eosdem vel docendo, vel a vitiis deterrendo, vel ad pietatem excitando. Quae omnia a Societate praestari nemo ignorat. Ideo a Domino dictum est: « Dignus est operarius mercede sua [1]; » et a s. Paulo [2]: « Si nos vobis « spiritualia seminavimus, magnum est si nos carna« lia vestra metamus? » Et: « Qui altari deserviunt, « cum altari participant. » Sic etiam in eamdem sententiam locutus est s. Augustinus [3]: « Si evangelistae « sunt, fateor habent (potestatem vivendi de sumpti« bus fidelium): si ministri altaris, dispensatores « Sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed « plane vindicant potestatem. » Quo Augustini loco utitur s. Thomas [4] ad probandum eos, qui concionantur, Sacramenta administrant, scientiae ad bonum commune vacant, spontanea fidelium largitione sustentari debere.

1 Luc. X. 7.
2 I. Cor. IX. 11. 13.
3 De oper. Monach. cap. XXI.
4 2. 2. q. 187. a. 4.

Ad ultimum argumentum dicimus rem quamlibet, de qua aliquid statuendum est, spectari oportere, quatenus est in se, non quatenus mutationibus affici potest. Hinc est, quod Moderatores nostri, sedulo explorantes eos qui in Societatem cooptari desiderant, illud unice inquirunt, num Candidati habiles suo tempore evasuri sint ad ministeria Societatis propria exercenda. Etenim, ut apposite admodum dixit Caietanus, cuius supra meminimus, Religionibus ad verbum Dei Sacramentaque populo ministranda natis duas tantum hominum classes adscribi debere, alteram eorum, qui apostolicis ministeriis operantur; alteram eorum, qui famularibus laboribus adiumento sunt prioribus ad spiritualia munia facilius liberiusque persolvenda. Quod si hoc accidat, ut aliquot in Societate desidem vitam exigant, id adversae eorum valetudini tribuendum est; nam si prospera uterentur, haudquaquam otiosis esse ipsis liceret. Ceterum non video quo pacto sanitate et viribus destituti interesse possent choro, cum chorus, si rite eius servitium obeatur, nec vires exiguas, nec mediocrem laterum firmitatem exposcat.

CAPUT V.

Quare Societas a sacris pompis abstineat.

Quae proximo capitulo disputavimus de choro nos admonent, ut pauca etiam dicamus de sacris pompis deducendis, a quibus conqueruntur nonnulli Societatem non laudabiliter abstinere. Nam huiusmodi pomparum celebratio ritus est et ad divinum cultum maxime pertinens, et ad venerationem rebus sacris conciliandam invectus, ideoque ab aliis Religiosis receptus. Quapropter Societas melius sibi proximorumque bono consuleret, si aliorum vestigiis insisteret, ostenderetque se esse membrum non absimile a reliquis Religiosae Reipublicae partibus. Hoc denique modo desineret singularis videri et dici.

Ad haec respondeo primum non omnes Religiones ad pompas procedere gravissimis licet causis indictas. Nam in istis desiderari videmus Cartusianos, Benedictinos, Cistercienses, Hieronyminos, multas praeterea ex monachalibus familiis, in Hispania saltem; et in Italia tum Theatinos (Clericos Regulares et ipsos, quamvis a nobis oppido diversos), tum alios Religiosos Clericos. Hi omnes nimirum a solemnibus pompis pontificio privilegio eximuntur, quemadmodum et eximitur Societas. Hoc autem privilegio utitur Societas ob duas potissimum rationes. Prima est,

nostros ministeriis plerumque suis plurimum occupari: porro longe maius et Deo obsequium, et animabus emolumentum conquiri hisce ministeriis vacando, quam pompas adeundo: praesertim cum nec abundent, qui praedictis ministeriis abundent, et pompae iis maxime diebus celebrentur, quibus fideles ad poenitentiae tribunal et ad sacros oratores audiendos frequentissime confluant. Haec praecipue fuit ratio, qua permotus Gregorius Papa XIII Societatem a publicis supplicationibus frequentandis liberavit Brevi 1 emisso anno salutis MDLXXVI postrid. Id. Iul. hisce verbis: « Nos igitur, qui praefatos presbyteros « et Religiosos dictae Societatis a studiis, lectionibus, « praedicationibus, confessionibus audiendis, et aliis « verbi Dei ministeriis ac pietatis operibus, quibus « continue laudabiliter incubuerunt, et incumbere « non desistunt, quavis ex causa distrahi nolumus; « considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Or- « dines Religionum, qui vel ex instituto vel absque « propriarum functionum impedimento supplicationi- « bus huiusmodi interesse, aliaque publica divina of- « ficia exercere sancte continenterque valeant, in « praemissis opportune providere, ipsosque Praepo- « situm, presbyteros et eorum singulos specialibus « favoribus et gratiis prosequi volentes ..... Motu « proprio ..... ab interessentia supplicationum, seu

1 *Quaecumque sacrarum*, §. 3.

« precum aut processionum huiusmodi, apostolica « auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eximimus « et liberamus. »

Secunda ratio est, Societatem Religionem Clericorum esse: Clericos autem in pompis praeferri solere religiosis cucullatorum coetibus: id vero Societati causae fuisse, cur duo pariter timeret; ne Clericos videlicet offenderet, si novissimum in pompis teneret locum, tamquam Religionum novissima; et contra ne Religiosos asperaret, si tanquam Clericorum Religio locum inter Clericos sibi deberi contenderet. Itaque ut in re minime necessaria querelarum causas praecideret, abstinendi a pompis consilium cepit. Rationem, de qua agimus, nemo erit, credo, qui parvi pendat; cum ea Legatis Apostolicae Sedis, qui Tridentinae Synodo praefuerunt, maxime probabilis visa sit. Nam cum Legati decrevissent P. M. Didacum Laynez Societatis nostrae Generalem praeponendum esse, ut Clericum, Religionum Generalibus, qui Clerici non sunt; idque hi gravatim ferrent eo quod suae Religiones longe antiquitate praestarent Societati, in re satis perplexa visum est Legatis ipsis uti hoc temperamento; ut Generalis noster primas teneret assidendo, tamquam Clericus, sed in ferenda sententia omnibus posthaberetur, tamquam recentioris Religionis Generalis. Hoc modo provisum est et Ordinis Hierarchici conservationi, et iustis aliorum Ordinum postulationibus.

Subinde tamen contingit, ut ob gravissimas et universales causas supplicationes publicae indicantur. His vero interesse per decreta Congregationum nostrarum [1] licet nobis, sed ita interesse, ut album amiculum velut Clerici induamus, et, si Religiosi alii Ordines convenerint, teneamus locum digniorem humilioremve, prout praesidibus placuerit assignare. De his enim Societas nihil laborat. Ceterum difficultatem rationis, quam indicavimus, nemo non sentit; ideoque omnes non indigne patiuntur, ut nos privilegio utamur a Sede Apostolica concesso. Philippus II, Rex gloriosissimus, et re multo magis, quam nomine Catholicus, vir praeterea multa apud omnes singularis prudentiae laude conspicuus, iudicavit non expedire ut nostri ad eam procederent celeberrimam pompam, quae Toleti urbe Hispaniarum nobili habita est anno salutis MDLXXXVII, cum eo transveheretur beatae Eleucadiae corpus. Quam quidem pompam regia Philippi Maiestas una cum filiis et sorore Maria Austriaca Imperatrice auxit praesentia sua collustravitque. Item quiescere nos voluit idem Rex, cum ob nuper declaratam Vaticani oraculo sanctitatem Hyacinthi dominicani sodalis religiosissima aeque ac splendidissima per Matritum urbem pompa duceretur. Nec alia ratio movit Regem, quam ne querelis et offensionibus, quas supra attigimus, ansa prae-

1 Congr. III, can. 10.

beretur. Quod si aliquando nostri ad supplicationes publicas prodierunt etiam postea quam privilegio donati vacatione uti poterant, non in ultimis causarum ea fuit, quia soli processerunt sine alio comitatu, periculumque proinde abfuit, ne fastidiosae de loci praelatione contentiones orirentur.

CAPUT VI.

Cur Societas ob sua ministeria stipendium renuat.

Displicet etiam multis illa Societatis Constitutio, qua nos stipendia pro ministeriis nostris recipere vetamur. Quae quidem stipendia, aiunt, sicut fideles pie impertire solent sacrarum rerum administris, sic isti iure et laudabiliter accipiunt, non ut spiritualium rerum pretium (quod minime licet), sed ut necessitatum suarum levamentum : nam, ut diximus, cum de choro sermonem haberemus : « Dignus est operarius mercede sua [1] ; » additque Apostolus [2] : « Qui altari deserviunt, cum altari participant. » Quare Societas dum trita semita relicta novam ingreditur, hoc est, dum ab aliarum Religionum consuetudine discedit, eam quodammodo improbare videtur. Contra ea si animum induceret id facere, quod alii Religiosi facere

1 Luc. X. 7.
2 I. Cor. IX. 13.

non dubitant, incommoda non certe parva declinaret. Nam Societas ex una parte profitetur vitae suae sustentationem piis fidelium liberalitatibus debere: certum est ex alia fidelium charitatem deferbuisse, eorumque manus ad largiendum torpuisse. Accedit, quod annona in dies magis ingravescat, infirmaque non solum corporum, sed animorum etiam habitudo exquisitiore cibo indigeat. Haec cum ita se habeant, si exemplo aliorum Ordinum inhaerens Societas stipendia spiritualium laborum suorum oblata acciperet; cum satis commode prospiceret necessitatibus vitae, tum molestissimis expediretur curis victum sibi per alias multo perplexiores vias comparandi.

Ad haec ut respondeam, dico in primis verum esse, Societatem nullum pro remuneratione ministeriorum suorum stipendium admittere etiam ultro oblatum: ipsam dare gratuito, quod gratuito ei a liberalissimo Domino collatum est. Sic enim praescribitur in Bullis suae confirmationis et in Examine [1] et in Constitutionibus [2]. Ratio est, quia nostri se ita gerentes et in laboribus, quos suscipiunt, puriore in Deum intentione feruntur; et labores ipsi longe utiliores proximis accidunt, quippe nulla non solum avaritiae labe, sed ne labis quidem suspicione in-

1 Cap. I. §. 3.

2 Part. IV. cap. 7. §. 3. et cap. 15. §. 4.; et part. VI. cap. 2. §. 7.; et part. VII. cap. 4. §. 4.; et part. X. §. 5.

quinati. Quae opinio, mirum quantum ad uberiorem animarum segetem colligendam iuvet. Nec aliter res esse potest. Etenim qui mercedis securus spiritualia tantummodo curat proximorum negotia, hic profecto maxima apud eos valeat oportet et auctoritate ad bonum persuadendum, et libertate ad pervicaciam coarguendam, si ad monita salutaria obsurdescant. Hic enim vere dicere potest cum Apostolo [1]: « Non quaero quae vestra sunt, sed vos. » Insuper vita innocens, ut legitur in Bulla nostrae confirmationis, perturbationibus vacat, serenitati animi gaudet, consolationibus abundat. Quod si finem Societatis intueamur, qui est veluti signum, a quo nunquam deflectere debet cogitationum nostrarum acies, et veluti forma, ad quam media omnino aptanda sunt; si praeterea consideremus temporum, in quae incidimus, perversitatem: facile statuemus, consilium a Societate initum mercedis pro ministeriis recusandae non conveniens modo, sed necessarium prorsus fuisse.

Finis Societati propositus, ut saepe diximus, est, ut fidem ab Haereticis quidem defendat, interque Idololatras inserat; sed non minus ut Sacramentorum pharmaco aliisque Religionis subsidiis curet mortalia ulcera tot fidelium, quorum mores minime consonant cum fide, quam profitentur. Et ad Haereticos quod attinet, isti Sacramenta Ecclesiae nulla esse di-

1 II. Cor. XII. 14.

cunt; perfidiamque suam confirmant pravo sacerdotum aliquot exemplo, qui, ut dictitant, sacras res nundinantur. Mali vero Christiani, quamquam Sacramenta esse credant, ea tamen nullo fructu frequentant, quia nullo pietatis sensu suscipiunt. Iam si fiat, ut aliquis ex sociis nostris de Sacramento poenitentiae sermonem habeat, ostendatque Sacramentum illud a Christo Domino vere institutum, et ad foedas animarum nostrarum maculas detergendas a benignissimo Salvatore inventum; item si de Sacrificio Missae verba faciat, probetque in eo vivum verumque Corpus Iesu Christi in remissionem peccatorum immolari; Haereticus, qui haec audit, ut sibi persuadeat concionatorem non avaritiae, sed veritatis studio ad haec praedicanda moveri, iuverit magnopere concionatoris ipsius abstinentia stipendium quodvis ob suas conciones detrectantis. Quod si nihilominus in sua contumacia perseveret Haereticus (indocile enim et durissimae cervicis est tale hominum genus), hoc tamen commodi consequetur, ut eis pertinaciae suae occasio omnis et excusatio adimatur.

Quae de Haereticis diximus, eadem de Gentilibus dicere possumus, qui profecto assentientur facilius veritati evangelicae, si videant magistros fidei nihil velle aliud aut aliud quaerere, quam ut auditoribus suis lucem vitamque communicent per cognitionem illius, qui totius humani generis lux vera est et vita sempiterna.

Tandem si de Catholicis professionis suae ferme oblitis sermo est, quoties eos ad pium et frequentem Sacramentorum usum adhortamur, nulla certe in eorum animis suboriri poterit suspicio, nos utilitatibus nostris inservire, cum videant non modo nos nullam pro Sacramentorum administratione mercedem exigere, verum et oblatam recusare. Haec itaque praecipua causa fuit, cur Societas ministeria sua voluit esse gratuita. Quae quidem causa tum fine Instituti nostri, tum foeda praesentium temporum corruptione fundatur. Nec iam verum est, quod nonnulli invidiose dicunt, nos hoc modo videri velle ceteris Ordinibus sanctiores. Id enim nunquam venit in mentem Societati, quae semper laudare consuevit, nunquam vero improbare ausa est, quae alii Ordines pro suo quisque fine et moribus facienda sibi esse decreverunt. Nam « is qui manducat, non manducantem non spernat: « et qui non manducat, manducantem non iudicet, » ut ait Apostolus [1], qui in hac etiam re, de qua agimus, doctrina et exemplo suo erudire nos voluit. Alii enim sancti Apostoli aequum censuerant ab iis cibaria ad alendam vitam accipere, quos ipsi vicissim divino verbo pascebant; et a piis mulieribus instrui rebus ad corporis cultum necessariis. Proinde Apostolus [2] dixit: « Numquid non habemus potestatem mulierem

1 Rom. XIV. 3.
2 I. Cor. IX. 5.

« sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et « fratres Domini et Cephas? » Neque id soli Apostoli factitabant, sed ipsorum Apostolorum Dominus, de quo scribit s. Lucas [1]: « Ipse iter faciebat per civi- « tates et castella, praedicans et evangelizans regnum « Dei: et duodecim cum illo, et mulieres..... mul- « tae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. » Contra s. Paulus numquam sibi hoc permisit, quamquam non modo licitum esset, sed honestum, sanctum et a reliquis Apostolis usurpatum. Quin imo adiungit [2]: « Bonum est..... mihi magis mori, « quam ut gloriam meam quis evacuet; » et: « Quae « est ergo merces mea? Ut Evangelium praedicans, « sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar po- « testate mea in Evangelio. » Age vero quid dicemus? Num Paulum fuisse contrarium Petro dicemus? aut reprehendisse alios Apostolos? aut non bene factum duxisse, quod Christus Dominus exemplo suo consecraverat? Dementia esset id affirmare. Alia est igitur ratio; et haec cum sanctis Hieronymo [3] et Thoma [4] aliquanto altius repetenda est. In more apud Iudaeos positum erat, ut religiosae mulieres onus in se reciperent providendi victum vestimentaque animarum pastoribus: quae res utpote longissimo

1 VIII. 1. 2. 3.
2 I. Cor. IX. 15. 18.
3 In Matth. XXVII. 55,
4 P. 3. q. 40. art. 3. ad 2.m

usu probata nemini aut male suspicandi aut obtrectandi materiam praebebat. Patriae consuetudini inhaerentes sancti Apostoli non recusabant necessaria ad vivendum ab iis accipere, quibus evangelicas veritates explicabant, cum inde nullum intuentium animis offendiculum iniiceretur. Verum quoad Gentiles non sic res procedebat. Hi cum assueti non essent praedicatoribus evangelicis audiendis, multoque minus alendis, prudenter timeri poterat, ne vix inchoata eorum labaret fides, et ab amplectenda Christi religione alienarentur, si magistros doctoresque suos sustentare cogerentur. Quapropter s. Paulus ad docendas Gentes divinitus designatus hoc iustissimo licet et honestissimo subsidio vitae carere maluit, quam vel minimam offensionis ansam praebere iis, quos in Christo gignere satagebat.

Id ipsum omnino praestat Societas, ut et Gentiles, quos ad Fidem informat, facilius ad christianam professionem ducantur, et Haeretici minores saltem resistendi veritati causas praetexant, et Catholici libentius et utilius ad Sacramentorum frequentiam alliciantur, cum hi omnes evidenter perspiciant magistros et hortatores suos non propria, sed eorum utilitate moveri, quos edocent et cohortantur. Et quoniam Societas, nulla ratione habita praesentium temporum, quibus et caritas refrixit, et annona incensa est, renuit constanter necessitatibus vitae succurrere captanda laborum suorum mercede, mavultque per alias salebrosiores

vias alimenta sibi comparare, aut etiam iis carere, ut Apostolum Paulum aemuletur, neve finem sibi a Deo praestitutum interturbet: credendum plane est Societatem ipsam iudicasse, hanc a stipendiis acceptandis abstinentiam maxime necessariam sibi fuisse ad id, quod quaerit, assequendum. Quod adeo verum est, ut in secunda Congregatione generali, habita Romae anno MDLXV, multorum Patrum sententia fuerit decernendum esse, quicumque nostrorum stipem pro suis ministeriis captaret, eum violare paupertatis votum, lethalemque noxam in se admittere, ut erui videtur e verbis beati Patris nostri (in primo capite Examinis §. 3.) « sic paupertatem accipiendo ». Et in quinta itidem generali Congregatione, ut sedarentur contentiones a nescio quibus fervidioris ingenii excitatae, haec eadem materies in deliberationem iterum revocata est; reque diu et diligenter agitata et perpensa canonem sequentem fieri placuit, qui Congregationis illius est ratione numeri primus. « Congregatio vehe-
« menter omnibus commendat exactissimam illius gra-
« vissimae Constitutionis observationem, tamquam ad
« maiorem aedificationem, et paupertatis nostrae sin-
« ceritatem ac puritatem retinendam pernecessariam,
« quae habetur Exam. cap. I. §. 3. et Part. VI. cap. 2.
« §. 7. ne pro ministeriis Societatis stipendium, vel
« eleemosyna ulla in compensationem admitti possit:
« ac omnino prohibet, ne ullus Superior, ac ne ipse
« quidem Praepositus Generalis in ea dispenset. »

Dubium non est, eum, qui stipendia pro spiritualibus laboribus suis recusat, satius facere et perfectius, quam qui accipit. Item luce clarius liquet id iure reprehendi non posse, quod melius in se et perfectius est. Hinc s. Augustinus [1] explicans illa verba « dignus est operarius mercede sua », persapienter pro more suo observat non praecipi heic ut merces accipiatur, sed permitti; ut si quis, exempli causa, concionans compensationem aliquam pro concione sua acceperit, nihil aut malum aut illicitum perpetrasse credat; pro certo tamen habeat se rem longe meliorem facturum fuisse, si Apostoli Pauli exempla secutus eam detrectaverit. Hoc idem arguitur ex quadam s. Thomae [2] responsione, in qua sanctus Doctor ostendit, ex eo, quod Apostolus Paulus laboraverit manibus suis, minime sequi Religiosos etiam obligari ad eumdem laborem tolerandum, cum hic labor opus sit, ut aiunt, supererogationis. Citatum s. Thomae locum explanans Caietanus suadet ecclesiasticis Praesidibus, ut ab Ecclesiis suis abigant sacerdotes illos, qui spiritualia bona impertiunt ea mente, ut temporalibus augeantur. Nam etsi severa haec agendi ratio illud efficiet, ut ministrorum copia attenuetur, tamen, ut scite animadvertit idem Caietanus, pauci, qui supererunt, gratuito dantes, quod accepere gratuito,

1 De mendacio, cap. XV. §. 30.
2 2. 2. q. 187. art. 3. ad 5.m

longe ampliorem animarum praedam supremo Domino offerent, quam innumera ministrorum caterva, quibus ovile Christi deglubere potius quam pascere cordi est.

Argumento, quod primo loco nobis oppositum est, respondemus, Societatem, dum ministeria sua humanae mercedis expertia esse vult, non id animo agitare, ut singularis videri velit, multoque minus improbare quod aliae faciunt Religiones, sed ut media adhibeat, quae suaviora simul et efficaciora esse iudicat ad finem sibi a Deo praefinitum obtinendum; studeat praeterea, ut supra dictum est, gloriosi Apostoli Pauli vestigiis fideliter inhaerere. Quamquam abstinentiae, de qua loquimur, socias habet Religio nostra nonnullas alias Religiones, quae Instituti sui legibus vetantur eleemosynas pro celebratione Missarum percipere. Cuiusmodi sunt fratres Discalceati, et Franciscani Recollecti vulgo nuncupati, ut Corduba 1 auctor est. Cui quidem legi, ut idem Corduba scribit, se ob eam causam subiecerunt, ut quodvis simoniacae labis periculum devitarent, paupertatemque purius et perfectius custodirent. Etenim, ut habetur in Tractatu decem plagarum, plaga prima: « Maxi« ma ordinis et regulae puritatis iactura multiplex, « sub praetextu Missarum et eleemosynarum, diabo« lo procurante, et fratrum fragilitate, cupiditate et

1 Expositio Regulae s. Francisci in cap. IV. quaest. 15.

« ignorantia suffragante, subintroducta est. » Magister fr. Ferdinandus de Castillo 1 narrat Stephanum a Vesontione, qui Dominicani Ordinis octavus Generalis fuit, prohibuisse fratribus suis Mediolani theologicas disciplinas tradentibus, ne publicum honorarium reciperent; prohibitionis autem causam fuisse, quod vir religiosissimus persuadere sibi non posset hanc s. Dominici fuisse mentem, ut alumni sui spe temporalis emolumenti alios in divinis litteris erudirent. Addit tamen scriptor, haec se non meminisse perinde quasi nefas esset professores, etiam Religiosos, minerval exigere; verum quamvis liceat accipere, recusare tamen rem esse, ait, excelsioris animi virtutisque solidioris.

Ad secundum argumentum respondemus, Societatem probe noscere, quantum necessitatibus suis levamentum esset eleemosynarum perceptio; sed nolle hoc modo sibi consulere, ne ab Instituti sui fine aberret, neve ad eum assequendum aut impedimenta obiiciat, aut praesidia, quaecumque idonea sint, quantum in se est, adhibere negligat. Confidere nihilo secius, quandoquidem pro amore Domini sui hanc sibi obstruxit viam paupertati suae providendi, eumdem benignissimum Dominum, qui caeli aves, piscesque maris, et terrae animantia pascit, patefacturum aliam

1 Historia de sancto Domingo y de su Orden. Parte I. Lib. III. cap. 55.

sibi viam, qua vitam et spiritum ducere valeat. Nec frustra sane. Experimur enim quotidie, quanta paternae providentiae suavitate subveniat famulis suis liberalissimus universarum rerum Dominus. Haec eadem experientia nos docet et hortatur, ut firmiter in proposito persistamus, spemque in Domini bonitate iactemus; siquidem quae facimus, ea ob illius amorem unice facimus. Ceterum si Deus tentare nos vellet, sineretque nos magna premi penuria adeo, ut nec vitae necessaria suppeterent (quod tamen vix credibile est), tunc ad remedia quidem opus esset confugere, sed quae cum ratione Instituti nostri convenirent, non quae pugnarent.

CAPUT VII.

Cur Societas admittere nolit eos, qui alterius Religionis habitum exuerint.

Inter graviora impedimenta, quae aditum in Societatem intercludunt, unum est; si quis, licet adhuc tirocinium agens, habitum alterius Religionis dimiserit. Quod quidem videtur severe et contra aequitatem omnem statutum esse, ut ex argumentis constabit iam afferendis.

Primum est, iure communi permitti novitiis ab una Religione transitionem facere in aliam. Sic habetur cap. *Consulti sumus,* cap. *Statuimus* cum aliis, de

Regul. Quin imo facultas eadem professis conceditur, dummodo ad Religionem asperioris disciplinae transmigrare velint. Sic dicitur cap. *Licet*, eodem titul. Iam vero quid causae iustae esse potest, cur Societas ianuam illis praecludat, quibus iure communi aperitur?

Deinde Societas hac sua Constitutione, qua reiicit omnes Religionibus aliis iam adscriptos, videtur quemdam prae se ferre earumdem Religionum contemptum.

Postremo illud animadvertendum est, quod s. Gregorius 1 ad Imperatorem Mauritium scribit, contingere videlicet posse, ut quis aeternam salutem consequatur religiosam vitam professus, non vero consequatur religiosae professionis expers. Quo sancti Doctoris principio posito fingamus aliquem, qui alîus Religionis habitum gesserit, vocari a Deo in Societatem; sed gesti habitus impedimento non admitti. Huic profecto periculum imminet ruinam aeternam adeundi, quam probabiliter declinasset, si in Societatem ingressus postulanti patuisset. Quod de Societate diximus, idem fas est dicere de quacumque approbata Religione, ad quam si quispiam a Deo ita vocetur, ut aeterna illius salus ab hac ineunda dependeat, consequitur, ut in certum damnationis aeternae ille adducatur discrimen, si ab eadem Religione excludatur. Quapropter Societatis Constitutio, quae

1 Regist. epist. Lib. III. ep. 65. *al.* Lib. II. ep. 62.

omnes indiscriminatim a se arcet, qui aliis antea Ordinibus nomen dederant, videtur probanda non esse, utpote quae causa esse possit, quare nonnulli sempiterna beatitudine priventur.

Ad haec respondetur tres fuisse rationes, easque e secundo Examinis capite deductas, ob quas noluit Societas inter suos conscribere illos, qui habitum diversae Religionis induissent eo tamen animo, ut Religioni illi accenserentur, non vero eos, a quibus animus hic abesset. Eximendi etiam sunt ab hoc numero Religionum militarium sodales, ii tamen, quos Equites vocant, non vero eorum Capellani, ut habetur can. 5. I. Congr.

Prima igitur ratio est, quod illud maxime prae oculis est habendum in admittendis candidatis, ut signa hi exhibeant non dubia, constantes in eo statu esse futuros, quem amplecti desiderant. Hoc certe requirit s. Basilius [1]. « Profecto, ait, et a nobis praeterita ac-
« cedentium vita est expendenda, et iis, qui quid recte
« iam gesserint, documenta perfectiora tradenda sunt;
« qui vero vel ex prava vita convertuntur, vel ex in-
« differenti statu ad perfectam vitam in Dei cognitione
« sitam transeunt, hos perscrutari par est, nimirum
« qualibus praediti sint moribus, num instabiles, num
« ad iudicia ferenda proni. » Et subdit: « Enimvero
« qui sunt huiusmodi, inconstantiae sunt suspecti. Hi

1 Regul. fus. tract. Interrog. X.

« nempe praeterquam quod ipsi nihil utilitatis capiunt, « praeterea sunt etiam caeteris detrimenti auctores, « sparsis in opus nostrum probris mendaciisque et bla- « sphemiis. » Hactenus s. Basilius. Ratio autem est, quia cum Religio considerari possit velut grave perpetuumque certamen, atque arx veluti quaedam assiduis hostium oppugnationibus petita, magno quidem animo opus est, validisque supernae gratiae adminiculis ad fortiter praeliandum, et ad perseverantiam in finem usque servandam. Qua firmitate animi adeo Religioso homini necessaria carere videtur, qui Religionem, in quam antea ingressus fuerat, postea deseruit (etsi non nego id ob iustas causas evenire potuisse). Etenim metus est, ne, sicut eum prioris Religionis piguit, sic pigeat secundae, in quam cooptari desiderat. Hac de causa veteres Sancti renuebant in suas recipere Religiones illos, qui ab alia discesserant, ut Cassianus [1] testatur his verbis: « Nec quem- « quam patiuntur illis (monasterii vestimentis) adhuc « indui, quem semel ab institutionis suae Regula te- « puisse perviderint. » Et beatus Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus [2] vetat, ne in aliud monasterium admittatur monachus, qui suum semel reliquisset. Imo Imperator ipse Iustinianus [3] ait: « Si

1 Lib. IV. cap. 6.

2 Epist. V. sub fin., in Biblioth. veter. PP. Tom. III. ed. 2. Paris.

3 Authen. de monach. cap. 2. collat. 1.

« quis relinquens monasterium, in quo conversationem « habuerit, ad aliud transeat monasterium. . . . , com- « petens est reverendissimos Abbates non suscipere « eum qui hoc egit. » Denique s. Gregorius [1] (et refertur capite *Ioannes frater,* de Regular.) iniungit: « Mandamus ut ne quem monachum de monasterio « in monasterium temere migrare liceat. »

Secunda ratio est, Societati curae esse, non ut ipsa multa hominum familia abundet, sed utique ut multi Domino famulentur in eo quisque loco, quem Deus ipsi attribuit, atque, ut Apostolus [2] loquitur, perseverans *in ea vocatione, in qua vocatus est.* Optat praeterea Societas, et ex animo optat, ut Religiones omnes florescant tamquam vireta Domini manibus consita. Idcirco hortatur, consiliisque promovet adolescentes, quos in litteris educat, ad amplectendas Religiones, ad quas Spiritu Dei eos agi comperit; nostrique praeceptores labores suos amplo fenore compensatos censent, si hunc ex iis optatissimum fructum percipere valeant. Optat denique, ut sublatis quibuscumque simultatum querelarumque occasionibus concordiam cum aliis Religionibus habeat, cumque ipsis in unum cor animamque unam coalescat. Quippe Religiones omnes eiusdem supremi Domini opera sunt, ipsius tamquam manibus conditae, et sub ipsius vexillis ad

1 Regist. epist. Lib. I. ep. 42. *al.* 40. ad Anthem. subdiac.
2 I. Cor. VII. 20.

debellandas potestates aëreas coactae. Quae cum ita sint, iudicavit Societas, neminem aliorum Religiosorum licet tironum admittendo, duo aeque utilia praestare: primum, ne cui spe Societatem ingrediendi ansa praeberetur desciscendi a priori professione; secundum, ut praeciderentur querelae, quas merito excitare possent Religiones, quasi nos earum spoliis ditescere vellemus. Quocirca scripsit s. Thomas [1]: « Transire de Religione ad Religionem, nisi propter « magnam utilitatem vel necessitatem non est laudabi- « le, tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi qui « relinquuntur, tum etiam quia facilius proficit aliquis « in Religione quam consuevit, quam in illa quam non « consuevit ceteris paribus. Unde in Collationibus Pa- « trum [2] Abbas Nestorius dicit: *Unicuique utile est « secundum propositum quod elegit, ut summo studio « ac diligentia ad operis arrepti perfectionem perveni- « re festinet, et nequaquam a sua, quam elegit semel, « professione discedat.* Et postea subdit [3] rationem as- « signans: *Impossibile namque est unum et eumdem « hominem simul universis fulgere virtutibus, quas si « quis voluerit pariter attentare, in id incidere eum « necesse est, ut dum omnes sequitur, nullam inte- « gre consequatur.* Diversae enim Religiones praeemi-

1 2. 2. q. 189. art. 8. in c.
2 Collat. XIV. cap. 5.
3 Ibid. cap. 6.

« nent secundum diversa virtutum opera. » Hactenus s. Thomas. Quam sancti Doctoris sententiam probabiliorem etiam efficiunt tum offensiones inter Dominicanos et Franciscanos sodales olim coortae, eo quod fratres unius in aliam Religionem pro arbitrio suo transmigrabant, tum decreta ad praecavendas huiusmodi discessiones statuta, ut videre est in annalibus fratris Ferdinandi de Castillo [1]; tum dissensiones satis molestae, quae inter s. Bernardum et Cluniacenses intercesserant; tum lites ab iisdem Cluniacensibus et Cistellensibus initae super Roberti professione, utraque parte virum illum sibi vindicante.

Tertia ratio est, Religionem quamlibet debere conservationem suam coniunctioni animorum, hanc vero animorum copulam proficisci ab unitate seu uniformitate illorum, qui in eadem vivunt Religione. Siquidem uniformitas vel similitudo amorem parit, amor conservationem. Quamobrem magnopere interest, ut omnes non modo idem velint, sed in eamdem omnino animorum consiliorumque societatem coeant. Iam si in Societatem petitores admittantur aliis antea Religionibus conscripti, periculum est ne istiusmodi uniformitas, concordia, amor depereat: nam posito etiam quod nos omnes Societatis homines voluntate atque habitu concordes essemus, opinionibus tamen studiis-

1 Historia de sancto Domingo y de su Orden. Parte I. Lib. II. cap. 71.

que facile dissentiremus. Si quis, exempli causa, fuisset frater Hieronyminus, iudicaret fortasse oportere nos chorum habere, neque hanc divini cultus tam praecipuam partem negligere. Carthusianus contra censeret nos ieiunia tolerare debere, et ab hominum consortio secedere. Discalceatus vero putaret opera poenitentiae impensiore cura nobis esse exercenda, quam litterarum studia. Et sic aliter alii, prout quisque facere assueverat in illa Religione, quam deseruit. Ex quo fieret, ut Institutum nostrum non iam propria et nativa simplicitate niteret, sed esset farrago quaedam ex variis Institutis conflata. Quare, unitate deficiente, tamquam fundamento sublato, fatisceret concordia animorumque coniunctio. Iuverit in hanc rem commemorare, quae scribit saepe citatus fr. Ferdinandus de Castillo 1. Narrat hic auctor aliquot fratres Franciscanos prioris professionis pertaesos in eius Ordinem immigrasse, ibique tot tantasque excitasse turbas, ut eum quam proxime eversionem adducerent. Inito enim consiliorum foedere cum quibusdam illius Ordinis hominibus ingenio et ipsis perlevi regularisque disciplinae impatienti, ut ait idem scriptor, eo progressi sunt, ut Benedictum XII adirent, rogarentque, ut veteribus regulis abrogatis novas mitioresque imponeret. Benedictus, homo sine dubio sanctus, sed qui monachus Cistellensis fuerat, diversae-

1 Histor. nuper cit. Part. II. cap. 50.

que proinde professionis, eorum postulationibus in multam aequitatis speciem compositis haud difficiles aures praebuit, adeo ut timeretur vehementer, ne Ordo Dominicanus aut diffingeretur, aut saltem mutationibus subiiceretur non mediocris momenti. Quod certe accidisset, nisi mors Pontificem intercipiebat. Haec fr. Ferdinandus. Unum ipse adiiciam; Societatem nempe, ut saepe diximus, ad proximorum salutem procurandam institutam esse: ut vero proximi Societatis ministeriis iuventur, referre summopere, nostros in magna apud omnes existimatione versari: existimationem porro levitate minui, ali constantia. Nec sane publicae laudis testimonium deesse potest homini in suscepto semel vitae proposito fortiter perseveranti; quemadmodum deesse illi debet, qui mobilitate ingenii de una in aliam temere transilit Religionem. Atque ut huic capiti finem imponam, referam, quae de hac materia sapienter disputat s. Bernardus [1], vir non sanctitate solum sed multa experientia apprime insignis, divinaeque claritatis face mirabiliter illustratus. « Forte vult aliquis, inquit, de Cluniacensibus « institutis ad Cisterciensium sese stringere pauper- « tatem, eligens prae illis nimirum consuetudinibus « magis Regulae puritatem. Si me consulit, non con- « sulo, si non sane id Abbatis sui usurparit assensu. « Quamobrem? Primo propter scandalum ipsorum

1 De praecepto et dispensat. cap. XVI. §. 46.

« quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere « tutum non est; forsitan enim haec tenere potest, il- « lud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, « qua id saepe quod facile volumus antequam probe- « mus, experti iam nolumus, uno prope momento id- « ipsum et cupientes et respuentes, tam leviter, quam « et irrationabiliter. » Et alibi [1]: « Fratrem Hugonem « de Lausanna ore tuo et nostro spiritu commonemus « non omni spiritui credere, et ne cito moveatur certa « pro incertis deserere, sciens diabolum soli semper « perseverantiae insidiari, quam solam virtutum novit « coronari: tutiusque esse in ea vocatione qua voca- « tus est, simpliciter perseverare, quam sub specie « quasi melioris boni id quidem, quod iam coepit, « dimittere, nec ad id quod praesumit fortassis suffi- « cere. » Et in epistola ad Guillelmum Abbatem [2] haec notat: « Scio quippe nonnullos de aliis et Con- « gregationibus et institutionibus, ad nostrum Ordi- « nem pervolasse, pulsasse, intrasse; qui hoc quidem « agendo, et suis scandala reliquerunt, et nobis nihilo « minus attulerunt, dum quantum illos sua temeraria « discessione, tantum nos turbarunt sua misera con- « versatione. Et quoniam superbe spreverunt quod « tenebant, et temere praesumpserunt quod non va- « lebant; digno Deus exitu eorum tandem patefecit « ignaviam: quia et impudenter deseruerunt quod im-

1 Epist. XXXII.

2 Apologiae §. ult.

« prudenter arripuerant, et turpiter redierunt ad id « quod leviter deseruerant. Cum enim claustra nostra « sui potius Ordinis impatientia, quam desiderio no- « stri expetierint; ostendunt quod sunt, dum a vobis « ad nos, a nobis ad vos instabili levitate pervolantes, « et nobis et vobis, et omnibus bonis scandalum fa- « ciunt. Quamquam ergo nonnullos eorum noverimus, « qui et fortiter Deo auctore coeperunt, et ipso prote- « ctore fortius perseverant; securius est tamen ut per- « severemus in bono quod coepimus, quam quod in- « cipiamus ubi non perseveremus; et hoc pariter « omnes studeamus, quo secundum Apostoli [1] consi- « lium *omnia* nostra *in caritate fiant.* » Demum Augustiniani fratres in Constitutionibus, quas publice ediderunt Salmanticae anno Christi MDXCI, sermonem de iis facientes [2], qui in Ordinem cooptandi erant, sic statuunt: « De Ordinibus fratrum Mendi- « cantium nullus ad nostrum recipiatur, quantumcum- « que extiterit importunus. »

Ex dictis facile fluit ad contraria argumenta responsio.

Et ad primum quod attinet, verum quidem est iure communi concedi novitio initam antea Religionem commutare cum alia, et professo ex mitiori in severiorem transire professionem, verum nulli imperari Religioni, ut novitium recipiat alterius Regulae. Ius

1 I. Cor. XVI. 14.

2 Part. II. cap. 1. Item in edit. romana an. 1625.

enim commune dum istiusmodi transfugis favet, non iniicit vincula Religionum moderatoribus; quibus proinde integrum est admittere eos vel non, prout Religionis bono expedire iudicaverint. Societas vero nostra iudicavit ob rationes modo allatas tales homines sibi non facere; eos idcirco e corpore suo exclusos esse voluit.

Ad secundum dico tantum abesse, ut ad id statuendum adducta fuerit Societas aliarum Religionum contemptu, ut potius eam moverit amor erga illas et observantia; moverit praeterea desiderium, ut eaedem alumnis affluant sanctitate, litteris numeroque praestantibus; utque semina inter se et illas discordiarum e medio tollantur.

Ad tertium respondeo fieri utique posse, ut aliquis salutem non consequatur, nisi statum religiosum amplexus, sicut docet s. Gregorius: credi tamen vix posse eius salutem certae Religioni affixam unice esse. Siquidem Deus ea mente locupletavit Ecclesiam suam pulcherrima Religiosorum Ordinum varietate et copia, ut quisque sibi illud optaret, quod sibi magis convenire iudicaret. Multoque probabilius est Deum statuisse, ut quis aeternae salutis potiatur in Religione, puta, s. Dominici, ad quam primitus vocatus fuit, quam in Societate aut in quavis alia Religione. Quod si voluntas Dei esset, ut quispiam in una potius quam in alia religiosa familia salutem animae assequeretur, tunc pientissimus Dominus pro immensa sua bonitate

ita res disponeret, ut ille ad designatum salutis portum et vocaretur instanter, nec aegre admitteretur. Aditus in Societatem patere potest alicui, qui habitum gesserit alterius Religionis, impedimentum amovente non Praeposito Generali (ad hoc enim iurisdictio Generalis non pertinet), sed Summo Pontifice, aut alio qui delegatam a Pontifice potestatem obtineat. Impedimento ita sublato, et Praeposito Generali censente iustas adesse causas, cur quispiam admitti in Societatem debeat, tum ex Constitutionibus nostris admitti potest.

CAPUT VIII.

Cur Societatis tirocinium ad biennium protrahatur, cum annuum sit aliarum Religionum tirocinium.

Exploratum omnibus est, quod, si Societatem excipias, in reliquis Religionibus tirocinii tempus anni unius spatio circumscribitur: quo quidem tempore tirones Religionem, et vicissim Religio tirones periclitatur. Sic habetur titul. de Regul. in multis capitulis, et praesertim cap. *Ad Apostolicam*. Et quamvis evenerit aliquando, ut annuum tirocinii spatium in breviora tempora contraheretur mutuo novitii Religionisque consensu, postea tamen Concilium Tridentinum [1] iussit integrum plenumque esse debere

1 Sess. XXV. cap. 15. de Regul.

tirocinii annum; professionemque ante expletum illud tempus emissam nullam esse irritamque decrevit. Quin etiam ante illud Concilium eadem praescriptio facta fuerat Ordinibus sanctorum Dominici et Francisci [1] ab Alexandro IV: quam praescriptionem Bonifacius VIII ad omnes Ordines mendicantes pertinere voluit [2]. Societas tamen nec eo contenta sanxit, ut ad biennium probatio novitiorum produceretur; immo, si videretur moderatoribus longiori probationis tempore opus esse, hoc sine haesitatione uterentur. Id constat Exam. cap. I. §. 12, et cap. IV. §. 43; tum Constit. part. V. cap. IV. §. 3. Verum huiusmodi Constitutio minus aequa esse videtur ob sequentes rationes.

Prima ratio est, hanc Constitutionem esse novam, et contra aliarum Religionum usum invectam.

Secunda est, minorem Societati, quam ceteris Ordinibus necessitatem inesse tirocinii tamdiu proferendi. Etenim si Societas biennio exacto ad professionem tirocinio perfunctos proveheret, ferenda esset tanta temporis diuturnitas. Sed cum ad decimum vel duodecimum etiam religiosae vitae annum professionem differat, atque haec tam longa intercapedo veluti altera probatio haberi possit, perspicue hinc consequitur, ut brevius in Societate, quam in ceteris Ordinibus tirocinium esse deberet: siquidem e ceteris Ordinibus abest hoc secundum probationis genus.

1 Cap. *Non solum,* de Regul. in 6.

2 Cap. *Constitutionem,* eod. tit.

Tertia ratio est, tirocinium tam longe protractum causam esse, cur et ingenia hebescant, studiaque iam obita adolescentium, qui Societatem ingrediuntur, ferme inutilia evadant, detrimento Societatis ipsius non modico. Nam qui vel grammaticam edoctus ingreditur, vel logicam, vel theologiam, dum disciplinas illas non modo excolere vetatur, sed plane diversis, orandi, puta, affectionumque corrigendarum exercitationibus vacare, et biennium totoque pectore vacare iubetur, naturale est illud sequi, ut aut omnino, aut magna ex parte ea, quae didicit obliviscatur. Itaque tirocinio expleto studiorum iter remetiri cogetur: quo autem Societatis incommodo, nemo est, qui non videat.

Quarta ratio est, non ingenio solum, sed etiam sanitati male consuli novitiorum saltem delicatiorum: qui, dum immodico spiritus ardore abrepti plus aequo intendunt orationi castigandaeque carni, vires adeo pessumdant, ut aut vitam cum tirocinio finiant, aut resumendis studiorum laboribus impares ineptique inveniantur. Contra ea si et annuum tirocinium esset, vitaeque austeritas, quae tirocinii comes est, angustioribus finibus terminaretur, aut nullam sanitatis iacturam paterentur, aut talem, quae facile reparari posset.

Ut rite intelligantur rationum momenta, quae Societati persuasere, ut biennium experimento tironum assignaret, tria diligenter perpendenda esse puto.

Primum Constitutionem, de qua loquimur, esse perveterem, et frequentissimi usus apud Religionum Patres moderatoresque. Atque ut incipiam ab Essenis, qui inter iudaici populi Religiosos fama sanctitatis clarescebant, scribit Iosephus [1] eos fuisse solitos experiri tam perdiu novitios, ut nisi post triennium omnibus insignibus Ordinis eos ornarent, et in victus conversationisque societatem adsciscerent. Idem refert Eusebius [2] adducta Porphyrii auctoritate. Sed alienis omissis veniamus ad nostros. Cassianus [3] nec tempus determinat ad eorum probationem, qui fieri cupiunt Religiosi, nec exercitia definit, quibus eorumdem constantia exploranda est. Hoc idem eruitur ex s. Basilio [4]. In Regula Pachomio Abbati delata ab Angelo edicebatur, eo usque denegandum esse petenti aditum in Religionem habitumque monachalem, donec triennium exploratus perque omnia tentatus certa vocationis suae documenta exhiberet. Ita refert Nicephorus [5], ita Palladius [6]: et s. Hieronymus e graeco sermone in latinum transtulit hanc eamdem Regulam Pachomio ab Angelo traditam. Unde dignoscere licet quanta olim novitiorum probationis ratio fieret. Nec remis-

1 De bello iud. Lib. II. cap. 8. §. 7.
2 Praepar. evang. Lib. IX. cap. 3.
3 Lib. IV. cap. 3-7.
4 Regul. fus. tract. Inter. X.
5 Histor. eccles. Lib. IX. cap. 14.
6 Histor. lausiac. cap. XXXVIII.

sius eamdem rem urget s. Gregorius 1; qui Siciliae Episcopis scribens praecipit eis, ut probationi nuper memoratae subiiciant illos, qui saecularem militiam cum spirituali commutare, et summo Imperatori Deo in Religione famulari exoptabant. Id refertur a Gratiano 2. Eadem probationis lege comprehendi etiam voluit Moniales 3 Synodus Aurelianensis V. Sed operae pretium est audire verba quae ex Imperatore Iustiniano 4 Ivo 5 componit. Sic enim ait: « Qui monachus fie-
« ri vult . . . non statim monachus fiat, sed per trien-
« nium tonsura quidem et veste laicorum utatur.... Et
« si per triennium talis appareat, ut videatur dignus
« tonsura et veste religiosa, tunc et tondeatur et stolam
« monachicam vestiat. » Id ipsum confirmatur Concilio Toletano, quod idem auctor 6 et Burchardus 7 citant: in quo eadem petentibus Religionem imperantur. Quamquam Gratianus 8 Bonifacio Papae decretum hoc attribuat. Haec autem tum decreta tum exempla clare ostendunt, veteres illos Sanctos ne biennio quidem,

1 Regist. epist. Lib. VIII. ep. 5. *al.* Lib. VII. Ind. 1. ep. 11. Eusebio Thessalon. aliisq. Episc.

2 Can. *Legem*, dist. 53.

3 Can. XIX.

4 Authen. de monach. cap. 1. collat. 1.

5 Decret. part. VII. cap. 153.

6 Ib. cap. 41.

7 Decret. Lib. VIII. cap. 20.

8 Can. *Si quis incognitus*, caus. XVII. quaest. 2.

quo solet Societas probare suos, fuisse contentos, sed triennium ad novitiorum experimentum voluisse. Nihilo tamen secius s. Gregorius, scribens Fortunato Episcopo haec habet inter alia [1]: « Monasteriis o-« mnibus Fraternitas vestra districtius interdicat, ut « eos quos ad convertendum susceperint, priusquam « biennium in conversatione compleant, nullo modo « audeant tonsurare. » Et rationem addit: « Nam cum « grave sit inexpertos hominum obsequiis sociari, quis « possit dicere quanto sit gravius ad Dei servitium im-« probatos applicari? » Et s. Benedictus unum probationi novitiorum annum praefiniit. Quam s. Patriarchae regulam confirmavit s. Gregorius, ut ait [2] Alexander Papa II. Atque huic regulae inhaeserunt aliae, quae deinceps secutae sunt, Religiones. Ex his, quae postremo loco diximus, nemo, credo, erit, qui deducat, Societatem morem novum et inusitatum in Ecclesiam Dei induxisse; cum non modo novus et inusitatus non sit, sed a remotissima Ecclesiae antiquitate et consuetudine petitus. Quod si quis nihilominus biennium nostrum demirari non desinat, quid de Hieronyminis dicet, quorum tirocinium septenne quodammodo est? Nam hi per totum istud tempus licet professi, et sacerdotio aucti magistro novitiorum parere, censoriamque illius virgam pati coguntur.

1 Reg. epist. Lib. X. ep. 24. *al.* Lib. VIII. ep. 23. Refertur can. *Monasteriis*, caus. XIX. q. 3.

2 Can. *Gonsaldus*, caus. XVII. q. 2.

Secunda, cui attendere debemus, res est, totum quidem Societatis Institutum et a compluribus summis Pontificibus, et a sancto Tridentino Concilio approbatum fuisse; sed eam partem, quae biennium tirocinii respicit, peculiari quadam et praecipua ratione fuisse approbatam a Gregorio XIII in sua Constitutione [1] anno MDLXXXIV edita: in qua declarat Societatis alumnos, qui biennio probationis expleto nuncupaverint vota simplicia solita in Societate emitti, vere et proprie esse Religiosos. Atque id ipsum approbaverat ante et confirmarat sancta Synodus Tridentina [2].

Tertia res adnotanda haec est. Cum Institutum Societatis in hunc finem, ut alias diximus, tendat, ut perditos homines e vitiorum coeno educat, Haereticos a perfidia avocet, Ethnicis veritatis semitam commonstret; cumque necessarium sit, ut operarii tot tamque arduis muneribus praeficiendi, homines sint spectatissimae virtutis, ne scilicet, dum servare alios student, perdant se ipsos: prudentissimum sane dici debet consilium a Societate initum protrahendi diutius tirocinium, quam aliae faciunt Religiones, quibus nec idem finis propositus, nec eadem ad peccandum offendicula obiecta sunt. Et quoniam plerumque fit, ut non facile evellantur vitia pravaeque consuetudines anteactae vitae; nec brevi recuperetur, quod longo tempo-

1 *Ascendente Domino*, §§. 17. 18.
2 Sess. XXV. cap. 16. de Regul.

ris tractu amissum est; nec Dei Spiritus aliis communicetur ab eo, qui sibi non habet; nec ignis sine igne accendatur, nec lux nisi a lumine prodeat: hinc nostri homines alte hoc imbibant animo, nunquam futurum esse, ut in aliorum pectoribus divinum amorem excitent mundique contemptum, nisi ipsi prius divini amoris flamma exaestuent, mundique fastum despicatui habeant. Iam vero schola divinae huic sapientiae addiscendae destinata quamquam Religio sit, et praestitutum tempus sit totius religiosae vitae curriculum, tamen tirocinium est veluti quaedam selectior virtutum palaestra, et tirocinii tempus caelestibus hisce studiis longe magis proprium est et accommodatum. Quare pretiosi huius temporis mensura angustis nimium terminis coarctari non debet, si eo tempore sunt, ut vere sunt, solidarum virtutum fundamenta ponenda, bonique habitus in pectoribus inserendi: praesertim cum tirocinio egressum excipiant statim litterarum studia, aliaque ministeria, quae animum a caelestium rerum contemplatione non leviter avertunt. Igitur quanto minus austeritatis in externo cultu praefert vita sociorum, quanto magis dispescunt animum occupationes eorum multiplices sane atque difficiles, quanto graviora eorumdem animabus pericula impendent, tanto magis necesse est, ut in tirocinio perdiu et naviter se exerceant, altiusque, quam fieri potest, fundamenta iaciant, in quibus perfectionis turris firmiter consistere valeat. Hinc est, quod Sanctitas

Gregorii XIII, declarato in sua Constitutione *Ascendente Domino* fine et mediis Societatis, sic loquendo prosequitur [1]: « Ad quae sufficienter, et pro dignitate praestanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictae Societatis Religiosi in huiusmodi discursionibus et ministeriis exponuntur, necesse est, ut ipsi talia obituri magno virtutis et devotionis praesidio muniantur, quod illis gratia in primis omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, nec non regularum et Constitutionum observantia praestare noscuntur. Quibus Constitutionibus, ut tantae ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur, statutum est, ut novitii in Societate biennio probentur. » Hucusque Summus Pontifex Gregorius, qui postea approbat ratumque habet hoc Institutum, atque ut sancte et ad unguem observetur imperat.

Tribus hisce rebus sic explicatis patet responsio ad contrarias rationes. Nam quod Societas de tirocinii tempore statuit, etsi a consuetudine aliarum Religionum differat, non tamen abhorret; congruit autem maxime cum usu, qui olim in Ecclesia Dei obtinebat; necessarium denique est fini et Instituto nostro, quod non solum postulat, ut professio differatur ob rationes suo loco dicendas, sed etiam ut tirocinium longius, quam in aliis Religionibus, producatur ob rationes iam di-

1 §§. 5. 6.

ctas. Verum aliquid aliud adiungendum est. Si enim duorum annorum probatione, eaque aspera, vigilanti, acri nec umquam intermissa, vix homo dignoscitur, cuius cor, ut ait Propheta [1], perversum est, nec investigari potest; si, quod lacrimosius est, videre cogimur nonnullos, post tot etiam tantaque constantiae edita argumenta, propositum deserere, vocationique suae valedicere, hanc profecto in multo pluribus defectionem complorare cogeremur, si brevius esset tempus tirocinii. Quod quidem ob eamdem rationem, ob quam professio in Societate differtur, longius sit oportet, quam in aliis Religionibus, in quibus tirocinio functi nulla temporis mora interiecta ad professionem promoventur. Etenim isti professione, quam faciunt, adeo Religioni suae obstringuntur, ut nullus ipsis licite evadendi locus amplius supersit; nostri contra, qui post biennium tirocinii vota solum simplicia concipiunt, etsi ad perseverantiam et ipsi teneantur, tamen, cum vota ab eis concepta solemnia non sint, in maiori versantur occasione prolabendi, desciscendique a sua vocatione. Quamobrem cum tamdiu professio trahatur, consentaneum rationi est trahi etiam probationem, quo novitius et melius, qui sit, agnoscatur, et altiores solidarum virtutum radices agat. Atque haec mihi videntur primo et secundo argumento satisfacere posse.

1 Ierem. XVII. 9.

Ad tertium argumentum respondemus fieri vix posse, ut res ea proportione ordinentur, ut optime semper sine mutua ulla offensione inter se conveniant; multoque minus interesse, ut nonnulli detrimentum aliquod in re litteraria capiant ob tirocinii diuturnitatem, quam ut ob brevitatem Religiosi evadant Instituto nostro minus idonei.

Quartum argumentum ut solvamus, animadvertimus nulli vel conditioni vitae vel officio incommoda deesse; multosque in iis exercendis sanitatis vitaeque ipsius iacturam fecisse: quam iacturam ludicra etiam, voluptates, delicatior mensa adducunt. Nihil proinde mirum est, sanitati corporis non mediocre damnum creari ex tanta mutatione, quantam nemo esse negabit transitum e saeculi libertate ad asperam religiosae vitae disciplinam. Verum ob hoc Religio dicitur et est status perfectionis et compendiarium quoddam ad caelestem gloriam iter. Quamquam et idem accidere iis, qui ad bella proficiscuntur, vel nautica officia tolerant, vel alia obeunt laboriosa munera, quotidiana nos experientia docemur.

Ceterum novitiorum magistri scient, quae est eorum aequitas et moderatio, scient, inquam, attemperare ita res, ut et regularum observantiam a suis discipulis obtineant, nec graviter sanitati eorumdem officiant.

CAPUT IX.

Cur scholastici, absoluto studiorum cursu, annuae probationi iterum subiiciantur.

Abs re non erit subiicere hoc loco rationem, quare Societas adolescentibus suis, expleto studiorum orbe, tertium annum concedat probationis, in qua tamquam in fabrili officina et abstergeant animos aerugine, si quam forte e scholastico pulvere contraxerint, et virtutes adhuc informatas perficiant perpoliantque. Sic enim legimus in Examine [1], sic in Constitutionibus [2], sic tandem in Constitutione [3], quam Gregorius XIII dedit anno MDLXXXIV, ubi causam huiusce novae probationis afferens ait: « Ut si qua fortasse in re harum virtutum « *(devotionis et humilitatis)* fervor per litterarum oc- « cupationem intepuerit, per earumdem virtutum fre- « quentiorem excitationem, ardentioremque divini au- « xilii invocationem recalescat. » Et sane dubium non est, quin studia, ea praesertim, quae contemplativa dicuntur, mentem veluti absorbeant, venamque piorum affectuum vel deminuant, vel etiam arefaciant. Insuper naturale sciendi desiderium, nobilissimae huius occu-

1 Cap. I. §. 12, et cap. IV. §. 16.
2 Part. V. cap. I. §. 3.
3 *Ascendente Domino*, §. 9.

pationis praestantia et iucunditas, appetentia in pectoribus nostris penitus insita honoris quem parit scientiarum possessio, haec omnia, inquam, hominem mirum in modum invadunt atque arripiunt : praesertim si studia, quae peraguntur, ad Dei famulatum, proximorumque utilitatem dirigantur ; qui duplex finis scholasticis Societatis propositus est. Tunc enim studia, quae hac animi intentione suscipiuntur, consecrari quodammodo videntur : quo fit ut in ea cogitationes omnes incredibili conatu convertantur, hominemque tam vehementi cura distentum oblivio capiat persolvendi orationis pensa, carnem affligendi, vitiorumque germina recidendi. Ideo beatus Pater noster Ignatius haec quondam verba me audiente protulit : gratias se Deo redditurum, si quo spiritus fervore scholastici nostri studia inchoassent, eodem complerent.

Fr. Ferdinandus de Castillo de novitiis agens, haec ait sane memorabilia [1] : « Novitiatus in Religionibus « sunt veluti caminus et incus, quibus ope ignis atque « mallei reducitur metallum ad eam formam quam fa« ber intendit. Ad hoc autem ut novitii efformentur in « novos homines, uti par est, suos habent magistros et « caminum, malleum et ignem, castigationes, exerci« tia, mortificationes. At enim ferrum, vel argentum, « vel chalybs non mutat lapsu temporis formam, quam « prima vice recepit, non contrahitur, nec extenditur,

1 Hist. de s. Domingo y de su Orden, lib. III. cap. 9.

« nec producitur: sed inter homines nihil est suapte « natura permanens, et non raro evenit ut boni ac san- « cti novitii fiant perversi ac mali professi, facile mu- « tantes formam, quam prius habuerunt, iuxta occasio- « nes, quae se se offerunt. Quare in iis Religionibus, « in quibus non est sancta consuetudo eos interdum in « novitiatus caminum reducendi, utile erit remedium « ablegandi eos in ea domo, ubi vigeat clausura et ob- « servantia, et ubi modestia, exercitationes et conver- « satio eorum morbis et relaxationi contrariae sint. » Haec ille. Nec iniuria quidem. Cum enim negotium *lucrandi fratres* eiusmodi sit, ut non tam verbis humanaeque sapientiae praesidiis, quam opere et divinae gratiae munere, nec tam subtilitate sententiarum, quam ardore affectae divinitus voluntatis absolvatur; omnis ratio postulabat, ut qui negotio tam praecellenti operam daret, postquam instructus esset supellectile bonarum litterarum (quarum face tuto ducitur proximus per salutis semitam), repeteret spiritualem officinam, ex eaque prodiret ignita divinae caritatis tela eiaculans, quibus auditorum pectora inflammaret, idque obtineret, quod sola verborum vi obtineri nequaquam potest.

Ob hanc eamdem causam Augustiniani Patres reformationem suorum fratrum aggressi praecipiunt (capit. 8.) ab omni litterarum cultura eos esse amovendos, donec tirones fuerint; admissos deinde ad professionem, qui studiis vacare debebunt, iis non statim, sed

post unius anni decursum applicandos esse. Nimirum Augustiniani hunc ante studia annum ad eum finem praescripserunt, ad quem suum post studia probationis annum Societas praescribit.

CAPUT X.

Cur differatur in Societate professio.

Videamus nunc utrum iustae rationes afferri queant professiones differendi ad eum modum, quo Societas utitur. In ceteris Religionibus novitius, qui annum peregit in tirocinium, et sextum decimum aetatis annum explevit, ex sancti Tridentini Concilii praescripto 1, solemnem professionem emittit, qua in corpus Religionis adsciscitur. In Societate contra, quamquam, ut dictum est, probatio per duos annos teneat, professio tamen differtur, nec duos, quatuorve annos, aut definitum aliud temporis spatium, verum eo usque, donec promovendus ad hunc gradum ea virtutis doctrinaeque documenta praebeat, quibus Superiorum iudicio dignus existimetur, qui ad professionem provehatur. Sed haec agendi ratio nonnullis displicet.

Et primum, cantilenam eamdem canentes, aiunt hanc legem novam esse et contrariam aliarum Religionum consuetudini.

1 Sess. XXV. cap. 16. de Regul.

Dicunt secundo, hac professionis dilatione damno affici non modico eos, qui saeculo nuntium remittunt, et claustra subeunt Religionis. Hi nimirum Religionem ingrediuntur, ut Religiosi sint, et Deo in perpetuum adhaerescant. Id vero professione obtinetur; quippe quae una hominem efficit Religiosum, Deo nexu indissolubili coniungit, et in perfectionis statu constituit. Qui autem professus non est, nec Religiosus vere dici potest.

Dicunt tertio, magnum iniici scandalum intuentibus socium aliquem, qui prius concionabatur, in tribunali poenitentiae perdiu sedebat arbiter a fidelibus conscientiarum suarum electus, aliaque Societatis ministeria exercebat non vulgari operarii solertis existimatione, facta post quindecim aut viginti etiam religiosae vitae annos defectione, procedere per urbis vias habitu atque vestitu clerici saecularis ornatum, et ab illo plane diversum, qui antea fuerat. Quae pessimi exempli res vitari posset, si in Societate professio fieret eo tempore, quo fit in aliis Religionibus.

Dicunt quarto, praeberi hoc modo magnam aegritudinum et molestiarum segetem tum iis, qui sanctioris vitae causa professionem desiderant, eo videlicet animo, ut Deo penitius et constantius adhaereant, tum iis, qui naturae suasu id, ut fere solet, appetentis, quod alii habent, eodem desiderio afficiuntur: maxime cum videant totam Societatis gubernationem penes professos esse, et professionem concedi aliis, qui sibi

nec vitae religiosae antiquitate nec virtute nec doctrina praestant. Atqui dispar in personis tractandis ratio, quae pares esse videntur, querelarum et perturbationum causa plerumque esse solet.

Denique aiunt, parari suspicionibus et obmurmurationibus alimenta; tamquam Superiores personarum essent acceptores, et ad professionem proveherent, quos cariores haberent et sibi obsequentiores crederent, alios vero relinquerent negligerentque. Quantum vero eiusmodi suspiciones, licet falsae, Religionis quieti et prosperitati inimicae sint, dicere non opus est. Quae tamen cessarent, si professio a regulis et statuto tempore penderet, non autem a iudicio Superiorum et voluntate.

Antequam propositas difficultates diluamus, aliqua praenotanda esse duxi; in primis vero, quod Apostolica Sedes instituit et approbavit professionum dilationem. Et ad professionem Societatis quod attinet eiusque dilationem, non modo Apostolica Sedes eam approbavit, verum etiam Tridentinum Concilium [1] specialiter confirmavit. Nam cum in quodam suo decreto praecepisset, ut novitius tirocinio decurso vel ineat professionem vel a Religione amandetur, excipit continuo Societatem sequentibus verbis: « Per haec tamen « sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut pro« hibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta

1 Sess. XXV. cap. 16. de Regul.

« pium eorum Institutum a sancta Sede Apostolica ap-
« probatum, Domino et eius Ecclesiae inservire pos-
« sit. » Quamvis haec contrariis argumentis supra allatis aliisque, si qua sunt, satisfacere posse videantur, tamen quo melius ratio appareat, quae Societatem movit ad differendam eo modo, quo diximus, professionem quatuor potissimum arbitror esse perpendenda.

Prima res est, Societatem multis quidem personarum classibus constare, novitiorum scilicet, scholasticorum, adiutorum temporalium et spiritualium, demum professorum; sed ceteris eminentiorem esse, quam professi constituunt. Ipsi enim e suo, ut ita dicam, sinu procreant Generalem et Assistentes; et Generalis vicissim ex illorum ordine Praepositos eligit domuum professorum, Commissarios, Visitatores, Provinciales. Uno verbo praecipua Societatis administratio professis concredita est, ut patet ex Bullis Apostolicis et Constitutionibus nostris.

Secunda res est, patere insuper ex iisdem Bullis et Constitutionibus, quod professi esse debent homines expertissimae virtutis, prudentia clari, doctrina praestantes, et, ut plurimum, sacerdotes, sicut videre est et in Bullis confirmantibus Institutum nostrum editis tum a Paulo III, tum a Iulio itidem III, tum a Gregorio XIII; et in Constitutionibus [1], et in Examine [2];

1 Part. V. cap. 2. §§. 1. 2. et part. X. §. 7.
2 Cap. I. §. 8.

postremo vero in Constitutione perpetua [1], quam Sanctitas Gregorii XIV promulgavit in confirmationem Instituti Societatis. Ibi Pontifex de hac eadem re agens verba, quae sequuntur, protulit: « Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo volumus « certum seu determinatum esse; sed Constitutiones « ac diplomata praedicta hac etiam in parte omnino « observari volumus et mandamus; quae statuunt se« lectos tantum spiritus et doctrinae viros, et multum « diuque exercitatos, ac in variis probationibus vir« tutis et abnegationis sui ipsorum cum omnium ae« dificatione et satisfactione satis cognitos ad profes« sionem esse admittendos, et denique non nisi cum « Societati vel eius Praeposito Generali fuerit ab eis « plene in Domino satisfactum. »

Tertia res est, tum ex modo dictis, tum ex eo, quod Societas Religio sit non Fratrum sed Clericorum, proficisci quoad professionem discrimen, quod inter nos et alias Religiones intercedit: praeterea non esse tam insolens, nec tam praeter ordinem, ut dicunt, quod professio tamdiu differatur. Etenim si canones recognoscamus veteresque Ecclesiae consuetudines, inveniemus neminem sacerdotio fuisse ornatum, nisi cuius mores et doctrina diu probata et bene perspecta fuisset. Hispaniarum Episcopis scribens Summus Pontifex Hormisdas sic ait: [2] « In eligendis sacerdotibus curam

1 *Ecclesiae Catholicae* §. 11.

2 Epist. XXV. §. 1.

« oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse « convenit, quos praeesse necesse est corrigendis.... « Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui « gubernacula committuntur Ecclesiae. » Et in canone decimo Concilii Sardicensis (quod Concilium approbatum est 1) post ea verba, quibus prohibetur, ne quis nisi gradatim consecretur sacerdos, haec subiiciuntur : « Habebit autem uniuscuiusque ordinis gradus « non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod « et fides et morum probitas et constantia et moderatio possit cognosci : et ipse divino sacerdotio dignus « existimatus, maximum honorem assequatur. Neque « enim convenit, neque scientia et bona conversatio « hoc recipit, ut temere et leviter ad id accedatur. » Ex quibus locis liquet, hoc quondam in more positum fuisse, ut ad sacerdotium provehendi, per gradus et intervalla ad illud proveherentur, eo scilicet consilio, ut illorum virtus diu probata melius innotesceret. Quae quidem probatio ad viginti annos durabat, ut constat ex epistola prima Zosimi Papae ad Isichium, et ex altera Siricii Papae, itidem prima, cap. 9]: quas duas epistolas refert Gratianus 2. Quin ad sacerdotium praesignati a pueritia ad trigesimum usque annum idoneis proludebant exercitationibus ad tantum munus et digne suscipiendum et laudabiliter administrandum. Audia-

1 Can. *Quod dicitis,* dist. 16.

2 Can. *In singulis gradibus,* et can. *Quicumque itaque,* dist. 77.

tur sanctus Leo Papa in epistola [1] ad Episcopos Africae sic scribens: « Merito sanctorum Patrum venera-
« biles sanctiones cum de sacerdotum electione loque-
« rentur, eos demum idoneos sacris administrationibus
« censuere, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis
« usque ad perfectiores annos per disciplinae ecclesia-
« sticae stipendia cucurrisset; ut unicuique testimo-
« nium prior vita praeberet. » Quod vero sanctus Pontifex aetate, quam vocavit *perfectam*, indicare voluerit triginta annorum aetatem, nulla suberit dubitatio perlegentibus distinctionem LXXVIII, et Ivonem Carnutensem [2]. Ratio autem, cur Ecclesia tam diuturnae probationi tamque rigidae inquisitioni subiici iussit eos, qui sacerdotes esse vellent, haec sine dubio fuit: onus videlicet gravissimum illis imponendum praedicandi, docendi, oves pascendi. Ad haec vero rite exercenda nemo non videt spectatissima virtute opus esse. Nam verissime dixit s. Gregorius [3], cum haec verba scitu dignissima pronunciavit: « Ordinate ad ordines ascen-
« dendum est: nam casum appetit, qui ad summi loci
« fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quaerit
« ascensum ». Hic non moror dicere, quomodo Societatis hominibus hoc officium committatur, nec quibus

1 Edit. ant. Ques. 87; ed. nov. ep. XII. cap. 4. Heic exhibetur ut legitur in can. *Miramur tantum*, dist. 61.

2 Part. VI. cap. 29. et 31.

3 Reg. epist. Lib. IX. ep. 106. *al.* Lib. VII. ep. 111. ad Syagrium, Aetherium, Virgil. et Desider.

animi dotibus praediti esse debeant ad illud implendum; opportuniore loco id explicabimus. Nunc quae coepimus persequentes dicimus, non solum Clericos eo modo, quem diximus, probatos fuisse, sed Monachos etiam, si qui eorum sacerdotio cuperent insigniri. Nam licet primis temporibus Monachus sorte sua contentus esse deberet, nec sacerdotium appetere, ut constat ex can. *Hinc est*, caus. XVI. q. 1. et ex epistola s. Hieronymi ad Ioannem Hierosolymitanum nomine Epiphanii perscripta [1], et ex historia lausiaca Palladii [2]; tamen accidebat subinde, ut Monachus aliquis consecraretur sacerdos, sive quia parens destinaretur aliorum, sive aliis de causis. Verum iste etiam ad sacerdotium, nisi diutissime probatus, non admittebatur, ut videre licet in citata epistola Siricii, et in alia Gelasii [3]. Hisce auctoritatibus accedit s. Hieronymus, qui in epistola ad Rusticum monachum ait [4]: « Sic age et vive in mona-« sterio, ut clericus esse merearis. » Et s. Gregorius [5], sic scribit: « Si quis autem et in monastico habitu se-« cundum Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit « conversatus, post praefixa sacris canonibus tempora « licenter iam ad quodlibet ecclesiasticum officium pro-

1 Epist. LI. § 1.

2 Cap. XX. ubi de Macario loquitur, et cap. LIX.

3 Can. *Si quis monachus*, caus. XVI. q. 1.

4 Epist. CXXV. §. 17.

5 Reg. epist. Lib. IV. ep. 44. In edit. maurin. reperiuntur ea verba in Append. ad epistolas n. V in adnotatione *m*.

« vehatur. » Age vero si Ecclesia antiquitus et ea tempestate, qua ipsa florebat, et sanctitatis robore apprime valebat, sic se gerere solebat cum iis, qui in ordinem clericalem cupiebant cooptari, quaero, quanam veritatis specie insolens et novum vocari queat, quod de suae professionis dilatione statuit Societas, cum ipsa sit Religio non Monachorum sed Clericorum, aemularique studeat id, quod Pontifices et canones sanxerunt? Et si Monachi non nisi diu multumque experti et explorati ad sacerdotium provehebantur, cui mirum esse potest, nos hoc idem periculum facere de nostris professis, cum regulariter nemo apud nos professus exsistat, qui prius sacerdos non fuerit?

Huc accedit (atque haec quarta res est, quam diligentius considerare debemus ad solvendam praesentem quaestionem) accedit, inquam, ut quemadmodum peculiares Religionum fines non omnes iidem sunt, sic ne media quidem ad eos obtinendos eadem esse possint. Et sane non omnes, qui mediocri oneri ferendo sunt pares, iidem graviori ferendo pares erunt. Nec cymbula, quae sine periculo paludem vel amniculum tranat, potest successu pari vel fretum transmittere, vel oceano mari se committere. Nam proportio quaedam intersit necesse est inter onera et humeros, inter navigia et maria ab ipsis enaviganda, inter media suumque finem, denique inter industriam dotesque alicuius et rem, quam ipse gerendam assumit. Igitur si nostris hominibus hoc praecipue negotium a Deo commissum

est, ut fidem defendant atque prolatent, ut haeretico resistant, ut ethnicum a *tenebris et umbra mortis* eripiant (quemadmodum Summi Pontifices in suis Bullis declarant, nosque superius [1] memoravimus) quanam, quaeso, vitae integritate, qua virtute, quo solidae scientiae apparatu instructus sit oportet, qui debet per medios basiliscos incedere, et modo tamquam ovem cum avidissimis lupis versari, modo tamquam molossum excubias agere, et eosdem lupos ab ovili dominico depellere? Quanta animi corporisque castitas necessaria est viro apostolico, qui ad barbarorum littora delatus, praeter innumera alia animae pericula, agere etiam et familiariter colloqui cogitur cum mulieribus nudis, effrenis, ne nomen quidem honestatis scientibus, ut eas scilicet ad fidem, honestatem, vitam christiana professione dignam adducere studeat? Quo zelo et caritatis ardore illum inflammari fas est, cui per quam vasta et procellosa maria sunt percurrenda, vita traducenda inter gentes nulla alia re quam habitu corporis a bestiis dissimiles; summa rerum omnium inopia toleranda, pericula quotidie maxima adeunda, munus Apostoli impigre obeundum, sanguis pro fide aequo saltem animo fundendus, tyrannis Satanae evertenda, animae a teterrimis tartarei leonis faucibus extrahendae? Atqui hic est finis, quem Societas spectat; ad hunc educantur eius filii.

1 In *Advertend.*, tertio monit.

Quod si quispiam obiiciat non omnes mitti, nec posse, in tam arduas expeditiones, respondeo verum quidem esse, quod non omnes mittantur, sed omnibus enimvero enitendum esse, ut idonei et digni evadant, qui mittantur. Respondeo insuper Religionis officium esse, ut a fine, ad quem a Deo instituta est, Ecclesiaeque donata, numquam deflectat oculos, studeatque suos ita informare, ut hunc finem consequi valeant. Qui quidem cum excellentissimus aeque ac difficillimus sit, necesse omnino est, ut qui ad eum enituntur probatissimae virtutis multarumque litterarum homines esse contendant. Haec vero virtutum doctrinaeque supellex non facili negotio nec propediem, sed curis laboriosissimis, longissimoque tempore paratur. Ceterum non minus temporis et curarum sibi vindicant alia ministeria, quae inter Catholicos Societas exercet praedicandi videlicet, docendi, aures confessionibus praebendi. Quae si utiliter et magno animarum compendio velis exercere, opus est profecto virtute robusta, scientia solida, eximia prudentia aliisque id genus praesidiis, in quibus acquirendis humanae imbecillitati diu multumque desudandum est. Idque eo magis est necessarium, quo crebriores labendi occasiones Societas habet ob sua tam multa varia difficilia ministeria, et minora possidet munimenta, qualia sunt clausura, poenitentiae ordinariae hisque similia, quibus aliae Religiones ad sui conservationem sanctissime utuntur; coacta nimirum cum perditis hominibus con-

versari, *in medio nationis pravae et perversae* [1] circumagi, periculumque adire prolabendi, dum dexteram prolapsis extendit. En ratio, quare in Societate tamdiu differantur professiones. Quod in aliis Religionibus minime necessarium est, cum fines spectent longe diversos, conservationem sui scilicet, atque profectum. Sed de aliis etiam Religionibus, audiamus, quid dicat Humbertus [2] ubi de eo agit: *Quod novitii non sunt leviter ad professionem recipiendi.* En Humberti verba: « Cum de multis a Deo vocatis « pauci sint electi, non est mirum, si non omnes, qui « probantur, ad professionem admittantur. » Ad nos quod attinet, experientia edocti hoc affirmare possumus, Societatis constitutionem, de qua sermo est, per quam salutarem nobis fuisse. Nam ex quo Societas nostra in lucem edita est (agit autem in praesens quintum supra sexagesimum aetatis annum), nullum benigno misericordissimi Numinis intuitu professum invenies, qui matrem suam deseruerit; nisi forte aliquos, eosque numero admodum exiguo, qui impetrata prius a Praeposito Generali venia ad alios Ordines transierunt. Contra si oculos converteris ad alias Religiones, quantumvis sanctas, et regularum observantia florentes, non paucos deprehendes earum professos, qui votorum religione contempta turpiter e sacris claustris profugerunt.

1 Philip. II. 15.

2 Specul. Religiosor. sive de erud. eor. L. V. p. 2. c. 3.

Quod si prodiret aliquis, qui adversum nos hoc modo disputaret: non omnes profecto in Societate vestra sacerdotes esse possunt, nec tantarum rerum, quantas vos dicitis, ministerio fungi: cur igitur istorum saltem professio certo temporis limite non praefinitur? responderem ad haec, res omnes secundum earum essentiam et naturam esse pensandas, non secundum qualitates extrinsecus acquisitas: dicerem deinde, non tam de privatis aliquibus, quam de toto Societatis corpore cogitandum esse. Praeterea reprehendi merito posset eiusmodi in Societate discrepantia, si alii uno tempore, alii alio professionem facerent, praesertim cum timeri inde possent querelae animique dissensiones.

Ad opposita argumenta nunc venientes respondemus ad primum, non modo novam non esse, sed vetustissimam in Ecclesia Dei consuetudinem, quod diu probentur, qui sacerdotes futuri sunt; et conformi prorsus ratione probentur diu Societatis professi. Porro cordato cuique mirandum non esse, Societatem, cum Religio sit Clericorum regularium, discedere, ut in multis aliis, sic in professionis genere a Religionibus, quae monasticae sunt; cumque finem habeat diversum, eligere media huic fini accommoda, diversaque proinde a mediis, quae aliae Religiones alium finem habentes sibi elegerunt.

De secundo alibi sermo erit, cum peculiarem sibi vindicet tractationem.

Ad tertium observamus primo, multa occurrere in humanis rebus incommoda, quae vitari nullo modo possunt; et, quod tritum sermone proverbium est, contingentia in considerationem artis non cadere. Deinde asserimus, gravius afferri scandalum a Religioso iam professo, qui sua Religione egressus militiam aut aliud deterius vitae genus amplectitur, quam ab aliquo nostrorum nondum professo, qui Societate relicta prodit in publicum religiosa veste in habitum honesti Clerici saecularis commutata; tum quia prior ex eo quod professus sit, regressum habere non potuit; alter vero, qui professus non est, potuit; tum quia longe maior apparet discrepantia inter Fratris militisque insignia, quam inter vestem Clericorum regularium, quales nos sumus, et saecularium. Iam vero si quae in aliis Religionibus eveniunt, certe graviora, quasi praetereuntes aspicimus, quid est, cur tantopere demiremur multo sine controversia minora, quae accidunt in Societate? Illud etiam heic animadvertatur velim, quod quemadmodum desertores aliarum Religionum nullam illis defectione sua inferunt ignominiae maculam, ita nec Societatem dedecorant, qui ab ea decedunt. Nimirum sodalitates quaevis, licet virtutibus et sanctitate clarescant, ex hominibus tamen constant, humanaeque proinde fragilitati et inconstantiae obnoxiae sunt.

Ad quartum dicimus, afflictionum causas abesse vix posse ab omni Religiosorum conventu; tum quia ho-

mines sunt, qui ibi convivunt, tum quia homines, quorum diversa est conditio, studia, genus: eiusmodi tamen afflictiones magnopere leniri caritatis suavitate, et Spiritus Sancti unctione, quem Dominus in corda famulorum suorum infundit. Quae de Religiosorum coetibus diximus, eadem multo magis dicere fas est de quacumque alia hominum societate, et praesertim de iis, in quibus graduum diversitas cupiditates acuit. In hoc enim casu fieri non potest, ut contentiones et dissidia inter socios non enascantur, et inde querimoniae erumpant ac turbamenta; quae ut facillime cooriuntur, sic aegerrime extingui possunt. Illi vero, qui eo animo professi esse cupiunt, ut Deo Domino nostro arctius uniantur, nihil est cur doleant, si videant vota sua differri. Iam enim ex parte sua sunt Deo tanquam victimae suavissimae dicati, iam perpetuo nec unquam solvendo vinculo illi adhaerent, iam sunt vere Religiosi, atque ita vere, ut non essent magis, si professionem aut in Societate aut in alia qualibet Religione emisissent, ut Summus Pontifex ait, et nos in posterum demonstrabimus. Ii contra, qui ad professionem provehi exoptant, ut insigniorem locum in Ordine obtineant, hoc etiam atque etiam reputent animo, se non fuisse in Religionem ingressos, ut imperitarent, sed ut inservirent, nec ut honores conquirerent, sed ut Christi Iesu crucem tollentes contemptum et probra adamarent. Quod si homo demissius de se, quam de fratribus suis sentiret (qua opinione imbui unumquemque fas esset,

saltem si de virtute agatur, quae in hoc professionis negocio supra ceteras animi dotes spectanda est): non conquereretur profecto, quod se posthabito alii in profitendo praeponerentur, licet litterarum minime scientiores. Ad Superiores autem quod pertinet, plurimam, ut solent, diligentiam adhibeant in pensitandis aequa lance subditorum meritis; et si ea paria comperiant, pariter remunerentur, ut omnis, quantum fieri potest, obmurmurationibus et lamentis aditus praecludatur. Sed, ut vera fatear, aliunde mali labes petenda est, ab inordinato videlicet excellentiae nostrae amore, qui nos falsa persuasione imbuit, ut maioribus nos praecellere virtutibus, sic minoribus vitiis urgeri, quam fratres nostros; hinc malefica illa prodit lubido, qua volumus eos gradu anteire, qui nos virtute praecedunt.

Haec satis etiam faciunt quinto argumento, in quo criminationes Superiori illatae adducebantur, perinde quasi alii faveret, alium negligeret. Nam quae geruntur, cum exquisitissima cura, deliberatione matura, subtili perscrutatione gerantur, dicendum est omnia rectissime fieri, et culpam non Superiori esse tribuendam, qui favet magis virtuti maiori, sed utique illi, qui gradum quidem consequi studet, promereri autem non studet. Quod si in Superiore privata aliqua affectio insideret (quod accidere posse non negamus; homo enim est), corrigenda haec esset idoneis remediis, non vero, ob intercursum privati alicuius defectus, mutandum quod sancte est constitutum, atque ad conser-

vationem totius Religionis necessarium. Etenim rerum omnium, quas hominum manus administrant, haec est conditio, ut vitiis scateant, ex quibus minora leviora-que semper eligenda sunt.

CAPUT XI.

Cur professio, quantumvis in longum protracta, certo tempore non definiatur.

Verum posset quispiam sic dicere: quoniam Societas statim a tirocinio egressis professionem non concedit ob rationes superiori capite allatas, cur saltem professionis tempus ad multos annos licet protractum non determinat, atque ita, ut hic terminus transiliri non queat; cur potius totam hanc rem arbitrio et iudicio Superiorum conficiendam transmittit, nullo certi temporis spatio praesignato? Atqui aequitati absonum esse videtur, ut professio a gubernantium nutu pendeat, tamquam a lege: siquidem in lege acceptio personarum haberi non potest, in Superioribus potest; nemo iuste de lege conqueri potest, sed potest utique de Superioribus. Praeterea si sciat socius, se decimo vel duodecimo anno vertente professionem acturum, pacato animo vivet, utpote quem suspicio nulla, nulla cupiditas atque aegritudo turbabit.

Ad haec obiecta sic videtur esse respondendum. Quemadmodum inaequalitas in rebus aequalibus iniusta est et perniciosa, sic non minus iniusta et perniciosa est in rebus imparibus paritas. Nec fieri ullo modo potest, ut professiones in Societate certa et omnibus communi temporis mensura coaequentur, si consideremus ipsius professos homines esse debere virtute et doctrina insignes, quemadmodum Societatis eiusdem finem et ministeria postulare supra docuimus. Sicut enim foetus eiusdem arboris, atque adeo eiusdem rami non aequo tempore maturescunt, ita ne omnes quidem eiusdem Religionis alumni aequis passibus progrediuntur in virtutis scientiarumque curriculo; sed alii post alios metam attingunt. Si exempli causa adolescentulus aliquis litterarum plane rudis Societatem ingrediatur, manifesta res est, eum ampliori tempore egere ad ea, quae professum decent, perdiscenda, quam alium litteratura aliqua aspersum; atque hunc magis, quam tertium et aetate grandiorem, et doctrinis omnibus expolitum. Et sane inepte admodum et absurde faceret, qui haec tria hominum genera eodem modulo vellet dimetiri. Atque huius quidem rei exempla suppeditant sacri canones. Nam cum monachi, qui ordini clericali adscribi petebant, explorarentur prius diutissime et severissime, tamen, si qui eorum aetate essent provectiores et virtute insigniores, valde indulgentius cum istis agebatur, eorumque probatio ad brevius tempus contrahebatur, ut

constat e Gelasio [1], et e Siricio [2]. Atque hoc exemplum imitata Societas quibusdam eminentioris doctrinae et virtutis hominibus professionem paulo post tirocinium expletum impertire solet, prout praecipitur cap. IV. Examin. §. 43, et in Constitutionibus part. V. cap. 1. §. 3. Insuper si quaestionem, de qua agimus, animo ab affectionibus vacuo investigemus, inveniemus profecto, illi virtutis meritorumque praestantiae, qua ornatus esse debet Societatis professus, nullam certi temporis mensuram imponi posse, quae omnibus communis sit. Siquidem hominum indoles et studia differunt inter se vehementer, nec omnes eodem conatu incumbunt ad affectiones animi corrigendas. Item usuvenit, ut quis uno anno in mortificationis studio magis proficiat, quam alius multis. Sunt qui natura affecti sunt adeo inimica virtuti et ad vitia proclivi, ut auxilium ab ea sperare possint nullum, damna bene multa. Sunt contra qui ingenio adeo placido et docili utuntur, ut nullam in rebus, quaecumque sint, gerendis molestiam perferant. Cum igitur ea sit humanae naturae conditio, non videtur esse probanda in tanta subditorum varietate mensura, quae ad omnes aeque pertineat. Nam etiamsi hanc ad decem vel duodecim annos produceremus, aequo longius esse posset hoc spatium pro aliis, pro aliis aequo brevius, ut experientia osten-

1 Can. *Monachus vero,* dist. 77.
2 Can. *Quicumque itaque,* ib.

dit. Idcirco, quod in hac re Societas sanxit, id ratum habere voluit Gregorius XIII in Constitutione *Ascendente Domino* et disertius Gregorius XIV in Constitutione *Ecclesiae Catholicae*. En Pontificis verba (§.11.): « Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus « nullo modo volumus certum seu determinatum esse, « sed Constitutiones ac diplomata praedicta hac etiam « in parte omnino observari volumus et mandamus, « quae statuunt selectos tantum spiritus et doctrinae « viros, et multum diuque exercitatos, ac in variis « probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, « cum omni aedificatione et satisfactione satis cogni- « tos ad professionem esse admittendos, et denique « nonnisi cum Societati, vel eius Praeposito Generali « fuerit ab eis plene in Domino satisfactum. »

Climacus [1] memoriae prodidit civem quemdam Alexandrinum, nobilem in primis inter populares suos, consilium iniisse dicandi se Deo in Religione, ideoque, ut admitteretur, postulasse: verum ad monasterii portam per septem annos subsistere iussum fuisse, eo quod ingenio esset indocili atque indomito. S. Basilius, quem inter Religionum Fundatores antesignanum et ducem appellavit s. Benedictus [2], postquam de novitiis sermonem habuit deque spirituali eorum educatione, quaestionem nostram pertractan-

1 In gradu IV, de obedientia.
2 Regul. cap. 73.

dam aggreditur, et quoad professionis tempus hanc veluti generalem normam assignat: quod ad professionem nemo promoveatur, nisi cuius aetas iam adoleverit, quando scilicet ratio et iudicium pariter adoleverunt; quodque multum temporis professuris concedatur, ut rei gravitatem, quam acturi sunt, diu serioque cogitent atque perpendant. Nec tirocinio praescriptum tempus assignat, sed hoc ad Superioris iudicium remittit ob rationes superius commemoratas. Illam probationem bene longam supra meminimus, in qua se se exercebant adolescentes, qui clericali ordini accenseri cupiebant. Iam vero haec probatio non temporis spatio definiebatur, sed Praelati iudicio; ut nemo ad sacram ordinationem admitteretur, nisi qui rite probatus, eoque dignus honore iudicaretur a suo Praelato. Id clare eruitur ex decretis Summorum Pontificum Siricii et Zosimi, tum e secundo Concilio Toletano, quocum convenit s. Leo Papa 1 explicans illa s. Pauli 2 verba: *Manus cito nemini imposueris*, ubi ait: « Quid est cito manus imponere nisi ante maturi-« tatem aetatis, ante tempus examinis, antemeritum « laboris, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem « honorem tribuere non probatis? » S. Gregorius vero requirit, ut Monachus, cui ecclesiasticum officium im-

1 Edit. ant. Ques. epist. 87; ed. nov. ep. XII. c. 2, et habetur can. *Miramur tantum*, dist. 61.

2 I. Tim. V. 22.

ponendum sit, non solum tempora observaverit sacris canonibus praescripta, verum etiam « ut in monastico habitu secundum Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus 1. »

Quod si haec exigebantur a Clericis et a Monachis ad clericatum proludentibus, cur non eadem a professis Societatis exigantur? Et si tam diuturna experimenta edenda sunt, ut, qualis sit cuiusque virtus et spiritualis profectus, appareat; cur non eadem edenda, ut pateat, qui sint cuiusque etiam in re litteraria progressus, praesertim cum scientia tantopere professis nostris necessaria sit? Ceterum omissa etiam consideratione ingeniorum et facultatum, quae pro diversitate plus minusve temporis exposcunt, alia non desunt, quae impediunt, quominus certum et commune omnibus tempus assignari possit. Et sane si cui adolescentulo litterarum plane ignaro sint addiscenda ea omnia, sine quibus ministeria nostra nequeunt rite exerceri, huic vix satis esse potest duodecim annorum spatium ad curriculum studiorum adeo longum perficiendum. Nam duos annos sibi vindicat tirocinium, tres quatuorve latinitatis studium, alios tres minimum philosophia, quatuor theologia; quibus si tertius addatur probationis annus ad reficiendas spiritus vires imperatus, tredecim annorum summa conficitur. Nec satis; aliquot annorum numerus tribuendus est

1 Loc. supra cit. pag. 150.

partim magisterio, in quo socii ea, quae ipsi didicerunt, tradant aliis, Societatemque adiuvent in hoc suo tam necessario ac perutili instituendae iuventutis negotio ; partim apostolicis muneribus praedicandi divinum verbum, piacularesque fidelium confessiones excipiendi. Quo fiat, ut Societas probe perspecta suorum doctrina, virtute, constantia, professionem tandem merentibus conferat. Cui immodica videbitur tot annorum probatio, hic, velim, animadvertat magnum nunquam parvo stetisse, naturamque in iis, quae cura exquisitiore operatur, diutius desudare, nec quidpiam *divinius* inveniri posse, ut ait s. Dionysius [1], quam *cooperari Deo* in salutem animarum, eo praesertim modo, quo utitur Societas, tot nimirum tamque excellentibus ministeriis. S. Climacus (in Scala spirituali grad. IV. de obedientia) scribit hanc olim fuisse consuetudinem, ut probatione viginti aut triginta annorum tentaretur illorum constantia, qui spretis illecebris saeculi admitti in monasteria postulabant : quam probationem colligimus e Cassiano nullo tempore circumscriptam fuisse.

Haec confirmantur testimonio fr. Aloisii, cui a Granata cognomen est, in suis ad Climacum annotationibus. Pii auctoris verba latine reddita haec sunt : « Ad-
« vertere hic licet, ait ipse, per quam utilem et omni
« laude dignissimam consuetudinem, quae vigebat bea-

1 De caelest. hier. cap. III.

« tis illis temporibus, cum monasticae vitae disciplina « sancte custodiebatur. Tunc veteres illi perfectionis « magistri duriter admodum tractare solebant nuper- « rime admissos in Religionem : nunc laboribus im- « probis eos atterere, nunc acri obiurgatione increpa- « re, modo poenis gravissimis coercere; neque id per « unum, sed per complures annos. » Deinde haec ad- dit : « Utinam et nostris temporibus valeret consuetu- « do tam sancta! Sic enim qui in religioso statu forti- « ter perseveraret, multo robustiore et puriore virtute « eluceret. Qui quidem mos necesse esset, ut nunc eo « magis obtineret, quo difficilius nunc est, eum e Re- « ligione eiicere, qui semel admissus est. » Hactenus fr. Aloisius. Meum non est de his disputare nec de Re- ligionum aliarum Instituto, quod cum a Sancta Eccle- sia approbatum sit, tanquam sacrosanctum quiddam nos habemus et colimus. Sed meum utique est tueri Institutum nostrum, ignarosque edocere, approbatum et ipsum ab Apostolica Sede fuisse, legesque suas a remotissima antiquitate repetere, et fini nostro maxi- me congruere ; nosque rectissime facere, dum ea fa- cimus, quae ipsum a nobis exposcit.

Ad argumentum obiectum respondemus laudabile quidem esse, ut, quae stabilia sunt nec mutationibus addicta, ea legibus firmentur ac sanciantur. Hoc enim modo cavetur, ne quis pro arbitrio ea mutet atque in- terturbet. Sed rerum natura sua mutabilium aliam esse rationem; siquidem has dirigi necesse est norma

quadam, quae non semper eadem sit, sed quae mutetur prout res ipsae mutabuntur. Porro hanc normam esse gubernantis prudentiam, qui tamquam viva et animata lex dici potest, vitam roburque legi scriptae et intermortuae impertiens. Iam in rem nostram haec accommodantes dicimus, inesse in professione nostra alia, quae stabilia sunt, alia, quae mutabilia. Priora quidem legibus sanxit Societas: sanxit videlicet aetatem professioni idoneam: sanxit, ut sacerdos esset, qui profiteretur, multaque doctrina praeditus et virtute bene perspecta: sanxit, qua formula et caeremoniis professio peragenda esset. Sed quoad secunda, hoc est, res mutabiles, quales, exempli causa, essent progressus in litteris atque virtute, ea Societas commisit Praeposito Generali; ut is, qui omnium est Superior et Parens, provideat, ne quid studii in hoc negotium irrepat, utque omnia summa cum aequitate transigantur. Haec quamquam scite et prudenter ordinata sint, tamen saepissime accidit, ut in legibus omnibus atque mandatis, quorum executio ab hominibus pendet, humani aliquid se immisceat, hoc est, aliquid a recta ratione et aequitatis norma aberrans.

CAPUT XII.

Cur nostri ante professionem vota simplicia concipiunt.

Quandoquidem professio in Societate tamdiu differtur, nec certo ea tempore determinatur, posset aliquis sic dicere: Nonne satius esset hoc sequi consilium, ut socii abstinerent a consueta votorum simplicium nuncupatione, et totum illud tempus, quod ab initiis religiosae vitae ad professionem usque intercurrit, tirocinium, ageret prolixum illud sane, sed liberum ab illis obligationibus, quas religio votorum inducit? Nec consilio sua ratio deest. Nam simplicibus hisce votis iustitia quodammodo laedi videtur, cum in istis desideretur mutuus contractus pari utramque partem obligatione constringens; quin imo tota obligatio in voventem incumbit, nulla in Societatem; siquidem voventi non est amplius integrum mutare sententiam, Societatemque deserere; Societati contra integrum est voventem dimittere.

Propositi consilii quae ratio habenda sit, videamus: et cum duabus partibus constet, utrique satisfacere curemus. Ad primam, quae illud volebat, ut nostri ante professionem vota simplicia non emitterent, sic respondemus. Cum in superioribus capitibus ostensum sit bono Societatis necessarium fuisse, ut in ea

professio fieret illo modo, quo fit; necessarium quoque fuit, ut qui in ea vivunt, in potestate sua non relinquerentur, sed votorum simplicium vinculo tenerentur; idque poscebat tum ipsius Religionis bonum, tum privata ipsorum utilitas, tum fidelium eorum intentio, qui piis suis liberalitatibus inopiae nostrae subveniunt. Bonum, inquam, Religionis postulat. Etenim manca admodum auctoritate uteretur Societas, incertaque semper esset, an imperatis suis obsequi vellent subditi, si penes eos esset manere vel abire pro lubidine. Cumque tanta sit homini levitas atque imbecillitas, totque ad peccandum illecebrae, illud non raro accideret gravissimum incommodum, ut qui Societatem ingressus fuerat illiteratus et plane incultus, post absolutum scientiarum omnium cursum eam impune desereret, utpote cui esset non votorum religione illigatus, sed quodam convenientiae officio consociatus. Hoc modo Religio cum in eo esset, ut fructum aliquem perciperet ab alumnis suis, quos tot annos tot laboribus, curis, expensis educarat, ab iis foedissime desereretur. Haec quamquam iustitiae et rationi pugnantia, nemo tamen incredibilia esse arbitretur. Nam si videmus (nec miremur videre hominem per se caducum deiectum in praeceps impulsionibus Satanae, memores angelum in caelis, Adamum in paradiso, Iudam in Apostolorum senatu miserrime delapsos fuisse) si videmus, inquam, aliquos adeo perversos ac effrenatos, ut licet tot tantisque religionum vinculis

illaqueati, licet non ignari, quod, si furtim evadant e domo Dei, apostatae fiunt, et ipso facto in excommunicationem poenasque ipsam sequentes incidunt, nec possunt absolvi nisi a Summo Pontifice aut a Praeposito Generali Societatis, nihilominus perfringant sacrilegio immani omnia haec sacra ligamina, e claustris se proripiant, seque in barathrum malorum fine carentium coniiciant; quid, quaeso, facerent a tot tantisque obligationibus immunes? in quantum porro excresceret disertorum istorum multitudo? Si igitur propositum consilium sequeretur Societas, dubium non est, quin multis viduaretur filiis, quos in sinu gestarat, et lacte pietatis doctrinaeque paverat; nec pauci insuper essent, qui Societatem peterent, nomine, ut Deo in ea se manciparent, re vera, ut litteras addiscerent, easque adepti terga verterent Religioni. Qui quidem nec Religiosi essent nec dici possent, utpote animo ab eo statu remotissimi. Quantum vero damnum inde derivaret in Societatem atque adeo in Ecclesiam, cuius famulatui Societas tota devota est, verbis prosequi non moror, cum luce clarius pateat. Atque haec est ratio, quam Gregorius XIII, etsi in aliam rem, attulit in Constitutione [1] ab eo data anno MDLXXXIV. Placet hic Pontificis verba subiicere: « Inique enim cum Societate ipsa ageretur, si viris « multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum Re-

1 *Ascendente Domino* §. 14.

« ligionis catholicae et huius Sedis detrimento privare-« tur. » Et in Concilio Toletano II, cap. 2., ubi agitur de institutione seminariorum seu ephebeorum, in quibus lecti adolescentes educantur ad servitium Ecclesiae, praecipitur ne adolescentes isti ab una in aliam Ecclesiam temere transeant; atque haec adducitur ratio: « Durum est, ut eum, quem alius rurali sensu ac « squalore infantiae exuit, alius suscipere aut vendi-« care praesumat. » In eamdem sententiam sic loquitur s. Bernardus [1]: « Quod ius, quae lex, quae iusti-« tia, quae ratio, ut quem ex utero nutriendum susce-« pi, alius fruatur adulto? »

Sola haec ratio, etsi aliae deessent, persuaderet, ut vota haec simplicia fierent; quae etiamsi in damnum aliquod cederent voventium, non ideo tamen omittenda essent, cum privatorum damno praeferendum sit commune bonum, ut ait Innocentius III cap. *Licet*, de Regular. Ceterum tantum abest, ut qui huiusmodi vota faciunt, damnum aliquod capiant, ut potius beneficio summo afficiantur. Etenim iam tunc votorum religiosaeque obedientiae merito perfrui incipiunt, vereque ac proprie Religiosi vocantur, ut postea dicemus. Adde quod iuventus ad labendum per se proclivis hoc tamquam freno coercetur, ruinaeque periculo eripitur: cumque multi amota hac freni tutela a proposito fideque deficerent, ii contra eadem adhibita

1 Epist. II. §. 5.

fideles Dei famuli evadunt, magnasque Ecclesiae sanctae utilitates afferunt. Ad haec, si alumnis nostris iugum Religionis excutere pro arbitrio liceret, illud accideret, ut ii fideles, qui vitae conservationique nostrae largitionibus suis consulunt, spes suas consiliaque fraudata esse conspicerent. Illuc enim pia eorum largitas spectabat, ut ad vineam Domini excolendam gnavi atque habiles operarii educarentur, quales sine dubio esse debent homines Societatis. Nam si aliquis, qui Collegium ad hunc finem a fundamentis excitasset, reditibusque auxisset, scholasticos nostros videret, qui ibi ea de causa eruditi fuerunt, ut scientiam ad animarum bonum tamquam ministri et adiutores Christi impenderent, paternos lares relicta Dei domo post decem aut viginti annos repetere, sibique plaudere de litteraria supellectile alienis expensis acquisita; haec, inquam, si videret, se misere deceptum esse diceret, sanctasque suas in eo opere fundando intentiones interversas esse merito conquereretur.

Nec sit, qui obiiciat hunc Societatis morem novum esse et extraordinarium, cum eum potius et venerabilis antiquitas usurpaverit, ratioque ipsa commendet. Etenim in secundo Concilio Toletano cap. I. praecipitur, adolescentes, qui in Seminariis ad clericalem militiam suo tempore ineundam instituebantur, annum aetatis duodevicesimum transgressos ad votum castitatis nuncupandum adigendos esse, si susceptum vi-

tae genus persequi velint. Hoc modo Ecclesia, veluti accepta quadam cautione, secura adolescentium constantiae conquiescebat, vel saltem longe minus angebatur. Citatur hic canon in Decreto, dist. XXVIII, his verbis: « De iis, quos voluntas parentum a primis in« fantiae annis clericatus officio mancipavit, statuimus « observandum, ut mox detonsi, vel ministerio lecto« rum traditi, in domo Ecclesiae sub Episcopali prae« sentia, a Praeposito sibi debeant erudiri. At ubi « octavum decimum aetatis suae compleverint annum, « coram totius cleri plebisque conspectu, voluntas eo« rum de expetendo coniugio ab Episcopo perscrute« tur: quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, pla« cuerit, et professionem castimoniae suae absque « coniugali necessitate se spoponderint servaturos, hi « tanquam appetitores arctissimae viae levissimo Do« mini iugo subdantur, ac primo subdiaconatus mi« nisterium habita probatione professionis suae a vi« gesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac « inoffense vigesimum quintum annum aetatis suae « peregerint, ad diaconatus officium, si scienter im« plere posse ab Episcopo comprobantur, promo« veri debent. » Eadem ferme praecipiuntur in Concilio III Carthaginiensi cap. 19; et referuntur can. *Lectores,* dist. XXXII, ubi dicitur: « Lectores, cum ad « annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores du« cere, aut continentiam profiteri. » Qui canon postea instauratus est in Concilio Wormatiensi. Hoc voto iu-

venes spondebant se a sacra, quam inierant, militia numquam defecturos, et operam suam Ecclesiae sanctae semper exhibituros in eo officio et loco, quae sibi ipsis Antistes pro merito assignasset; ut videre licet in capit. I. et II. eiusdem Concilii Toletani, atque in aliis. Iam si ratio huiusce praescriptionis quaeratur, inveniemus hac ratione Ecclesiam adductam fuisse, ne videlicet iuvenes, quos ipsa multis laboribus, molestiis, sumptibus ad ecclesiastica munia educasset, bonam parentem foede relinquerent, eiusque consilia et curas impune eluderent. Ob eamdem causam cap. *Cum ex eo,* de elect. et electi potest. in 6. decernitur, ut qui parochus renuntiatus a suscipiendo sacerdotio ratione studiorum detinetur, suscipiat saltem subdiaconatum, votumque castitatis faciat. Cuius rei rationem hanc tradit Pontifex: « Ne sicut a mul-
« tis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse
« dignoscitur, a statu retrocedere valeant clericali. »
Sic videmus etiam adolescentes, qui Seminario Cleri Romani adscribuntur, vel Collegiis Germanico et Angilco Romae erectis, in haec verba iurare: se in Ordine Ecclesiastico perseveraturos, Ecclesiaeque servituros in ea provincia, ad cuius utilitatem aluntur sacrisque doctrinis informantur.

CAPUT XIII.

Ex eo quod in votis simplicibus obligatio mutua non contrahatur Societatem inter et voventes, nulla inde iustitiae laesio deduci potest.

Altera obiectionis pars sequitur, cuius haec erat sententia: vota simplicia Societatis iusta esse non videri, propterea quod aequalitas in ipsis non servetur, et mutua utrinque desit obligatio; cum voventes quidem ad perseverantiam votorum vi adigantur, Societas autem nihil de suo iure remittat, possitque eos retinere vel dimittere prout sibi magis expedire iudicaverit. Etenim tametsi Ecclesia vota simplicia Societatis admittat, eaque reputet tamquam vota, quae veros Religiosos efficiunt, et Religio in eos, qui huiusmodi vota concipiunt, ius gubernationis obtineat; non ideo tamen talium votorum vi obligationem ullam Religio adsciscit ad voventes retinendos: et cum dicitur ipsa ea vota recipere, nequaquam dicitur in hunc sensum; quin imo in Constitutionibus [1] dicuntur illa vota Deo offerri, non vero in Superiorum manibus fieri; nimirum ut appareat nullum hisce votis obligationis vinculum Societatii niici. At in professionibus res aliter sese habet, ut ait Panormitanus [2]. In his enim mutuus contractus va-

1 Part. V. cap. 4. §. 3. lit. D.
2 In cap. *Porrectum* 13. de Regul.

let; quo fit, ut nec professus Religionem deserere, nec Religio professum eiicere sine gravissima causa possit.

Ceterum rem attente inquirentes comperiemus, nullam in praedictis votis inesse iniustitiam, nec iis, qui haec faciunt, iniuriam prorsus inferri; immo satius iisdem esse, ut vota conditioni subiiciantur et dissolvi queant, quam ut solemnia sint, et omnino irrevocabilia. Quod vero nulla voventibus iniuria fiat, patet primo ex illis sermone tritis effatis: « Volenti iniustitia « non fit, » item: « Iniuria non irrogatur scienti et « volenti. » Praeterea cuique licet iuri suo cedere [1], et qui simplicia haec vota emittit, praedicta conditione sciens et prudens emittit. Nec satis: antequam ad haec vota facienda admittatur, Institutum nostrum ei proponitur, explanatur, biennii spatium ad rite deliberandum conceditur. Quo expleto nulla vi coactus, sed sua sponte et libera prorsus voluntate vota nuncupat. Quae cum ita sint, non video, quaenam iniuria sic voventi afferatur.

Secundo, si quis ad inserviendum aegrotis toto suae vitae tempore in publico aliquo valetudinario se voto obstringeret, contingeret autem post nonnullos misericordis huius famulatus exactos annos, ut valetudinarii curatores pium hominem abire iuberent; item si alter in perpetuam servitutem se addiceret, et postea ab hero donaretur libertate, iniuriam ne hisce homi-

1 Cap. *Ad Apostolicam*, de Regul.

nibus illatam esse diceres, cum pristinae libertati suique dominatui reddantur? Atqui idem iudicium de iis ferendum est, qui Societatis vota ediderunt: qui si dimittantur, libertatem ab omni votorum vinculo solutam recuperant.

Tertio, quamquam Societas ratione votorum nequaquam prohibeatur eiicere quos velit, etiam sine gravi eos eiiciendi causa; tamen prohibetur nominibus aliis, charitatis scilicet et iustitiae, quae non sinit ut Religiosus regularum suarum custos satis fidelis ab Ordine expungatur aut nulla, aut levibus de causis. Huc accedit gravissima Instituti nostri ordinatio, qua Superiores iubentur neminem eiicere, nisi prius rem diu et seria deliberatione perpenderint, persuasumque omnino habuerint aliter fieri non posse. Atque in re tanti momenti quo cautius et consultius agatur, statutum est ut solus Praepositus Generalis possit eos dimittere, qui in Societate post biennium vota nuncuparunt: nisi forte casus occurrerit huiusmodi naturae, ut nullius morae dilationisque sit patiens.

Quarto, quia in Religionibus omnibus dimitti possunt et reapse dimittuntur Religiosi licet professi, ubi causae interveniant legitimae ac graves. Id vero ex iure canonico patet. In capite finali [1] de Regularibus sermo est de *eiectis* et *fugitivis,* hoc est de illis, qui e claustris religiosis aut proprio arbitrio nutuque

1 *Ne Religiosi.*

effugiunt, aut fraude admissa eiiciuntur, ut explicat Panormitanus (num. 2) et Ioannes Andres. Et in capite *Cum ad monasterium*, de statu monachor., sancitur, ut e monasterio expellatur monachus proprium alicuius rei dominium habens, neve recipiatur, nisi prius violatae religionis crimen debita poenitentia abstergeat. Pariter in eodem titulo, cap. *Ex quae*, negotium Visitatoribus datur, ut incontumaces et rebelles animadvertant, abigantque ab ovili morbidas oves, ne earum contagione sanae etiam inficiantur. Alexander III in Concilio Lateranensi (et refertur cap. *Relatum*, ne clerici vel monachi) mandat cuidam Episcopo, ut studeat monasterium nescio quod reducere ad officium, atque si necessitas postulet, depellat monachos ibi commorantes, aliosque immittat ac sufficiat. Sic in cap. *Cum in Ecclesiis*, de maiorit. et obed., praecipitur ut refractarii seu qui moderatoribus audientes esse detrectant, ab aliorum consortio segregentur, ut notant Odofredus et Hostiensis; Iustinianus vero sic ait [1]: « Si delictum atrocius sit, quam « quod medela reparari possit, tunc prorsus monaste- « rio ipsum expellito: ut cum se ipsum a melioribus ad « deteriora contulerit, ipse solus improbitatis suae fru- « ctum capiat, neque vitiorum suorum aliquid caeteris « contagione adfricet, quemadmodum peste laborantia « et incurabiliter aegrotantia solent pecora. » Deinde

1 Novell. de monach. et ascet., collat. 10.

Imperator eamdem materiam persequens animadvertit, Religiosos Ordines, qui a se amoliuntur scandalorum satores, fore acceptiores Deo, proximis utiliores, in vulgus honoratiores.

Idem pariter ex regulis ac moribus omnium Religionum comprobatur. S. Basilius, qui, teste Gregorio Nazianzeno [1] illius socio, primus edocuit Monachos ad regularum formam vitam componere atque omnium, quae in Oriente prodierunt, Religionum parens ac magister extitit, sic ait: « Qui nolint sumere « de communi fratrum, nec sua in communi conferre, « ne alios corrumpant, a monasterio separentur. » Atque alibi [2] idem sanctus monet, Monachos vere inemendabiles a domo Dei amovendos esse, illa apud Matthaeum [3] Salvatoris verba producens: « Omnis « plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, « eradicabitur. » Et rursus alibi eamdem sententiam inculcans citat illum Apostoli [4] locum: « Modicum « fermentum totam massam corrumpit. » In Regulis vero fusius tractatis [5] eamdem doctrinam tradens sic loquitur: « Si (quis) saepius admonitus, pudore non « afficitur, neque reipsa semetipsum sanat, eum veluti « sui ipsius pestem (ut est in proverbio) non quidem

1 In orat. funeb. §. 29.
2 Reg. brev. tract. Interr. CII.
3 XV. 13.
4 Galat. V. 9.
5 Interr. XXVIII.

« sine multis lacrimis ac gemitibus, sed tamen ut mem-
« brum corruptum et penitus inutile, medicorum exem-
« plo, a communi corpore resecare debemus. » Et in Regulis brevius tractatis ait [1]: « Si plurium repre-
« hensio et obiurgatio satis non fuerit, ut aliquis resi-
« piscat... nulla ratione tutum fuerit eum... retinere. » Denique in Constitutionibus monasticis cum docuisset seiungendos esse ab aliorum communione Monachos, qui ab ipsa se dirimunt, vel minus religiose se gerunt, haec addit [2]: « Tunc autem tantummodo fra-
« tris secessum citra reprehensionem oportet manere,
« quando ex praefecti iudicio ob aliquod negotium
« fit. » Cassianus lib. IV. de Instit. cap. 16. recenset vitia nonnulla, ob quae prisci Coenobitarum Magistri acriter puniebant sontes, et, ubi ad curationem minus proficeret animadversio, Religionem periculosa hac merce exonerabant. Concilium Aquisgranense, imperante Ludovico Pio coactum, verba faciens de Canonicis regularibus, deque eorum punitione haec habet [3]:
« Postremo si prorsus inemendabiles et incorrigibiles
« apparuerint, ne per plures eorum dira serpant con-
« tagia, necesse est, ut a caeterorum societate, utpote
« oves morbidae, secreti, ante praesentiam deducan-
« tur Episcopi, ut ab eo canonica auctoritate publice

1 Interr. LVII.
2 Cap. XXXIII. *al.* XXXIV.
3 Lib. I. cap. 134.

« damnentur. » Et Smaragdus Abbas [1] scribit verba haec contineri in regulis Monachorum orientalium : « Si fuerit aliquis tam durus et tam alienus a timore « Domini, ut tot correctionibus et remissionibus non « emendetur, proiiciatur de monasterio et velut ex- « traneus habeatur, ne vitio ipsius alii perdantur. » S. Benedictus Monachorum, qui in Occidente floruere, primus parens et ductor eisdem inhaeret vestigiis, ut cernere est in capitulo Regularum suarum octavo et vicesimo : quod quidem Cardinalis Turrecremata intelligi vult de omnimoda expulsione ; et in capite undetricesimo praecipit, ne rursus recipiatur, qui semel expulsus fuerit. S. Augustinus, sub cuius Regula, tamquam sub sacro vexillo stipendia faciunt tam multae Religiones, in eamdem abit sententiam, idque refert Navarrus [2]. Etiam in sermone de institutione vitae regularis [3], et in sua Regula [4] sic loquitur s. Doctor : « Convictus vero, secundum prae- « positi vel etiam presbyteri, ad cuius dispensatio- « nem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subi- « re vindictam : quam si ferre recusaverit, etiamsi « ipse non abscesserit, de vestra societate proiiciatur. « Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, « ne contagione pestifera plurimos perdat. » Haec

1 In Regul. s. Benedicti, cap. XXVIII.
2 Comment. in cap. *Non dicatis* 12. q. 1. n. 65.
3 Ad Fratres in eremo, serm. I.
4 Ad servos Dei, §. 7.

Patriarchae sui verba commemorantes Augustiniani fratres, in novissimis Constitutionibus Salmanticae editis anno Christi MDXCI, iubent [1] ex albo sodalium eradi ne scio quem, declarantes praeterea irritam nullamque fore istius admissionem, si forte iterum admitteretur. Cur vero id sanxerint, hanc afferunt rationem. Oportet « enim ut Religio despumetur ad hoc ut « in sua puritate servetur. » Quae verba decerpsere ipsi ab Humberto [2], qui primus et ea dixit, sequentiaque addidit: « Ubi nulla est despumatio, est impu- « ritas multa. Gloriantur aliqui de hoc, quod de Or- « dine eorum nullus apostatat; quibus dici potest, « quod non est mirum si *nullus* apostatando egredi- « tur, in quo apostasia toleratur. » Haec Humbertus. Dominicani patres, qui eamdem s. Augustini Regulam sequuntur, de iis agentes in Constitutionibus suis, qui salutis monita spernentes, obstinate in vitiis suis persistunt, sic aiunt [3]: « De consilio discretorum carce- « rali custodiae mancipetur, et ibidem secundum exi- « gentiam culparum, iuxta discretionem Praelati, ie- « iuniis et abstinentiis puniatur, vel secundum regu- « lam sancti Patris nostri Augustini, si magis expe- « diens iudicatur..... exutus habitu Ordinis, de Ordine « nostro expellatur. » Idem sentit in sua *prima* Regula

1 Part. VI. cap. 22; item in ed. rom. an. 1625.

2 Specul. religios. sive de eor. erud. Part. II. lib. V. cap. 3.

3 Constit. FF. Ord. Praed. dist. I. cap. 19.

s. Franciscus [1], cuius gravissima verba haec sunt: « Si quis fratrum, diabolo instigante, fornicaretur, ha- « bitum, quem ex sua turpitudine amisit, ex toto de- « ponat et a nostra Religione penitus expellatur. » Hinc est, quod Religiosi emendationis securi possunt atque adeo debent expelli, ut explicat Corduba [2]; et ante eum explicaverat in Minorum privilegiis Innocentius IV. In Constitutionibus Dominae nostrae de Mercede dicitur [3]: « Quod si aliqui sint qui iudicio discre- « torum, in communi, sine gravi periculo et scandalo, « tolerari non possunt: quales sunt seditiosi, incorrigi- « biles, notabiliter fugitivi et vagabundi, rebelles, in- « obedientes et similia crimina perpetrantes, hi sane... « de consilio duorum diffinitorum aut praelatorum... « cum litteris dimissoriis, ab habitu repellantur, et Or- « dinariis locorum denuntientur, ut nota sit Episcopis « vel Archiepiscopis eorum vita, ac vivendi consuetudo « morumque compositio. » In Constitutione XXX Ordinis s. Hieronymi [4], ubi sermo habetur de culpa admodum gravi, sequentia leguntur: « Gravissima culpa « est incorrigibilitas, eius videlicet, qui non timet cul- « pas committere, et post commissas ferre poenas re-

1 Cap. XIII. Apud Holstenium, Codic. regul. Tom. III. pag. 26.

2 Exposit. Reg. s. Franc. cap. II. quaest. 21.] ubi citat privilegia Minorum.

3 Dist. I. cap. 30.

4 Apud Holstenium, Codic. reg. Tom. VI. pag. 47.

« cusat : contra quem in Regula nostra dictum est : si « ipse non abscesserit, de vestra societate proiiciatur, « iuxta dictum Apostoli praecipientis talem hominem, « ut haereticum, evitari. Et quidem, postquam talis « fuerit tertio monitus, ut desistat a crimine, eiusque « incorrigibilitas extiterit manifesta, veluti peccans « peccatum ad mortem, et quasi qui videtur professio- « nem de sui cordis visceribus abiecisse, compellen- « dus est habitum professionis dimittere. » Cuidam Abbati s. Bernardum sciscitanti, quid faciendum esset de monacho inquiete ac tumultuoso, postquam s. Doctor ea significavit, quae sibi ad monachi emendationem opportuna esse viderentur, haec deinde subiicit, quae in secunda et centesima ex eius epistolis leguntur : « Quod si iam haec omnia fecisti, nec profecisti ; « ad Apostoli consilium confugiendum est dicentis [1] : « *Auferte malum ex vobis ipsis*. Auferatur ergo malus, « ne malos generet. Neque enim potest arbor mala fru- « ctus, nisi malos facere [2]. Auferatur autem dico, sed « non quomodo ipse vult : ut videlicet tanquam ex tua « licentia, cum male secura conscientia extra Congre- « gationem contra professionem, devitans subiectio- « nem, sui iuris esse, sua permittatur vivere lege : sed « abscindatur, ut ovis morbida a grege, ut putridum « membrum a corpore : qui iam exinde se pro certo « noverit a te haberi tanquam ethnicum et publicanum.

1 I. Cor. V. 13.
2 Matth. VII. 18.

« Et ne timeas esse contra charitatem, si unius eiectione, scandalum multorum recompensaveris pace : « quippe qui sua forte malitia, fratrum cohabitantium « turbare facile poterat unanimitatem. Consoletur te « illa Salomonis [1] sententia : *Quem Deus negligit, « nemo potest corrigere ;* et illa Salvatoris [2] : *Omnis « plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradica- « bitur ;* et illa beati Ioannis Evangelistae [3] de schis- « maticis : *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis ;* « et rursus apud Apostolum [4] : *Infidelis si discedit, « discedat.* Alioquin non est relinquenda *virga pec- « catorum super sortem iustorum, ut non extendant « iusti ad iniquitatem manus suas* [5]. Melius est enim, « ut pereat unus, quam unitas. »

Talis est tamque mira consentiens doctrina horum omnium, quos Ordines Religiosi parentes sanctissimos agnoscunt ; tum s. Thomae articulo extremo ultimae quaestionis quodlibetalis, tum s. Bonaventurae in quaestione decimaquarta, in qua s. Francisci regulam explanans haec dicit : « Sedes enim Apostolica quae ius « suum unicuique servat, et vult Ordinem in sua pu- « ritate persistere, non cogit Ordinem tenere illos, « quorum conversatio nociva esset in Ordine, quia

1 Eccl. VII. 14.
2 Matth. XV. 13.
3 I. Ioan. II. 19.
4 I. Corinth. VII. 15.
5 Psalm. CXXIV. 3.

« tunc puniret innocentes et reos foveret, et occasio-
« nem daret Ordinis corruptioni. » Idem s. Doctor in tractatu *de sex alis Seraphim* 1, in quo ostendit principem Praelatorum alam esse debere iustitiae studium ac zelum, ita disserit : « In hoc differunt laudabiles
« Religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans
« in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune
« peccare sinatur, et peccandi aditus studiose prae-
« cludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eli-
« minentur, et boni foveantur et diligantur, ut per-
« severent et in melius semper proficiant. » Et paulo infra : « Nec tamen diligendi sunt mali, seu fovendi,
« sed tolerandi ; maxime quorum occulta sunt mala, et
« alios non inficiunt, et est spes de correctione ipso-
« rum. Ubi vero ista defecerint, ibi sine gravi de-
« trimento sustineri non possunt : et ideo eliminandi
« sunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. » Et capite septimo eiusdem tractatus, ubi agit de circumspecta discretione : « Ubicumque ergo, inquit,
« quatuor illa conveniunt, scilicet, graviter aperte pec-
« care, et non esse spem correctionis propter obstina-
« tionem seu inveteratam mali consuetudinem, et alios
« infici per eius exemplum, vel scandalizari, quia talia
« tolerantur ; quid restat, nisi ut ovis morbida abii-
« ciatur et membrum putridum praecidatur, ne sana
« inde inficiantur et corrumpantur? Unde dicit Apo-

1 Tom. II. tract. ult. (at in edit. Vatican. Tom. VII. part. 3.) cap. 3.

« stolus [1]: *Utinam et abscindantur, qui vos contur-*
« *bant*; et [2]: *Auferte malum ex vobismetipsis. Quod*
« *si infidelis discedit, discedat.* Et Lucas dicit [3]:
« *Succide ergo illam*, scilicet ficum infructuosam; *ut*
« *quid etiam terram occupat?* Et Matthaeus [4]: *Omnis*
« *arbor, quae non fert fructum bonum, excidetur.* Et
« in Numeris [5]: *Praecipe filiis Israel, ut eiiciant de*
« *castris omnem leprosum*, etc. Ad ista tamen non
« debent impetu ferri, sed maturo consilio pruden-
« tum et spiritum Dei et donum consilii habentium. »
Hactenus s. Bonaventura.

Nec sanctorum hominum, quos nominavi, doctrinae absona fuerunt eorum facta. Aliquot exempla cursim attingam. S. Benedictus e monasterio depulit monachum indocilem, ut narrat s. Gregorius [6]: alium pariter abire iussit s. Pachomius: qui quidem monachus post viginti religiosae professionis annos remissiori vitae se dederat, ut scribit Metaphrastes apud Surium [7]. Neque id mirum videri debet, cum ipsam naturam cernamus totam in eo esse, ut, si quando noxia humorum congeries corpora nostra invadat, eam conetur expel-

1 Galat. V. 12.
2 I. Cor. V. 13; VII. 15.
3 XIII. 7.
4 VII. 19.
5 V. 2.
6 Dialog. Lib. II. cap. 25.
7 Tom. III. Maii 14. de s. Pachom. cap. 59.

lere, advocetque in auxilium, si minus ipsa valeat, medicae artis remedia ad morbi vim extrudendam. Ceterum quid est, quod miremur, Superiores contumacibus subditis Ordines suos vacuefacere, cum Deus tumultuantes rebellesque angelos e supernis sedibus deturbarit? Atque huiusce quidem severitatis si ratio quaeratur, tota haec est, malum videlicet exemplum; quod ex sententia s. Bonaventurae [1] teredo est ac tinea Religionum. Et sane nulla ad perdendas Religiones capitalior pestis inveniri potest, quam irreligiosa ac profana Religiosorum vita: qui proinde decidendi sunt tamquam membra ulcerosa, ne totum corpus corrumpant, ut dicit Origenes [2]. Similis sententia legitur apud s. Hieronymum [3]: « Resecandae sunt, ait, putridae « carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda; ne tota « domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrum- « pantur, putrescant, intereant. » Et quemadmodum respublica civilis quidem amovet a se exilio vel nece illata facinorosos homines, publicaeque tranquillitatis hostes; ecclesiastica autem irrogatis censuris; ita religiosa respublica idem praestat subiectorum exlegum eiectione, inhaerens nimirum illi Sancti Spiritus praeceptioni [4]: « Eiice derisorem, et exibit cum eo iurgium,

1 Determin. quaest. circa Regul. s. Franc. q. 14.

2 In Iosue homil. VII. §. 6.

3 In epist. ad Galat. cap. V; habetur can. *Resecandae*, caus. XXIV. q. 3.

4 Prov. XXII. 10.

« cessabuntque causae et contumeliae. » Et quamquam verissimum sit, ut diximus, mutuum in professione adesse contractum, mutuamque obligationem; tamen illud semper subaudiri necesse est: dummodo Religio oneri suo, et item suo professus satisfaciat. Quare si professus contra promissorum fidem morem, cui debet gerere, renuat, si Religionem conturbet, legesque per contemptum frangat, iustum non est Religionem tolerare hominem adeo sibi perniciosum, nec, ut illum servet, se ipsam perdere.

Omnia, quae huc usque disputavimus, abunde declarant, Societatem dimittendo professionis adhuc exsortes iniuste non facere, cum aliae Religiones dimittere possint, et re vera dimittant professos suos, quando rationes adsint legitimae ac idoneae.

CAPUT XIV.

Eiusdem argumenti tractatio sequitur, et causae afferuntur, quamobrem aliqui e Societate dimittantur.

At enim dicet aliquis verum utique esse, quod in aliis etiam Religionibus eiiciantur vocationis suae oblíti: sed ad haec extrema non deveniri, nisi praesentissimae causae urgeant; contra in Societate sine causis sufficientibus hoc fieri. Id autem nullo modo esse ferendum, tum quia iustitiae, tum quia caritati pu-

gnat, tum quod dimissis non mediocre detrimentum inferatur.

Ad haec respondens nihil dicam de iustitia. Superius enim demonstratum est, iura eorum, qui dimittuntur, minime violari : hac nam conditione Societatem sponte sua ingressi sunt. Verum nec caritas in eo laeditur, nec damnum ipsis infertur ; de quibus duobus agendum nunc est.

Ut veritatem hanc probe teneamus, primum omnium serio pensandae sunt rationes, ob quas nostrae Constitutiones dimissionem in aliquibus casibus praecipiant. Quae quidem ad quatuor rediguntur, ut patet ex capite secundo partis secundae, ubi sermo est de hac materia. Et in Examine cap. VII, §. 1. sic legitur : « Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos « admittendos ad professionem (de scholasticis sermo « est), nec in coadiutores formatos, si studiorum tem« pore male se gererent, adeo ut Superior Societatis ex« istimaret Deo gratum non fore, si in eam admitteren« tur : et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt. » Et in declaratione sexti capitis eiusdem Examinis beatus Pater noster dicit eos dimitti posse « quando non fa« ciunt quod debent ; » et infra « nec id sine causis iu« stissimis.... fieri debebit. » Gregorius XIII in Bulla *Quanto fructuosius* (§. 2.) ait id *rationabili ex causa* fieri posse. Et sane hoc modo intelligenda res est. Nam quoties conditio aliqua consilio et arbitrio alicuius permittitur, praesertim si gubernator sit aut Prae-

latus, illud semper subaudiri fas est, quod iudicium rectae rationi conforme sit, et rationabili causa innitatur, ut ostendit Bartolus (in glossa Extravag. *Ad reprimendam* 1); et ex eo Panormitanus 2.

Sed quatuor causas, quas nostrae Constitutiones proponunt, enucleemus, atque, utrum rationabiles sint, dispiciamus. Prima causa haec est: si quis moribus adeo perditis esset, ut sine offensa Numinis retineri non posset. Hoc si contingat, de talis hominis dimissione nihil ambigi potest. Atque in hoc casu sentiunt nobiscum Religiones omnes, quae ob eamdem causam professos suos dimittunt.

Secunda causa est: si quis nisi cum magno Societatis incommodo retineri non posset, eo quod ineptus sit nullique usui Religioni esse valeat, vel quod sit inquies, rixosus, dissidiorumque altor ac seminator. Huic autem causae haudquaquam opponi potest aegritudinis ratio viriumque imbecillitas. Siquidem aequitas postulat, ut commune totius Religionis bonum privatae illius, qui dimittitur, utilitati anteferatur.

Tertia causa est: si e Religione egredi ipsius egredientis intersit, vel quod valetudine parum firma utatur, ideoque oneribus Societatis subeundis imparem se existimet, vel quod ita naturaliter affectus sit, ut regularum praescriptioni Societatisque Instituto at-

1 Habetur ad fin. volumin. verb. *Videbitur*.

2 In cap. *Canonum* de constit. num. 13, et latius in cap. *Ad hoc* de sequestrati posses. num. 18.

temperare se nequeat, vel quod aliae non contemnendae rationes occurrant, quae eum ab inito proposito deterreant. Nemo autem erit, credo, qui hanc causam tamquam iniustam carpere audeat. Cum enim per eam causam negotium quodammodo procuretur illius, qui dimittitur, fatendum plane est, adversus eum non esse, quod pro eo suscipitur, nec iniuriam irrogari, cui beneficium impertitur. Praesertim cum Societas neminem soleat dimittere aegrotationis causa, quam Societati ipsi inserviens contraxit; modo ne ipse velit dimitti, egressumque efflagitet, quem sanitati vitaeque suae conservandae necessarium putat.

Quartam pariter causam nemo notabilem, hoc est reprehensione dignam, censuerit. Iubet enim illum dimitti, quem delabens tempus detegeret fuisse ante suum in Societatem ingressum aut nuptiis illigatum, aut servituti addictum, aut aere alieno gravatum, quod tamen solvendo tunc erat; aut denique aliquo impedimento ita irretitum, ut sine damno alterius in Societate consistere non possit. Hisce enim positis homo iste contra omne fas in Societate detineretur.

En causae, quas intueri et sequi Constitutionibus nostris iubemur in sociis dimittendis adeo, ut ab earum norma in hoc negotio transigendo discedere nobis non liceat. Quod quidem negotium cum tanta rationum honestate administretur, omni prorsus reprehensione vacare debet. Quod si ad modum, quo peragitur, attenderis, nihil pariter, quod reprehendas,

compereris. Mirum enim quantum Superiores in re tanti momenti caute, diligenter, moderate, religiose agant. Nam qui putaret, facile, inconsiderate et pro Superioris lubidine egressum e Societate alicui indici, sua illum opinio vehementer deciperet. Qua in re nullos alios adhibere volumus testes, quam eos ipsos qui suo vitio dimissi sunt. Dicant isti, si vera loqui non erubescunt, quam patienter Superiores eos pertulerint, suaviter admonuerint, leniter corripuerint, studiose eorum vulnera curarint prius quam ad ignem et ferrum progrederentur, ultimum sane, sed necessarium non minus in spiritualibus morbis, quam in corporalibus remedium. Et sane cum nemo nostrorum, qui post tirocinii biennium simplicia vota emiserit, dimitti non possit iniussu Praepositi Generalis, ut diximus, saltem in Europae provinciis, inde fit, ut alicuius expulsionem multae et in longum ductae consultationes praecedant, in quibus deliberatur utrum causae adeo urgeant, ut Generalis adeundus sit, an cunctandum diutius, et mitiora interim remedia adhibenda. Quod postremum consilium si valet, ut saepe valet, dici non potest qua caritate periclitanti subdito succurrere studeant Superiores nostri. Eum centies et paterne admonent, diu sustinent, medicamentis modo blandis nunc asperis ad sanitatem mentis reducere nituntur: verbo nil inexpertum ante relinquunt, quam de eo conclamatum esse pronuntient. Idque adeo verum est, ut pluries hoc quod dicam extremae patientiae

exemplum editum sit. Ad decimum eoque amplius annum tolerati sunt nonnulli, quos Societatis carcinomata merito dixeris. Adeo erant difficiles, queruli, molesti sibi aliisque, regularum securi vel potius spretores. Hos tamen tamdiu Superiores pertulere vel spe licet exigua adducti, fore ut aliquando tandem ad se redirent, vel ut nulli caritatis officio deessent. Sunt qui tantam patientiam non immerito fortasse improbent, dicantque publicum Societatis bonum pluris esse faciendum, quam privatum cuiusque; proinde hosce homines eiiciendos esse aut continuo, aut saltem postquam adhibitis medicinis nullum sanitatis indicium exibuerint. Nihilominus Societas plerumque cum his hominibus lenius agere solet, tum ne quid intentatum ad eorum ruinam prohibendam omittat, tum ob rationem, quam modo dicam. Magnopere Societatem piget membrum quodammodo sibi amputare, filiosque a se amandare benevole olim exceptos, commode altos, bonis litteris excultos, et ad ministeria sua iam gerenda maturos.

Verum his modo praetermissis illud certe fatendum est, eos longe meliore conditione, quam qua ingressi sunt, egredi e Societate. Quare ut ad tertium, quod opponebatur, deveniam, non video quale damnum isti, qui dimittuntur, patiantur, cum potius Societas tamquam sedula parens dotem amplam filiis ingratissimis paraverit, praesidiaque ad vitam laute degendam suppeditaverit. Praeterea ipsis multo commodius accidit,

dimitti e Societate post vota simplicia, quam post professionem; siquidem professus qui eiicitur, non ita eiicitur, ut ab obligatione eximatur vota Religionis suae, saltem quoad substantiam, servandi. Nam licet expulsus, Religiosus esse non desinit; et ideo ratione, qua potest, tenetur religiosi status praecipua observare. Contra qui votis Societatis tantum simplicibus se illigavit, quamquam sit vere et proprie Religiosus, donec in Religione consistit, ut postea ostendemus; tamen cum ipse dimittitur, protinus cessat Religiosus esse, et idcirco ab omni votorum vinculo expeditus exsistit. Etenim sub hac diserte conditione ea vota ipse nuncupavit, Ecclesia instituit, Societas admisit. Quapropter huiusmodi vota proprie non abrogantur propter egressum e Societate, sed cum ipso egressu pereunt ac evanescunt. Quantum vero miseris istis, qui taedio virtutis affecti suave Domini iugum excutiunt, et terga Religioni vertunt, utilius sit hac votorum simplicium copula teneri, quam inextricabili nodo professionis perpetuo adstringi, experientia exemplis quotidie obiectis nos commonet.

Tandem quia ob rationes superius expositas conveniens immo necessarium fuit, ut professiones ampliarentur in Societate, atque ut interim eius filii per vota simplicia obsequio matris se addicerent, sicut nostra fert consuetudo, et Apostolica Sedes constituit; insuper quia homines sumus infirmi, leves, ad peccandum proni, pravarumque affectionum nostrarum lu-

dibrium; nihil aliud reliquum esse videtur, nisi ut turbulenti vel retineantur in Societate, vel ab ea expellantur. At retinere tale hominum genus nihil esset aliud, quam pericula et damna maxima Societati conquirere, atque adeo Ecclesiae cuius servituti Societas se penitus devovit. Quae nisi in sua puritate nativaque ingenuitate permaneat, nullam Ecclesiae utilem operam praestare poterit. Igitur ut tam atrox malum devitemus, necessario resecanda sunt a corpore tam noxia membra.

Addam postremo, a compluribus viris doctis iuxta ac piis sapientissimas et optime excogitatas censeri rationes, quibus ad abigendos indignos movetur Societas. Etenim nulla isti iniuria laeduntur, nulla etiam vel certe minori quam fieri potest, boni nominis macula dimittuntur; porro, ut minimum dicam, maiore litterarum apparatu exeunt, quam quo intrarunt. Denique eorum discessione Societas et Ecclesia tamquam intolerando pondere levatae respirare coeperunt ac recreari.

CAPUT XV.

Quod Societatis alumni, qui post biennium probationis simplicia vota concipiunt, vere ac proprie sunt Religiosi.

Cum in capite X causas explicaremus, quare Societas tamdiu professionem differat, respondere omisimus eorum argumento, qui acriter hanc dilationem oppugnant. Quod quidem argumentum cum plurimis et gravissimis auctoritatibus confirmetur, operae pretium duximus seorsum illud agitare ac perpendere. Hoc autem in praesenti capite, Deo iuvante, praestabimus.

Dicunt itaque, dilationem professionis bono professuri multum obesse. Sola enim professio ea est, quae hominem efficit Religiosum : qua qui caret, perperam et iniuste sibi nomen usurpat Religiosi, cum nullo modo Religiosus sit. Sententiam suam fulciunt primo auctoritate s. Thomae, qui ait [1] professionem votum esse solemne, quo monachus aut Religiosus evadit, qui prius nec monachus erat nec Religiosus. Secundo quia idem asserunt complures alii doctores [2]. Igitur

1 2. 2. q. 88. art. 7.

2 S. Antoninus, part. III. tit. XVI. cap. 3; Sotus de iust. et iur. lib. VII. quaest. II. art. 5. q. V. art. 1. concl. 8: et art. 3; Silvester Prieras, Summ. *Votum IV.* q. 5; Navarrus, de Regular. comm. in cap. *Cui portio* 12. q. 1. n. 18; et Glossa sup. c. de relig. dom.

iuvenes nostri, quamvis biennio tirocinii vertente simplicia vota faciant, tamen vere ac proprie Religiosi non sunt quoadusque ad professionem non provehantur.

Tertio probant ex illa iuris canonici communi et trita voce [1]: *Habitus non facit monachum, sed professio regularis*. Ad haec in iure civili non dicitur aliquis vel esse Religiosus, vel Religionem ingressus fuisse, donec professionem non fecerit. Nam quemadmodum per baptismum Christianus intrat in Ecclesiam, sic per professionem Religiosus admittitur in Religionem. Idcirco in Authentica *Ingressi* C. de sacrosanct. Eccles. [2], ubi legitur *ingressi monasteria:* istis verbis intelliguntur ii, qui professionem inierunt, qua homo se Deo suaque devovet. Ante professionem vero nemo dicitur Religionem introisse, ut ibi Glossa I. communiter recepta explicat, secundum Navarrum [3]. Porro in eadem Authentica *Si qua mulier* et sub eodem titulo dicitur: « Si qua mulier, aut vir, liberis non ex-
« tantibus, monasticam vitam elegerit, et monasterium
« intraverit, monasterio, quod intraverit, res eius com-
« petere iubemus. Sed si persona liberos habens ante
« quam de rebus suis inter eos disponat, monasterium

1 Ex cap. *Porrectum* 13. de Regular.; et ex cap. *Religioso* de sent. excom. in 6; et Clementin. *Cum de quibusdam* de relig. dom.

2 Cod. lib. I. tit. 5.

3 De Regular. comm. II in cap. *Non dicatis* 12. q. 1. n. 45.

« intret, liceat ei postea inter eos dividere, legitima nul-
« li deminuta. » Quo in loco illa verba: *monasterium intraverit,* idem sonant, ac professionem fecerit. Sic in iure canonico [1] verba illa: « Is qui monasterium...
« ut monachus efficiatur, ingreditur, » eodem sensu capienda sunt ex mente Geminiani [2] et Baldi [3]. Hinc est, quod in iure ea proprie dicitur Religio, in qua professio fiat: et ubi non fit, licet vota ibi simplicia fiant, regularumque vigeat observantia, tamen imaginem potius religiosae vitae, quam Religionem ipsam ibi esse dixeris, ut habetur in Glossa Clementinae *Cum ex eo,* de sent. excommunic. et in Glossa Clem. I. de relig. dom. et in Panormitano [4] et in Navarro [5].

Quarto dicunt id ipsum erui ex formula votorum, quam alumni nostri post tirocinium recitant. Formula enim sic habet: « Voveo... paupertatem, castitatem,
« et obedientiam perpetuam in Societate Iesu: et pro-
« mitto eamdem Societatem me ingressurum. » Igitur si vovens spondet se ingressurum esse in Societatem, hic evidenter non est ingressus. Nam si vere ingressus fuisset, ridiculum esset promittere se ingressurum. Verum cum Societas pro eodem habeat haec duo, Religionem videlicet ingredi, et professionem in ea emit-

1 Cap. 1. de Regular. in 6.
2 In idem cap. 1. de Regul. in 6. num. 3.
3 In Authen. nuper. cit. num. 11.
4 De Regul.
5 In cap. *Cui portio,* num. 18.

tere, ideo promittit qui vota facit simplicia, Societatem se introiturum, quia promittit se in ea professionem esse facturum, quando sibi data copia fuerit.

Quinto sic argumentantur. Cum Religio status sit perfectionis, in quo homo servituti Dei se penitus tradit ac mancipat, hanc perfectam sui traditionem non praestat re vera, qui votum simplex emittit; pollicetur tantummodo se praestiturum. Quare votum simplex a solemni seu professione sic differt, ut sponsalia differunt a matrimonio. In primo enim contractu promittunt sponsi se invicem tradituros: in matrimonio coniuges reapse se invicem tradunt, ut s. Thomas aliique dicunt 1.

Atque idem sexto loco confirmatur ex eo, quod Religionis status sit perpetuus, nullis prorsus conditionibus affectus, nullius omnino voluntati obnoxius, ut proinde mutari nullo modo possit. Hinc clare consequitur, ut vota, quae Religionis ipsius velut nervi ac spiritus dici possunt, perpetua sint, immutabilia, nec quae a moderatorum voluntate dependeant, ut reapse dependent vota simplicia Societatis, quae tamdiu valent, quamdiu ea valere patitur Superioris voluntas. Si-

1 2. 2. q. 88. art. 7. et q. 189. art. 5; et in 4. d. 38. q. 1. art. 2; quodlib. III. art. 18; Richardus d. 38. art. 7. q. 1. 2; Durandus q. 1; Sotus q. 2. art. 1. 2; Spinseus lib. 5. de coniug. c. 4; Petrus Sotus de impedimentis tit. de voto, lect. 5; Turrecremata c. *presbyteris* d. 27; Couarruvias in epitom. 4. p. 2. c. 7. §. 4. n. 7; Silvester et alii.

quidem Superior pro arbitrio et imperio dimittit quos vult; dimissique ab omni votorum nexu eximuntur, quippe qui ea emiserint sub hac diserte conditione. Igitur cum haec vota insita firmitate et perpetuitate careant: carent etiam virtute et efficacitate ad aliquem vere ac proprie Religiosum constituendum, cum a natura Religionis abesse nequeat status ac perpetuitatis ratio.

Septimo et postremo loco asserunt esse quiddam intrinsecus pugnans, quod aliquis eodem tempore Religiosus sit, et rerum dominium retineat, quemadmodum in Societate usuvenit ante professionem. Item et illud pugnare affirmant, nimirum ut aliquis, postquam Religiosus fuerit, uxorem ducere queat, sicut facultas iis datur, qui post simplicia vota nuncupata e Societate dimittuntur.

Adversus hunc tot argumentorum apparatum stat declaratio Gregorii XIII, qui in Bulla [1] anni MDLXXXIII Kalendis Febr. edita causam Societatis tam valide oppugnatam sequentibus verbis tuetur: « Statuimus ac « etiam decernimus, non modo eos qui in coadiuto- « rum formatorum, sive temporalium, sive spiritua- « lium gradus et ministeria admittuntur, sed etiam « alios omnes et quoscumque, qui in ipsa Societate « admissi, biennio probationis a quoquam peracto, tria « vota praedicta, tametsi simplicia emiserint, emit-

1 *Quanto fructuosius* §. 5.

« tentque in futurum, vere et proprie Religiosos fuis-
« se et esse, et ubique semper et ab omnibus censeri
« et nominari debere, ac si in professorum praedicto-
« rum numerum adscripti fuissent; praecipimusque, et
« interdicimus, ne quisquam scrupulum de hoc neuti-
« quam iniicere, neque illud in controversiam, dubium,
« vel suspicionem ponere audeat quoquo modo. » Et in Constitutione 1, quam idem Pontifex exaravit VIII Kal. Iun. an. MDLXXXIV eadem repetit subiungens praeterea, illos, qui vota simplicia Societatis fecerint post primam probationem, vere ac proprie esse Religiosos « non secus atque ipsos tum Societatis, tum quo-
« rumvis aliorum Regularium Ordinum professos. » Quae Bulla et declaratio facta fuit *motu proprio*, *ex certa scientia*, *et de plenitudine Apostolicae potestatis*. Quae verba eo consilio addita sunt, ut intelligeretur, nulli fuisse locum defectui vel surreptionis, vel perfectae cognitionis aut potestatis, ut observant Doctores Geminianus, Felinus, Boscus, Ancharanus, Calderinus, Panormitanus, Innocentius 2. Atque haec est prima animadversio facienda in verbis Pontificis nuper prolatis. Secundo observandum est, Pontificem aperte declarare, *vere et proprie Religiosos fuisse et esse*, qui

1 *Ascendente Domino* §. 21.

2 Super argument. cap. *Si motu proprio* de praeben. in 6. Vide Staphilaeum de litteris gratiae et iustitiae, et Couarruv. comment. in Constit. *Alma mater* part. I. §. VII. n. 2; et in novis Decision. Rotae, decis. 6. et 7. et in antiq. decis. 33.

simplicia Societatis vota fecerunt, aut in posterum facient. Qua loquendi forma significare voluit hanc suam Constitutionem non esse, ut aiunt, dispositivam, hoc est, quae futurum tempus respiciat praeterito excluso [1], sed esse declarativam, seu quae ad omnia aeque tempora pertineat, uti notant Felinus [2], Panormitanus, Silvester [3] et Navarrus [4]. Constat igitur, eos, qui sic vovent, non ex eo tempore Religiosos esse incipere, quo praedicta declaratio prodiit, sed ante eam, immo a primordiis usque confirmatae Societatis Religiosos, sine ulla dubitatione esse coepisse. Quocirca idem Gregorius ait in Bulla *Quanto fructuosius* (§. 5): « Ad haec, dictam Societatem firmo declarationis no-« strae praesidio . . . communire volentes. » Quibus verbis satis ostendit hanc esse praeteritae rei declarationem, non futurae dispositionem. Id ipsum quoque eruitur evidenter e Bulla quarta [5] Pauli III, qui primus Societatem confirmavit; necnon e confirmatione eiusque ampliatione [6], quam adversus apostatas dedit Pius IV,

1 Cap. *Cognoscentes* de Constit., et cap. final. eod. tit. et ibi Glossa, et Doctores.

2 In cap. ult. de Constit. num. 14. — Panorm. ib. n. 9.

3 Summ. verb. *Lex,* q. 2.

4 De Regular. comm. IV. in cap. *Statuimus* 19. q. 3. n. 19. et 76; et lib. III. consilior. consil. 49.

5 *Exponi nobis* (5. Iunii 1546.) Extat in collection. Litt. Apost. et privileg. Soc. Iesu.

6 *Aequum reputamus.* Extat in collect. nup. cit.

promulgavit autem Pius V an. MDLXV sextodecimo Kalend. Febr. In quibus Bullis omnes, qui simplicia Societatis vota post biennium suscepissent, prohibentur ad quamlibet aliam licet rigidiorem Religionem, excepta Carthusiana, transire sine Superiorum Societatis consensu; ea lege ut irrita foret professio, quam in illis Ordinibus facerent, iique declarantur apostatae cum e Societate, Superioribus invitis, abierint. Quae omnia eos proprii verique nominis Religiosos esse pro certo sumunt. Id ipsum eruitur ex alia Bulla Pii V an. MDLXXI, Nonis Iul. edita [1], in qua non solum professos, sed « singulas personas Societatis huiusmodi vere et non « ficte mendicantes fuisse, esse, et fore » declarat. Unde consequitur eos vere et proprie esse Religiosos. Nemo enim esse potest Religiosus mendicans, quin vere et indubitate Religiosus sit. Quod etiam perspicue indicat Tridentina Synodus [2]: quae cum Societatem vocasset Religionem Clericorum regularium, sermonem deinde instituit de graduum personarumque diversitate, quae in ea insunt. Iam vero personae sunt veluti membra Religionis: hae igitur sine controversia Religiosi sunt, cum Religionem ipsam constituant. Pergit porro sancta Synodus commemorare et approbare tum biennii tempus, quod Societas tirocinio obeundo praestituit, tum vota simplicia post illud fieri solita; ad quae qui

1 *Dum indefessae* §. 2.

2 Sess. XXV. cap. 16. de Regular.

admittuntur, tirones esse desinunt, et ex eo tempore incipiunt Religiosi esse et haberi. Cum enim Concilium decrevisset, ut in ceteris aliis Religionibus novitius annuo tirocinio expleto aut professionem iniret, aut dimitteretur, Tridentinis Patribus placuit ab hoc decreto Societatem eximere, eique veniam impertiri, ut secundum Institutum suum ab Apostolica Sede approbatum Christo Domino inserviret. Ad haec, si quis adhuc in saeculo commorans votum concepisset Religionis generatim ingrediendae, dubium non est, quin Societatem ingrediendo votum suum impleret, etsi professionem non iniret. Atqui minime illud impleret, nisi vere et proprie Religiosus futurus esset. Quod si eiusdem personae votum in certam Religionem cadat, illud in vota Societatis commutari potest. Sic enim definierunt privilegia apostolica etiam ante ipsius Gregorii XIII Constitutionem declarationemque nostro Ordini concessa, ut videre est in breviario privilegiorum Societatis, §. 2. et 3.

Et quamquam sola auctoritas et declaratio Apostolicae Sedis (quae et ab Apostolo [1] *columna et firmamentum veritatis*, et a Conciliis Triburiensi sub Arnulpho cap. XXX et Toletano XI: « Sacerdotalis mater di- « gnitatis magistraque ecclesiasticae rationis » appellatur) cuique pio et prudenti abunde esse deberet, tamen quo haec veritas plenius intellecta clarius etiam per-

1 I. Tim. III. 15.

spiciatur, rationes adducam, quas idem Papa Gregorius protulit in sua Constitutione adversus nonnullos, qui temere contendebant Religiosos falso vocari illos, qui in Societate simplicia vota post tirocinium edidissent. En quomodo loquitur Pontifex [1] : « Non considerantes « voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inven- « tam esse, triaque huiusmodi Societatis vota tametsi « simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac « Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Re- « ligionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se « Societati dedicant, atque actu tradunt, seque divino « servitio in ea mancipant. » In hisce verbis Pontifex duo veluti fundamenta iacit ad demonstrandum, simplicia Societatis vota constituere vere Religiosum, qui ea facit. Primum est, solemnitatem voti institutam esse ab Ecclesia ; quae etiam vota Societatis admisit tamquam vota Religiosum statum constituentia. Secundum est, quod istiusmodi votorum rei se plane tradunt Societati, devoventque pro sua parte in perpetuum servituti supremi Domini. In duobus hisce fundamentis considerandis consilium est aliquantulum immorari, ante quam respondeamus contrariis rationibus.

Et primum, quod voti solemnitas a constitutione Ecclesiae pendeat, Bonifacius VIII asseruit [2] ad Episco-

1 *Ascendente Domino* §. 18.

2 Cap. unic. de voto in 6.

pum Biterensem sic scribens: « Quod votum debeat « dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium effi- « cax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, « quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae « est inventa etc. » Quam sententiam sequitur Glossa in hoc eodem loco, et inter theologos non pauci 1. Plures autem inter canonistas eidem sententiae adhaerent 2. Tandem haec sententia communis est canonum

1 Caietanus in 2. 2. quaest. 88. art. 7. et 9; Capreolus in 4. dist. 33. q. 1. art. 2; Abulensis in cap. XXX. Numer. q. 59. et 60; Scotus in 4. d. 38; Paludanus q. 2. num. 12; Gabriel Supplem. q. 1. art. 4. can. 4. lit. Q; De Palacio disp. 1. pag. 10. et disp. 2. concl. 2. 3. 4; Alvarus Pelagio de planctu Ecclesiae cap. 46; Veracrux in specul. coniug. 1. p. art. 31; Gerson 3. p. alph. 67. de statu perfecto tit. 7, et de regul. moral. tit. 25. c. matrim. lit. D; Ledesma 2. p. 4. q. 55. art. 1; Corduba lib. 1. q. 24; Angles in floribus theolog. tit. de voto, art. 6. difficult. 1; Victoria 2. 2. q. 88. art. 11. Summa Confess. tit. de disp. voti; Angelus matrim. 3. impedim. 5. in princip.; Rosella impedimento 4. §. 2; aliique praeterea, quos Thomas Sanchez Societatis nostrae sacerdos citat Tom. II. de matrimonio, lib. VII. disp. 25.

2 Panormitanus in cap. *Rursus,* qui clerici vel voventes; ubi Praepositus num. 2. et 7. et in cap. *Meminimus* eod. tit. n. 2. Astensis 2. p. Summae lib. 8. tit. 16; Hostiensis lib. 4. in rubrica *Qui clerici;* Alexander in cap. *Meminimus,* num. 3; Antonius de Butrio ib. num 7; de Ancharano num. 2; Archidiaconus in cap. *Sancta* 26. q. 1. num. 6. cum Hugone et Gofrido; idem Abbas cum Innocentio in cap. *Cum ad monasterium* num. 21. de statu monachor. et in cap. *Porrectum* de Regular.

peritis toto titulo *Qui clerici vel voventes*, ut monet Archidiaconus [1]. Cursim haec observabo, in iure eiusque explicatione consulta canonistarum longe pluris fieri quam ceterorum.

Venio nunc ad rationes, quibus eadem veritas comprobatur. Prima est, miram in Ecclesia Dei varietatem circa voti solemnitatem reperiri, diversaque pro temporum diversitate decreta in hac re prodiisse. Principio enim virgines continentiam profitebantur paterna in domo, veste tantum commutata, ut e Conciliis colligitur Carthaginiensi IV (capitul. CIV.) et Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cuius meminit Burchardus [2]. Quod vero solemne fuerit istarum virginum votum, constat e Concilio Toletano IV. (capitul. LV.) in quo, ut refert idem Burchardus [3], praecipitur matrimonium dirimi, si forte virgines illae nubent. Deinceps decretum est, ut virginum professiones celebrari non possent, nisi presente Episcopo, e cuius manibus ipsae velum acciperent, ut patet e Concilio I Arausicano [4]. Processu temporis statutum est, ne vota solemnia alibi fierent, nisi in aliqua Religione, et in Praelati manibus; quamquam nulla subesset necessitas, ut Religio in qua

1 In cap. *Virgines* dist. 27. ad finem.

2 Decretor. lib. VIII. cap. 37.

3 Ibid. cap. 48.

4 Can. XXVII. et habetur in can. *Viduitatis*, caus. XXVII. q. 1. et in Burchardo lib. VIII. c. 43, et in Ivone Decret. part. VII. c. 61.

vota fierent, a Sede Apostolica approbata fuisset. Huius autem constitutionis auctor est Bonifacius VIII (cap. unic. de voto in 6.). Unde apparet, cur s. Thomas, qui paulo ante Bonifacium naturae concesserat, de voto solemni loquens, nullam de Religionis approbatione mentionem interserat: item apparet, quare sanctorum Antonii et Macarii Religiones omnium veterrimae praedicta careant approbatione. Prima enim Religio, quam a Sede Apostolica approbatam esse comperimus, illa fuit, quam s. Benedictus in Occidente fundavit, ut ait Chassanaeus [1], quamquam verum sit, in iure mentionem fieri de s. Basilii regula. Tandem Ecclesia voluit, ut ad voti solemnitatem nova conditio accederet. Ea autem fuit, ut illud votum esset et haberetur solemne, quod in Religione fieret, quam Sedes Apostolica approbasset; quemadmodum in praesens assolet. Itaque quas modo recensuimus varietates in solemne votum inductas, eas et ab Ecclesia institutas fuisse, et ab ea idcirco pendere manifestum est. Igitur manifestum pariter est, Ecclesiam omnimoda auctoritate pollere ad hoc statuendum; ut quod votum antea solemne non erat, solemne in posterum sit; et contra, quod prius erat solemne, illud posthac solemnitate privetur.

Aliunde etiam veritas confirmatur, ab effectu videlicet praecipuo, quem votum solemne progignit. Neminem latet, voto solemni hanc vim inhaerere, ut pro-

1 Catalog. gloriae mundi, part. IV. consid. 43. 44.

fessum efficiat ad nuptias ineundas inhabilem, sicut legitur in supra memorato capitulo unico *de voto* in 6. Quem effectum non ab intima solemnis voti natura exoriri, sed ab externa vi et institutione, mihi videtur ex eo probari posse, quod professionis vinculum non ita pugnat cum matrimonii nodo, ut aliquando in eadem persona inesse ambo non possint. Etenim si duo coniuges mutuo liberoque consensu Religionem ingrediantur, ibique professionem faciant, nemo sapiens dicet, matrimonii vinculum ob id dissolvi, cum suapte natura indissolubile sit, ut docet s. Thomas 1. Itaque fit, ut personae, quas ad exemplum assumpsimus, coniuges eodem tempore sint et professae. Neque id mirum videbitur considerantibus, tum coniugem tum professum tradere se alteri, sed ratione longe diversa. Nam coniux traditione sua iustitiae opus exercet; professus, qui Deo per votum se mancipat, religionis actum persolvit. Iam vero hi duo actus, cum in diversa abeant et ordinentur, nullam inter se pugnam implicant. Tunc utique adesset pugna, si quis una uxore iam ducta alteram duceret; huic enim se daret iustitiae nomine, cum priori iam se dedisset eiusdem iustitiae vi. Praeterea nec ex vinculorum, de quibus loquimur, natura haec inter ea apparet repugnantia. Siquidem Ecclesia potest in tali re dispensare, hoc est, potest professo restituere ius libertatemque amis-

1 Supplem. *al.* addit. ad 3. p. quaest. 61. art. 2. ad 1.

sam matrimonii contrahendi. Ita sentiunt inter theologos Richardus [1], s. Bonaventura [2], Scotus [3] aliique [4]. Etiam apud canonum consultos communis est haec eadem opinio [5]. Nec desunt huic sententiae confirmandae insignia exempla. Scimus enim, Aragoniae Regi domino Ramiro factam fuisse a Pontifice copiam transeundi ad nuptias: idem concessum esse Constantiae Reginae Siciliae, idem Casimiro Poloniae Regi, monacho ante Cluniacensi, idem Nicolao Iustiniano, monacho et ipsi, aliisque, quos nominat p. Azorius in suis moralibus Institutionibus [6]. Quam facultatem profecto Apostolica Sedes nequaquam concessisset, si professionis connubiique societas in una eademque persona naturae lege pugnasset.

Conficitur ex dictis votum simplex et solemne natura non differre sed solemnitate, quae alteri adhaeret, ab altero abest. Quae solemnitas in sola Ecclesiae in-

1 In 4. d. 38. art. 9. q. 1. ad 4. 5. 6.

2 Ibid. art. 2. q. 3.

3 Ibid. q. 1.

4 Paludanus ibid. q. 4. art. 3. concl. 11 Durandus; ib. q. 2; Maior ib. q. 14; s. Antoninus part. II. tit. XI. cap. 2. §. 9; Caietanus 2. 2. q. 88. art. 11; Henric. quodlib. V. q. 28; Herveus quodlib. XI. q. 25; Angelus votum 4. q. 5; Rosella verb. *Papa* num. 4.

5 In cap. *Cum ad monasterium* de statu monach., et cap. *Veniens,* qui clerici vel voventes.

6 Part. I. lib. XII. cap. 7.

stitutione innititur, ut Pontifices declararunt, Doctores confirmarunt, rationes evincunt.

Sed satis de priore fundamento. Ad alterum veniamus, in quo Pontifex, ut declaret vota simplicia Societatis veros et in praesenti efficere Religiosos, hoc statuit: quicumque eiusmodi vota nuncupat, eum statim et eodem temporis puncto totum se supremi Domini servitio conservare et tradere. Quibus verbis Pontifex definit voti simplicis et solemnis formale discrimen non iam in eo verti, quod qui simplex votum emittit, promissionem, qui solemne, traditionem faciat, quemadmodum adversarii in argumento quinto obiiciebant, similitudine a sponsalibus matrimonioque accersita; sed quod solemne conditiones habeat institutione Ecclesiae sibi adiunctas, simplex non habeat. Rem placet exemplo firmare. Sit aliquis, qui voverit Religionem se esse ingressurum: hic si, antequam ingrediatur, in castitatem peccet, voti circumstantiam confessori detegere minime tenetur. Quamvis enim in Religionis voto contineatur votum castitatis, tamen quo tempore ipse voto se obstrinxit Religionem ingrediendi, non se obstrinxit pariter castitatem observandi ex eo ipso tempore, sed posthac, cum iam Religiosus esset. Aliter solvenda quaestio esset, si quis voto castitatis emisso peccatum in castitatis virtutem perpetraret. Tunc certe illud voti adiunctum confessario aperire necesse esset, quia ex eodem temporis articulo, quo votum fecit, se corpusque suum Deo obtulit ac tradidit. Iam si in ra-

tionem huiusce discriminis inquiras, nullam aliam invenies solidiorem, quam si dicas in priore voto solam futuri promissionem contineri, in secundo autem praesentis rei traditionem, quae, ut liquet, simplicis voti virtute perficitur.

Huc accedit, quod si quis liber potensque sui potest se ementi vendere, et a venditione statim illius dominatui se permittere; non videtur, quare ipse non possit per votum se quodammodo Christo Domino vendere, ac nulla interposita mora se in eius servitutem tradere. Certa nulla est Ecclesiae lex aut constitutio id prohibens. Illud unum Ecclesia constituit, eiusmodi traditionem non sufficere ad eum, qui se tradit, Religiosum vere ac legitime renunciandum, nisi in aliquo Ordine facta fuerit ab eadem Ecclesia approbato. Novum etiam sententiae nostrae firmamentum accedit ex tertia regula s. Francisci, aliisque huius similibus. In his enim conspicimus obedientiae et castitatis suscipi vota in Superiorum manibus; eaque suscipientem protinus se Deo mancipium tradere, obligationemque inire suscepta vota observandi, licet sint non ultra simplicia. Ex quo sequitur, traditionem non minus in simplici esse posse, quam in voto solemni; et praecipuum utriusque discrimen non in eo consistere, quod voti simplicis propria sit promissio, solemnis vero traditio, sed quod illud adiunctis careat ad solemnitatem requisitis ab Ecclesia, huic adsint praescripta adiuncta.

Constrato sic, ut ita dicam, itinere, ad id, quod magis votorum nostrorum proprium est, sermonem convertamus. In quo duo diligenter sunt adnotanda. Primum, quod multum interest discriminis inter votum illud simplex, quod in saeculo fit, Religionis ingrediendae, et inter vota simplicia, quae fiunt in Societate nostra. Nam prius nullam aliam immittit necessitatem, nisi ineundae Religionis eiusque experiendae: quae, quantum satis est explorata, si minus illi placebit, hic potest ex ea decedere, ut eruitur ex iure canonico 1 ac docet s. Thomas 2. Ratio autem est, quia vult Ecclesia, utpote benigna et plena aequitate parens, ut in re tam gravi ac seria pertentet quisque vires suas, utrum religiosae vitae oneribus pares sibi esse videantur. Hoc ergo simplex votum simplicem tantummodo continet promissionem. At simplicia Societatis vota qui nuncupat, ea nuncupat post biennii tirocinium, in quo et vires suas, et Religionis onera perpendere commodissime potuit; nuncupat autem certa ac sacra verborum formula paupertatem spondens, castitatem, et obedientiam. Porro eadem vota Apostolica Sedes admittit, et tamquam Religionis substantiam constituentia recognoscit, declaratque vere ac proprie Religiosos esse, qui ratione, quam diximus, ea fecerint.

1 Can. *Gonsaldus,* caus. XVII. q. 2; et cap. *Constitutionem,* de Regular. in 6.

2 2. 2. q. 189. art. 4.

Secundum, quod animadversione dignum arbitror, est: si effectus, quos vota nostra simplicia pariunt, contemplemur, et declarationes consulamus super his factas a Summis Pontificibus, nihil esse cur miremur Gregorium XIII id definiisse quod supra attulimus. Etenim, ut saepe notatum est, haec vota fiunt post duorum annorum probationem, et peculiari verborum formula, quam Sedes Apostolica approbavit. Qui vero ea faciunt, hi Deo, ad se quod attinet, in perpetuum devinciuntur, et si absque Superiorum permissu e Societate excedant, apostasiae nota inuruntur, inciduntque in poenas adversus illos apostatas decretas, qui ab aliis Religionibus evasere post professionem. Item nec sine moderatorum consensu facere possunt transitionem ad aliam Religionem, quamtumvis et cultus asperitate et regularum observantia valde commendabilem, Carthusiana una excepta. Quod si sponte sua in aliam Religionem transmigrassent, ibique professi essent, pro infecta haberetur eorum professio. Tandem ad matrimonium ineundum evadunt inhabiles; ut si illud contrahere audeant, huiusmodi contractus omnino irritus exsistat, ex Constitutione Gregorii XIII. Quem quidem postremum effectum ante eam Constitutionem votum solemne sibi vindicabat. Itaque cum vota simplicia Societatis haec omnia operentur ac perficiant ex Constitutione et declaratione Ecclesiae, quid miramur, eos, qui haec vota concipiunt, non minus vere ac proprie Religiosos dici, quam qui solemnia conceperunt?

Sotus [1] fatetur Melitenses equites vere esse Religiosos; animadvertit tamen eorum vota non esse solemnia, sed simplicia, eo quod matrimonium dirimant non per se, sed ex Ecclesiae constitutione. Addit vero [2] praedicta equitum vota matrimonium praecedens non dirimere: suaeque sententiae adstipulatorem habet Franciscum Sarmiento Episcopum Astoricensem [3]. Iuverit etiam hic commemorare, ipsum Sotum aliosque summistas docuisse, votis simplicibus paupertatis, castitatis, obedientiae actualem deesse traditionem, huiusque defectus causam ex eo oriri, quod Ecclesia, cui rerum huiusmodi examen ac iudicium commissum est, talem traditionem non agnoscat. Quoniam vero in votis simplicibus Societatis inest reapse actualis haec traditio, eaque vota Ecclesia tamquam rem suam admittit, declaratque esse verae Religionis vota, eosque, qui faciunt, vere Religiosos; nullus amplius dubitationi relinquitur locus, cessandaque est temeraria omnis contentio adversus rem adeo certam, exploratam, Ecclesiaeque iudicio tam splendide definitam.

1 De iust. et iur. Lib. VII. quaest. 5. art. 3. prope fin.

2 In 4. sent. dist. 27. q. 1. art. 4.

3 De redditib. eccl., part. IV. cap. 1. num. 13; et Defensionis libelli de redd. eccl. part. I. monit. 6.

CAPUT XVI.

Sequitur eiusdem argumenti tractatio: primo argumento respondetur: s. Thomae sententia perpenditur.

Ad primum adversariorum argumentum dicimus, quod si diligenter considerentur, atque inter se conferantur, quae s. Thomas sparsim habet in suis scriptis, colligemus minime ex iis sequi, ut qui Religiosus esse velit, eum necesse sit votum solemne per professionem emittere. Idque probatur, quod (2. 2. q. 184. art. 5.) asserit Religiosos et Episcopos in statu perfectionis consistere ea de causa, quia « ad statum perfectionis « requiritur obligatio perpetua ad ea quae sunt perfe- « ctionis cum aliqua solemnitate. Utrumque autem ho- « rum competit Religiosis et Episcopis. » Igitur ut Religiosus perfectionis statum obtineat, necesse non est, ut is maiori vel obligationi vel solemnitati obnoxius sit, quam Episcopus: cuius quidem status sanctitate et perfectione Religiosi statum procul dubio antecellit. Sed ex mente eiusdem sancti doctoris Episcopus voti tantummodo simplicis reus est: Pontifex enim Episcopum eximere potest a religione voti servanda, a qua certe non posset eximere, si votum esset solemne, ut idem s. Thomas docet. Dubium igitur non est, quin ex s. Thomae doctrina [1] votum Episcopi sit simplex;

1 2. 2. q. 88. art. 11.

idque Caietanus fatetur [1]. Quod vero addit s. Doctor: *cum aliqua solemnitate*, illud significare velle videtur non simplex quodvis votum satis esse ad voventem in statu perfectionis constituendum, sed oportere praeterea, ut illud votum *solemnitas aliqua* comitetur: quo solemnitatis modo non carent profecto Societatis vota simplicia. Cum vero s. Thomas aliquam tantum idest mancam solemnitatem requirat, non illam plenam postulare certe videtur, quae solemnia professorum vota auget, atque condecorat.

Rursus idem s. Doctor [2] probat perfectionis statum solis Episcopis convenire, non vero aliis humilioris ordinis Praelatis, quibus animarum cura concredita est, hoc argumento, nimirum quod Episcopus animarum curam dimittere voluntate sua non potest, sed alii utique possunt, ut dicitur in cap. *Licet* de Regular. et in cap. *Magnae* de voto, et ut confirmat idem sanctus (2. 2. q. 189. art. 7.) Iam quid ex hac doctrina consequitur? Istud, ni fallor; quod si parochi etiam, non Episcopus modo, ad ovium suarum procurationem ita adigerentur, ut eam pro arbitrio declinare non possent, essent et ipsi in perfectionis statu non secus ac Episcopus; quamquam nulla alia tenerentur voti obligatione, quam qua tenetur Episcopus. Atqui Episcopi votum solemne non est, ut supra demonstravimus. Er-

1 Ibid.
2 2. 2. q. 184. art. 6.

go votum solemne, ex natura rei, ut dicitur, necessarium non est, quare aliquis in perfectionis statu constituatur.

Praeterea idem s. Thomas quaerens (2. 2. q. 186. art. 6.) utrum ad perfectionem Religionis paupertatem, castitatem, obedientiam voti sanctitate consecrari fas sit? affirmanter respondet; nec tamen in toto articulo verbum unum occurrit de voto solemni. Vidit enim Angelicus Doctor ad verae perfectaeque Religionis essentiam haudquaquam oportere votum esse solemne: quod si oporteret, nec accurate definiisset, nec rite explicasset id quod in illo articulo quaeritur. Demum in eadem quaestione art. 7. concludit Religionis perfectionem in tribus votis consistere paupertatis, castitatis, obedientiae; et art. 8. ostendit obedientiae votum esse trium excellentissimum. Iam vero in istis locis nullum vestigium apparet, ex quo dignoscatur, ad perfectionem Religionis solemnitatem voti requiri. Quod si aliquis interpellando diceret, sanctum Doctorem (quaest. 189. art. 7.) affirmasse, curionibus idest parochis integrum omnino esse Religionem ingredi, quia « non obligantur voto perpetuo et solemni », hunc nos admoneremus solemne vocari a s. Thoma votum illud, quod competit Episcopis; sed solemne revera non esse, at simplex, ut supra vidimus. Id constat verum esse ex his, quae sanctus subiungit: « Obligari voto perpetuo et solemni « ad vacandum divinis obsequiis, competit proprie E- « piscopis et Religiosis. »

Itaque ut demum respondeamus primo argumento, in quo nobis obiicebatur ille Angelici locus (art. 2. ad 1.) qui sic se habet: « Duplex est Religionis votum. Votum « solemne, quod hominem facit monachum, vel alte- « rius Religionis fratrem, quod vocatur professio: et ta- « le votum debet praecedere annus probationis... Aliud « autem est votum simplex, ex quo aliquis non fit mo- « nachus, vel Religiosus, sed solum obligatus ad Re- « ligionis ingressum, et ante tale votum non oportet « praecedere probationis annum: » dico s. Thomam de votis simplicibus loqui, quae tempore anteeunt probationem: per quae sane vota homo minime Religioni se dedit; non vero loqui de votis, quae post biennii experimentum eduntur: per quae vovens penitus perpetuoque Religioni se dedit. Cum vero talia sint Societatis vota, hoc est, edantur post annorum duorum probationem, dubium non est, quin s. Thomas eadem de nostris votis diceret, quae de voto solemni dixit; praesertim si ea aetate floruisset, cum declaratio et Constitutio Gregorii XIII edita est. Nam huius sanctissimi aeque ac sapientissimi Doctoris tanta fuit modestia tantaque erga Sedem Apostolicam observantia, ut huiusce Sedis definitione qualibet cognita ac perspecta continuo opiniones suas ei conformaret, in eaque acquiesceret, ut in operum suorum partibus bene multis videre licet. Sic, exempli gratia, in opusculo XIX. cap. 4. (multo post dimid.) reprehendit nonnullos, qui temere effutiebant, aliquos in Ecclesia Dei Ordines Religiosos ex-

tare nullius ipsi Ecclesiae utilitatis; additque hanc rationem: « Cum ... per Apostolicam Sedem Religiones « aliquae sint institutae ... manifeste se damnabilem « reddit quicumque talem Religionem damnare cona« tur; » citatque praeterea illud Hilarii Papae: « Nulli « fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutio« nes, vel Apostolicae Sedis decreta temerare 1. » Pariter idem sanctus Doctor (3. p. quaest. 27. art. 2.) ubi quaerit: « Utrum beata Virgo fuerit sanctificata « ante animationem, » ita ad tertium argumentum respondet: « Licet Romana Ecclesia conceptionem beatae « Virginis non celebret (non enim ea aetate celebrabat), « tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum « illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non « est totaliter reprobanda. » Age vero si festum conceptionis beatae Mariae, quod apud aliquas Ecclesias agebatur, ideo s. Thomas improbare non audet, quia Romana Ecclesia illud tolerabat; quid dicturum facturumve fuisse putandum est, si eadem Romana Ecclesia praedictum festum celebrari iussisset? Insuper in 2. 2. quaest. 64. art. 7. pronunciat: « Cle« ricus etiamsi se defendendo interficiat aliquem, « irregularis est, quamvis non intendat interficere, « sed seipsum defendere. » Verum contraria huic doctrinae sententia perlata postea fuit a Clemente Papa V in Concilio Viennensi (et habetur in Clemen-

1 Habetur can. *Nulli fas sit,* caus. XXV. q. 1.

tina unica de homic.). De qua ait Caietanus in explanatione illius loci [1]: « Quae lex si tempore auctoris extitisset, non scripsisset hoc auctor. » Et cum Angelicus [2] aperte docuisset Pontificem in voto Religionis dispensare non posse, idem Caietanus Angelici interpres adnotat ex mente s. Thomae Pontificem posse etiam dispensare in voto Religionis et Ordinis. Idque ex eo comprobat, quod Angelicus non sua nititur sententia sed Decretalis *Cum ad monasterium*. Tum infert Caietanus: « Est igitur ista non sententia, sed opinio « auctoris quatenus ex Decretali dependet. Et quoniam « eiusdem est interpretari canonem, cuius est condere « illum, si auctor vidisset Summum Pontificem declarasse, quod Decretalis illa intelligitur stante monachatu, procul dubio non suscepisset onus huius opinionis ad defensionem illius Decretalis non interpretatae. Videtur autem pluries a Romano Pontifice interpretata Decretalis illa, ut diximus, dum dispensavit cum multis Religiosis, ut contraherent matrimonium. » Praeter haec, alia etiam sunt Angelici loca, quibus aptanda est scita Caietani observatio. Aliter enim sensisset et scripsisset vir Ecclesiae obsequentissimus, si quae Apostolica Sedes decrevisset, cognoscere potuisset. Quoniam vero nullus est aut theologus aut canonum sciens, qui Pontificum decretis circa ir-

1 In 2. 2. quaest. 64. art. 7. ad 3.
2 2. 2. q. 88. art. 11.

regularitatem non adhaereat, licet s. Thomas contrarium docuerit; nobis etiam licebit Doctoris licet omnium praestantissimi sententiam deserere, quae adversetur declarationi, definitionique a Pontifice postero tempore factae. Quamquam si accurate pensentur, quae supra attulimus, patebit minime pugnare ea, quae sanctus docuit, cum iis, quae Pontifex statuit.

CAPUT XVII.

Ad cetera argumenta respondetur.

Ad secundum et tertium argumentum respondemus, Doctores, prolatosque textus tum canonicos tum civiles ad eam loqui rationem, quam illorum temporum ferebat consuetudo, non vero sic loqui, tamquam si ab Ecclesia diversa imperari atque usurpari non possent. Iis enim temporibus novitius tirocinio suo peracto professionem agebat; atque ita Religionem ingressus Monachus et Regularis esse vocarique incipiebat. Ideo professio dicta est Monachum efficere. Sed haec minime praepediunt, quominus possit Ecclesia Ordinem instituere, qui et vota habeat simplicia, et tamen vera sit ac germana Religio.

Itaque Navarrus, qui antea generatim id pronuntiarat, quod dicitur in argumento, postquam Bullam [1]

1 *Quanto fructuosius.*

legit atque pervolvit, quam Gregorius XIII anno MDLXXXII dedit, homo aequissimus (in primo commentario de Regular. num. 19.) subiicienda esse duxit, quae sequuntur: « Qui in Societate Iesu post bien-
« nium novitiatus expletum tria vota praefata (non so-
« lemnia, sed tantum simplicia) substantialia emiserint,
« sunt et dici debent vere et proprie Religiosi etiam an-
« tequam solemniter profiteantur... quod est quiddam
« novissimum admirabile concessum praefatae Socie-
« tati et clare declaratum et confirmatum a S. D. N.
« in quadam Bulla, quae incipit: *Quanto*, data an-
« no 1582, Calendis Februarii. » Idem dicit in commentario IV. de Regular. (num. 76.). En illius verba:
« Licet non possint ipsi ad saeculum redire per solam
« suam voluntatem, et vere, ac proprie sint et debeant
« dici Religiosi: possunt tamen dimitti et liberari a
« votis suis auctoritate Superiorum, antequam ad sole-
« mnem professionem admittantur, ut mirabiliter de-
« claravit S. D. N. Gregorius XIII. » Et in libro III. Consiliorum seu responsorum (consil. 49.) eandem hisce verbis tradit doctrinam: « Longe tamen alia ra-
« tio est eorum, qui in Societate Iesu post biennalem
« probationem tria simplicia vota, paupertatis, castita-
« tis et obedientiae emittunt. Hi namque cum ita vo-
« veant vero certoque proposito ut Religiosi fiant,
« cumque eadem mente, ac ratione ab eiusdem Socie-
« tatis Superioribus admittantur, et cum vere se ob-
« ligent ad observantiam regularem Constitutionum

« ipsius Societatis eiusque Instituti ab Apostolica Sede « saepius approbati, vere proprieque Religiosi sunt, « ut sapientissime declaravit Gregorius Decimus ter- « tius in quadam Bulla, edita anno 1582, quae incipit: « *Quanto*, et in Constitutione edita anno 1584, quae « incipit: *Ascendente Domino*, ut diximus in com- « ment. I. de Regularibus. »

Anno MDLXXXIX in quodam Athenaeo, inter hispanica celeberrimo in primis, proposita fuit huiusmodi thesis litterario certamine publice indicto propugnanda: « Status vero Religiosorum (qui etiam in statu perfe- « ctionis sunt simpliciter et absolute) comparatur ad « Episcopalem sicut disciplina ad magisterium. Est « enim Religionis status disciplina et exercitium per- « veniendi ad profectum caritatis: unde necessarium « est quod per tria vota essentialia, voluntariae scilicet « paupertatis, perpetuae continentiae, atque obedien- « tiae Religiosi abstrahantur a rebus mundanis, ut « libere Deo vacare possint, et in iis substantia Reli- « gionis consistit, dummodo solemni voto firmentur, « quod fit per solemnem professionem in Religione « probata. » Rem cum Apostolicus Nuncius rescivisset, quaestionem illam defendi vetuit, causamque, cur vetaret, hanc esse dixit, quod ea conclusio Constitutioni Gregorii XIII contraria esset. Nuncii intercessioni non acquiescentes Athenaei doctores Sanctitatem Xisti V per litteras consuluerunt, rogaveruntque: « An praedi- « cta assertio discuti, publice doceri, et in disputatio-

« nem venire posset, et quomodo auditoribus explicari « debeat? » Pontifex Cardinalibus s. Severinae, Deza, ss. Quatuor, s. Marcelli (is postea fuit Urbanus VII) et Sarnano, qui generalium Inquisitorum munere fungebantur, negotium detulit, ut conclusionem praedictam rite examinari ac expendi, Congregatione advocata, curarent. Re diu multumque perpensa, tandem anno MDLXCI postridie Id. Iunias Pontifex ipse in Congregatione generali Inquisitionis declaravit pronuntiavitque: « Praedictam conclusionem propositam discuti, « publice doceri in disputationem venire posse, atque « auditoribus recte et pie explicari deberi, si tamen « illis verbis: *Quod fit per solemnem professionem,* « addatur verbum *regulariter*: ut sit sensus: Quod in « votis essentialibus voluntariis scilicet paupertatis, « continentiae et obedientiae, quibus Religiosi abstra- « huntur a rebus mundanis, ut magis libere Deo ser- « vire possint, substantia Religionis consistit, quod *re-* « *gulariter* fit per solemnem professionem votorum in « Religione approbata: licet summus Romanus Ponti- « fex aliter indulgere seu statuere possit, ut in prae- « dicta Bulla Gregorii XIII et ita nuper modo et forma « respondit et declaravit. »

Ad quartum argumentum respondemus, verborum eorum intellectum: *et promitto eamdem Societatem me ingressurum* desumendum esse e Societatis Constitutionibus, et a voventium voluntate: qui quidem post ea verba: *et promitto eamdem Societatem me ingres-*

surum addunt continuo : *ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones.* E declarationibus autem loci illius (qui in parte V. cap. IV. litt. *E*, et in parte V. cap. I. litt. *A.* occurrit, necnon in Examine cap. I. §. 10. et cap. VII. §. 1.), constat promissionem illam hoc sibi velle, ut qui vovet ingressurum se esse Societatem, aeque animo paratus sit tum ad professi, tum ad coadiutoris formati gradum suscipiendum, prout unus vel alter oblatus ei fuerit a Superiore. Atque hoc demum est, quod dicitur *Societatem ingredi.* Nec tamen inde licet inferre, quod, qui vota tantum simplicia fecit, in Societate non degat, nec verus sit Religiosus ; sed solum, quod non adeo intime conglutinetur ac haereat Societati, ut professus et coadiutor formatus. Siquidem postremus hic gradus considerari potest veluti meta ; prior veluti stadium vel iter, quo ad illum pervenitur. In Congregatione V Generali, quae habita est anno MDLXXXXIII ad secundum canonem seu (in Ms.) decretum XVI, quod in ea factum est, praedictum dubium sequenti responso dissolvitur : « Promis-
« sio illa ingrediendi Societatem, quae in formula vo-
« torum simplicium scholasticorum habetur, votum est
« peculiare a tribus aliis distinctum, quo quis se obli-
« gat ad acceptandum gradum professorum, vel coa-
« diutorum formatorum, prout Praeposito ad maius
« Dei obsequium fore videbitur. »

Ad quintum argumentum respondemus, substantialem differentiam inter votum quodlibet simplex, et solemne non iam in eo sitam esse, quod per simplex promissio solummodo in futurum, per solemne traditio sui in praesens a vovente fiat. Ratio est, quia et traditio aliquando esse potest in voto simplici, ut supra dictum est, et promissio nunquam abesse debet a voto solemni; siquidem votum quodvis natura sua promissio est, ut ex eius definitione constat, et ut docet s. Thomas 1. Ceterum negari non potest, inter vota simplicia reperiri aliqua, in quibus sola promissio continetur, non vero traditio: qua sane traditione votum solemne carere nunquam potest. Atque haec disparilitas determinat satis discrimen votum inter solemne et simplex. Verum quo plenius discrimen hoc dignoscatur, attendendum est ad traditionis species, quae duae sunt potissimum. Prima latiore sensu accepta quamcumque donationem notat, quam homo religione voti adactus praestat. Haec porro donatio vel hominem ipsum respicere potest vel res suas, prout animo ipse destinavit sive ab aliqua corporis seu animae actione se continere, sive abstinere ab usu legitimo bonorum, quibus ante votum frui poterat pro voluntate; sive eorumdem bonorum renuntiare dominio: idque ad tempus vel definitum vel perpetuum adiecta tamen conditione aliqua, quae votum dissolvere, atque irritum

1 2. 2. quaest. 88. art. 1. 2.

facere valeat. Secunda traditionis species materiam nostram propius attingens ea est, qua homo non solum sui rerumque suarum usum, verum etiam ius dominiumque concedit. Huiusce igitur donationis vi se ipse Deo dat, donat, dicat nulla parte sibi retenta, nulla conditione adiuncta, nullo temporis spatio definito: tantaque sibi tamque firma iniicit vincula, ut communi ordinarioque iure resolvi non possint. Etenim ea donatio tum ex parte donantis, tum ex parte Dei donationem interprete ministro suo acceptantis, perpetua est, insolubilis, nec dispensationi obnoxia. Haec tam perfecta donatio peragitur per votum solemne in aliqua Religione, quam Sedes Apostolica approbavit, emissum, iisque celebratum caeremoniis, quas Ecclesia sancta constituit. Cui quidem placuit, ut votum, quod ritu praedicto perageretur, solemne esset; quod autem fieret sine solemnitate praescripta, simplex dumtaxat haberetur. Quamquam, si ad voti essentiam attendamus, nullum inter utrumque formale discrimen intercedat. Et sane ut in ceteris, ita in hac re prudentissimum fuit Ecclesiae consilium. Nam cum maximi momenti res sit, et ad animae salutem totiusque vitae tranquillitatem maximopere pertineat, ut homo in eligendo perfectionis statu probe noscat modum, quo se tradere Deo et consecrare valeat in perpetuum, et sine ulla susceptum onus excutiendi spe; voluit Ecclesia, ne homo in re tam gravi sibi relinqueretur, et tantum negotium pro arbitratu suo administraret,

sed ut leges acciperet, quas si observaret, rata et solemnis esset illius traditio; non esset, si iis legibus non staret. Neque enim negotii magnitudo patitur, quemadmodum rite observat Sotus [1], ut nisi quam accuratissime et cum maturrimo examine iudicioque geratur. Hoc vero iudicium et examen Ecclesia sibi uni reservavit, vetuitque ne quis in Religionem reciperetur, neve professione votoque solemni divino cultui manciparetur, nisi prius tirocinium egisset, oneraque expertus religiosae disciplinae vidisset, utrum ad ea per totius vitae curriculum toleranda sufficeret. Atque, ut exemplo clarius res eluceat, quemadmodum solemne dicitur testamentum illud, quod legitimo testium numero, aliisque solemnitatibus, quas iura praecipiunt, peragitur; quod autem amotis testibus ceteroque apparatu conficitur, solemne non habetur: sic votum paupertatis, castitatis, obedientiae, quod fit in Ordine Religioso ab Ecclesia approbato, et servatis solemnitatibus caeremoniisque, quas eadem Ecclesia iubet, iuxta cuiuslibet Religionis Constitutiones, hoc, inquam, votum vocatur solemne, atque ut tale agnoscitur ab Ecclesia. Huius autem voti ea virtus est, ut qui illud facit, Deo Religionique tamquam mancipium nunquam alienandum addicetur; Deus autem illum acceptet per suum ministrum, atque ita acceptet, ut votum praedictum nulla valeat potestate ordinaria dissolvi atque interire.

1 De iustit. et iur. lib. VII. quaest. I. art. 2. et q. III. a. 2.

Contra votum, quod caret hac solemnitate, verborumque formula, quam sanxit Ecclesia, etsi non careat ceteris dotibus, hoc nec vocatur nec est solemne. Unica autem ratio ea est, quam nuper dixi: videlicet defectus solemnitatis, quam omnino exigit Ecclesia. Et quamvis sit verum, licere cuilibet se in famulum vendere, potest tamen supremus Gubernator (si e republica esse existimet) libertatem subditorum ita irretire, ut nemo se vendere audeat nisi sub certis conditionibus: quibus neglectis eiusmodi venditiones irritae nullaeque sint. Coercitionis huius exemplum praebuit Synodus Tridentina 1. Nam cum ante illam Synodum matrimonia valerent clandestina, hoc est, absente parocho et testibus inita; in praesens non amplius valent. Siquidem ad avertenda gravissima incommoda, quae ex clandestinis hisce matrimoniis erumpebant, sacra Synodus sanxit matrimonia in posterum irrita fore, nisi a contrahentibus celebrarentur coram proprio parocho et duobus vel tribus testibus. Ex hac declaratione discrimen elucet vota inter simplicia, quae scholastici coadiutoresque Societatis, et inter solemnia, quae professi eiusdem Societatis aliarumque Religionum approbatarum emittunt. Haec enim pro solemnibus habentur ab Ecclesia, priora pro simplicibus. Sed de hac re fusior erit sermo in capite XIX. huius tractatus.

1 Sess. XXIV. cap. 1. de reform. matrim.

Ad sextum argumentum respondemus, vocabulum *status* stabilitatem quidem ac perpetuitatem significare, ut ex eius etiam nomine constat, non ita tamen, ut nullo prorsus modo cessare ac dissolvi queat. Sufficit enim ad rationem sui generis, ut status per se perpetuus sit, perpetuamque eo modo obligationem inducat, quo vota simplicia Societatis inducunt. Episcopus certe statum obtinet perfectionis: eum tamen Pontifex de suo statu amovere potest. Sic qui matrimonio rato copulatus est, dicitur esse in coniugii statu: sed ab hoc statu se potest expedire, si professionem in aliqua Religione inire animum inducat. Sic etiam servus in statu famulari detinetur: at nihil prohibet, quominus eum herus manumittere queat, libertateque donare. Hanc tamen facultatem sibi sumere atque arrogare non potest Societatis Superior adversus eos, qui vota simplicia post probationis biennium emisere. Siquidem Constitutionibus nostris prohibetur eos sine gravissimis causis dimittere. Praevalet opinio doctorum illorum, qui dicunt Pontificem ob praesentissimas causas, ac commune bonum permittere posse, ut Religiosus professus uxorem ducat. Et reapse aliquando permisit, ut nos supra adnotavimus. Quocirca tametsi vota simplicia Societatis legitimis causis urgentibus extingui possint aut Pontificis dispensatione, aut Superiorum Societatis facultate ab ipso Pontifice accepta; non inde tamen sequitur, ut vim amittant status facienti haec vota conferendi. Quin immo si mentem ad liberalitatem appel-

lamus, qua scholastici nostri, coadiutoresque Deo per sua vota se tradunt, nobiliorem amplioremque quodammodo esse iudicabimus donationem istorum, quam ipsorum professorum. Professio siquidem reciproca dici potest, hoc est, ultro citroque obligans. Sicut enim professus spondet se constanter in Religione perstiturum esse, ita vicissim Religio ad eum perpetuo retinendum se obligat. Sed votorum simplicium non eadem ratio est; cum in iis Religiosus vincula quidem sibi iniiciat, nulla sibi Religio. Atque hoc quidem respectu splendidior videri debet istiusmodi donatio. Non ideo tamen in animo est eam professioni praeponere, quae alias praefert, easque ingentes utilitates. Nec votorum perfectioni aliquid detrahit conditionalis exceptio, qua fiunt. Nam castitatis votum a beatissima Virgine Domina nostra conceptum omnibus numeris absolutissimum fuit; hoc tamen votum a beata Maria emissum fuit sub hac saltem virtuali conditione: nisi maius Dei obsequium aliud exposceret. Sic sentit s. Augustinus; atque huius Doctoris sententiae a Gratiano memoratae [1] et a magistro sententiarum [2] subscribit s. Thomas [3] nec non Abulensis [4]. Rationi porro consentaneum est, ut praedicta conditio subaudiatur in omnibus votis licet professione solemni communitis. Ideo illa apud theo-

1 Can. *Beata Maria,* caus. XXVII. q. 2.
2 In 4. dist. 30.
3 Ibid. q. 2. art. 1. et quaestiuncula 2. ad 1.
4 In cap. XXX. Numeror. q. 32. et in cap. I. Matth. q. 30.

logos communis doctrina, nullam aliam esse posse voti materiam ac obiectum, quam melius bonum, ut refert ac docet s. Thomas [1] et Innocentius (cap. *Cum ad monasterium*, in fine), et s. Bernardus [2]. Hinc consequitur, solutionem votorum omnium esse de iure divino; promissumque ab eo, qui aliquid obtulit ac spopondit, implendum esse. Verum ista solutio tanto melior futura est, quanto gratior acciderit Domino, cui promissa est atque oblata. Et quoniam subinde causae exortae sunt, quare Summi Pontifices iudicarent maius fore Dei servitium, si certae personae religiosam professionem cum coniugii statu commutarent, ideo in ecclesiasticis annalibus legimus copiam tum fratribus tum monialibus a Pontificibus fuisse factam Religioni valedicendi, matrimoniumque contrahendi.

Ad septimum et postremum argumentum, quod diligentiorem sibi postulat disquisitionem, in capite sequenti respondebimus.

1 2. 2. q. 88. art. 2.

2 Super *Missus est*, homil. IV. — Vide Salmeronem, Tom. III. tract. 7. super illis verbis: *Quomodo fiet istud?*

CAPUT XVIII.

Explicatur, quomodo socii, licet per vota simplicia vere Religiosi possint et in Societate degentes dominio rerum gaudere, et ab ea dimissi matrimonium inire.

Quandoquidem specialior occurrit difficultas tum circa paupertatem sociorum, quos per tria vota simplicia vere ac proprie Religiosos effici ostendimus, etiam ante quam ad gradum vel professorum vel coadiutorum formatorum promoveantur, tum circa votorum solutionem, ob quam e Societate dimissi transire ad nuptias licite possunt; operae pretium putavimus esse ad trutinam haec duo accurato examine revocare.

In aliis Religionibus prius quam novitius in Ordinis corpus per professionem adsciscatur, possessarum rerum non dominio solum, sed usui etiam remittere nuntium cogitur, ut in Cassiano cernere est [1], tum in cap. LVIII. Regulae s. Benedicti, et in cap. II. Regulae s. Augustini. Pariter in Regula s. Francisci cap. II. praecipitur, ne quis candidatus in monasterium recipiatur, religiosoque habitu insigniatur ante quam fortunas suas ex Christi Domini consilio pauperculis dispenset [2]. Quod si ob legitimas causas id per-

1 De instit. renunt. lib. IV. cap. 5.
2 Matth. XIX. 21.

ficere recuset, perficiat certe ante professionis tempus. Idem hic mos apud ceteras Religiones obtinet. Contra qui Societatem ingreditur, quamquam in ipso introitu polliceatur se omnium bonorum possessione cessurum, postquam primum probationis annum expleverit, ut dicitur in Examine (cap. IV. §. 2.); tamen huic promissioni subiecta intelligitur conditio; scilicet ut a Praeposito Generali ad eam cessionem obligetur: aliter promissioni suae manere haudquaquam tenetur. Quin post tirocinii biennium, et post nuncupata iam simplicia Societatis vota scholasticus et coadiutor nondum formatus suarum rerum dominium annuente Generali retinere potest, donec ad professi vel coadiutoris formati gradum admittatur, vel iubeatur disertis verbis possessa relinquere, ut dicitur in Constitutionibus [1], nec non in Gregorii XIII extravaganti *Quanto fructuosius*, §. 3. Verum haec difficillime possunt explicari. Etenim quod aliquis vere Religiosus sit, simulque bonorum dominus ac possessor, haec secum confligere quodammodo videntur. Probatur primum ex eo, quod ne fingi quidem possit germana Religio absque perpetuae paupertatis voto, uno scilicet trium votorum, e quibus totius Religionis essentia conflatur. Iam paupertatis voto dominium rerum repugnat intrinsecus. Pronum est igitur concludere, possessor qui sit dominusque bonorum Religiosum esse non posse. Quapropter si

1 Part. III. cap. I. §. 7; et part. IV. cap 4. lit. *E.*

quis professionem ea voluntate conciperet, ut bonorum uorum non iam usum, sed dominium proprietatemque sibi reservaret, eius professio nulla esset iuxta caput *Insinuante*, qui clerici vel voventes; et ibi Glossa. Huic rationi, tamquam novum pondus accedit altera, quam afferunt: nimirum tantam esse votum inter paupertatis, et dominium discrepantiam, ut ne Pontifex quidem in hac re dispensare valeat: « Quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo « est annexa Regulae monachali, ut contra eam nec « Summus Pontifex possit licentiam indulgere; » ut ait Innocentius III (cap. *Cum ad monasterium*, de statu monachor.). Quae verba, ut Caietanus [1] animadvertit, accipienda sunt in sensu composito, hoc est, non posse Pontificem permittere, ut qui Religiosus est, et talis esse perseverat, ab onere eximatur paupertatis castitatisque servandae: posse tamen permittere, ut monachus a religiosae disciplinae legibus liberetur. Quocirca asserit Angles [2] quod « si Papa alicui monacho « concedat, ut habeat dominium, ille iam non erit mo« nachus. » Idem asserit Navarrus [3]. Adde, quod Religiosus, qui ad Episcopatus fastigium provehitur, hic secundum s. Thomam [4] nihil iure proprietatis habere

1 In 2. 2. q. 88. art. 11.

2 Flor. theologic. quaest.; de dominio, art. 1. diffic. 3. concl. 1.

3 De Regular. comm. II. in cap. *Non dicatis*, n. 15. ad 3.

4 2. 2. q. 185. art. 8.

vel acquirere potest. Non enim cessat Religiosus esse propterea quod Episcopus est; et proprietas professioni religiosae adversatur; proprietas, inquam, non autem usus aut administratio bonorum.

Ad haec Gregorius XIII in sua Bulla [1] sic respondet: « Et licet, qui ad gradus professorum et coadiutorum « formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum « ius atque dominium, tum alias ob iustas causas, « tum etiam ut maiorem Societas habeat libertatem, « illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi, ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum valeant retinere, ut in pauperes tandem, seu alios pios usus pro ipsorum devotione « distribuant, iuxta evangelicum consilium, ac pro« missionem, quam initio novitiatus faciunt, interim « tamen, quantum ad illorum usum religiosam pau« pertatem servant, nec ulla re tamquam propria, et « sine Superioris facultate uti possunt. » Haec sunt verba, quae Gregorius protulit post quam declaraverat antea Societatis homines, qui post biennium probationis simplicia vota fecissent, esse vere ac proprie Religiosos; et, quod multo magis est, postquam Pius V, in Bulla *Dum indefessae*, definierat non solum Religiosos, sed Religiosos praeterea mendicantes esse. Ratio vero est, quia religiosa paupertas non unam nec certam, sed multiplices formas induit pro

1 *Ascendente Domino*, §. 16.

peculiaris finis diversitate, quem unaquaeque Religio propositum sibi habet, ut optime advertit s. Thomas 1; nam sicut paupertas non est ipsa perfectio, sed quoddam ad perfectionem praesidium, ita ille paupertatis modus ac mensura, quae satis est ad perfectum finem Religionis cuiuslibet assequendum, satis est etiam ad substantiam religiosi gradus in qualibet Religione tuendam. Sicque fieri potest, ut quae res ad unius Religionis essentiam pertinet, ad alterius Religionis non pertineat, ut sacrosancta Tridentina Synodus non obscure significavit 2, ita Religiosos in universum adhortans: « Quae ad suae professionis perfectionem, ut obe-« dientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia « sunt alicuius Regulae et Ordinis peculiaria vota et « praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non « ad communem vitam, victum et vestitum conservan-« da pertinentia, fideliter observent. » Nemo igitur miretur, Societatem, quam in differenda professione suorum singularem esse vidimus, singularem etiam esse in iis, quae cum professione implicantur atque cohaerent. Potissimam omnium rationem, quare nostris liceat retinere cum Superiorum venia dominium bonorum suorum, etiam post vota simplicia emissa, nuper ex Gregorio XIII retulimus; eaque est, ut et Superiores magis libere possint dimittere indignos, et isti mi-

1 Opuscul. XVII. cap. 15. et 16.

2 Sess. XXV. cap. 1. de Regular.

nus gravate dimissionem perferant. Ob eamdem rationem in cap. *Beneficium*, de Regular. in 6. clerico beneficiario Religionem ingredi paranti potestas relinquitur possessa beneficia tamdiu obtinendi, quamdiu tirocinium perdurabit; ut videlicet faciliore negotio et ipse de Religione decedere, si minus religiosa vita illi probabitur, et Religio dimittere eum possit, si necessitas id postulabit.

Sed ut propositam difficultatem respondendo expediam, dico, inter votum simplex et solemne hanc interesse differentiam, sicut ait Navarrus 1, quod licet violatio utriusque sine letali noxa perpetrari non queat, tamen hoc habent distinctum, ut simplex adimat voventi libertatem bona acquirendi, acquisitisque utendi sine Superiorum permissu; solemne vero potentiam insuper adimat, hoc est impotentem prorsus et inabilem ad bona adipiscenda et possidenda voventem efficiat; ut si quid sibi comparaverit, nullum in re comparata ius acquisierit, irritusque omnino contractus extiterit. Consimili ratione de castitatis voto disserendum est. Simplex enim castitatis votum matrimonium communiter impedit, sed ita, ut, qui hoc voto tenetur, mortiferam quidem culpam admittat, si matrimonium audeat contrahere, ipse tamen matrimonii contractus valeat. Solemne contra non solum impedit matrimonium, sed etiam dirimit ac penitus abrogat; ut dicitur

1 De Regular. comm. I. in cap. *Cui portio*, n. 18.

in cap. *Meminimus* et cap. *Insinuante*, qui clerici vel voventes. Huiusmodi effecta progignit votum solemne tum castitatis tum paupertatis ex Ecclesiae institutione; cuius institutionis ea virtus est, ut certum quoddam votum solemne sit, quod absque ea solemne minime esset. Dixi supra *communiter impedit*, idque non sine consilio. Nam castitatis votum, quod socii faciunt post probationis biennium, dirimit, more solemnis, matrimonium ineundum vel sequens, ut dicitur, ex ordinatione Gregorii XIII, qui nostros, donec hoc voto illigati detinerentur, inhabiles esse voluit ad matrimonium contrahendum. Quod tamen solvi et extingui possit hoc votum, et supra iam diximus, et postea dicemus.

Ex dictis hoc consequi videtur, quod quemadmodum iuxta probabiliorem sententiam potest Pontifex, praesentissima causa impellente, voto castitatis solemni devinctum sic liberare, ut is ad nuptias faciendas habilis denuo exsistat; pari modo potest, ut censet [1] Innocentius IV, dispensare cum eo, qui voto paupertatis solemni tenetur, atque efficere, ut is aliquorum bonorum dominium adeat, ac usu perfruatur. Hoc dispensationis genere, ut plures autumant Doctores, liberare Pontifex solet Religiosos eos quos creat Episcopos. Sic enim scribit Sotus [2], cui haec doctrina

1 In cap. *Cum ad monasterium*, de statu monach. n. 1.
2 De iust. et iur. lib. X. q. 5. art. 7.

inniti videtur in can. *Statutum est et rationabiliter*, caus. XVIII. q. 1. Ad quem locum adnotavit Archidiaconus quoad ius paterni assis Religiosum perinde se habere ac filium emancipatum: verum contrariam sententiam tuetur s. Thomas. Quod si in voto solemni paupertatis dispensare potest Pontifex; multo magis poterit in simplici. Ab hoc enim non adeo abhorret dominium et proprietas, sicuti a solemni: de quo uno ius commune verba facit. Et quoniam Religiones omnes in paupertate exercenda dissimiliter se gerunt, et suum unaquaeque sibi praescripsit paupertatis genus; mirum non est Sedem Apostolicam bonum convenientemque iudicasse illum paupertatis modum, quem Societas observandum suis proposuit, qui nec professi sunt nec coadiutores formati, cum in eo necessaria ac sufficiens ad substantiam Religionis paupertas nequaquam desideretur. Nam si usum spectes, iam tum isti possessionem temporalium bonorum amisere; si vero ius dominiumque, animo ac voluntate amisere; parati interim ad Superioris nutum re ipsa perficere, quod iam ante promiserant; omnem videlicet proprietatem, tanquam molestum pondus a se amoliri. Quod si rerum suarum dominium adhuc retinent, non iam sibi, sed egentibus, aut in alios pios usus impendendas conservant, ut Pontifex in sua Constitutione loquitur.

P. fr. Ferdinandus de Castillo in annalibus suis [1] scribit habitum fuisse Londini anno MCCLXIII gene-

1 Histor. general de s. Domingo y de su Orden, lib. II. cap. 68. fol. 333.

ralem sui Ordinis conventum; conventui praefuisse tamquam disceptatorem et arbitrum s. Thomam Aquinatem, decretumque in eo esse, quid liceret, quid non, in librorum commercio, quos fratres Dominicani penes se cum bona Superiorum venia habere possunt, et cum eadem aut donare aut vendere aut commutare: illud etiam cautum esse, ut si quando frater fratri librum venderet, non ultra pretium, quam quo emerat, venderet. Addit Ferdinandus Ordinem suum, quem Fundator ad praedicationem instituit sacrasque litteras tradendas, diversam a ceteris sanctis Ordinibus gubernationis formam a primordiis usque secutum fuisse in eo, quod ad libros et quaelibet scripta generatim attinet. Et certe, ait idem scriptor, egregie deciperetur, qui hunc morem aut Superiorum incuria aut disciplinae remissione aut fastidio virtutis inductum putaret esse, cum potius ex ipsius Ordinis natura Institutoque prodierit haec consuetudo, eodemque tenore ad praesentia usque tempora invaluerit. Iam quemadmodum in reliquis Religionibus bona in commune possessa paupertatis votum non laedunt, sic ne laedunt quidem in Religione s. Dominici libri ab unoquoque privatim habiti ac usurpati, dummodo Praelato consentiente habeantur ac usurpentur: qui quidem nullam, si libros ad se revocet, iniuriam habenti fratri irrogabit, gratiam vero impertiet, si apud habentem manere patiatur. Porro haec gratia nec extraordinaria dici potest nec Ordinis legibus contraria, immo ra-

tioni Instituti nostri conformis nec a professione absona: quae proinde Patres nostri ab incunabulis ipsius Ordinis sine ulla dubitatione usi sunt. Ex hac doctrina tamquam ex fonte manavit decretum illud supra memoratum, cuius auctor fuit s. Thomas aliique iudices; videlicet fratrem alteri fratri venumdare suos libros parantem pluris non posse vendere, quam quanti sibi constiterint. Hactenus fr. Ferdinandus. Age vero cum fratri professo Dominicano liceat per regulam suam donare, vendere, permutare libros, eaque omnia facere, quin obligatio subsit specialem a Superiore facultatem petendi; cumque in hoc negotio peragendo dominium exerceat rei, quam dat, mutat, vendit; cur Societatis Religiosus nullo alio, quam votorum simplicium, vinculo innexus non poterit, Superiore sciente ac permittente, et quod multo magis est, Apostolica Sede approbante, obtinere aliquamdiu et ante professionem bonorum suorum dominium; maxime cum paratus semper sit illud resignare, ubi primum a Superiore iubeatur?

Huc etiam accedit, quod usufructuarius si in Religionem introeat, usumfructum ne post professionem quidem amittit: nam licet monasterium et fructu gaudeat teneatque usum, tamen ususfructus dominium ac proprietas, si fides danda est Antonio Gomez [1] aliisque multis legum scientibus, ab usufructuario alienari non

1 Comment. in Tauri leg. XLVIII. num. 8.

potest, et apud eum constanter permanet. Ratio est, quia, ut ait Sarmientus [1], usufructuarius nequit in alios usumfructum transferre. Cum igitur paupertatis voto non repugnet Religiosum bonorum aliquot ea ratione, qua diximus, usumfructum retinere; sequitur, ut ne repugnet quidem, Religiosum eumdem dominium aliquod obtinere; siquidem quaedam dominii species est ususfructus, ut Barbatia [2] censet, et ut diserte dicitur in *l. 4. ff. de usufructu.* Quin ususfructus in lege prima definitur: « Ius utendi, et fruendi bono, et re alterius, salva eius substantia. »

Illud etiam potest adiungi, quod nec repugnat paupertati dominium rei alicuius ad certum et modicum tempus proferre, ut Baldus docuit [3]. Quod Baldi consultum verum esse ostendunt omnes illae, Minoribus exceptis, Religiones, quae tum privatim, tum in commune stabilia bona possidere prohibentur. Istis, quas dixi, Religionibus si misericordis officii nomine donetur bonum aliquod, vinea, puta, aut aedificium, licet bona haec tamdiu tenere, donec idonea sese offerat occasio illa vendendi. Sic certe sentit Glossa communi-

1 Selectar. interpretat. Lib III. cap. 9; cum communi DD. antiquit. in *l. necessario* §. *fi. ff. de periculo et commodo rei venditae*, et in *l. si usufructus, ff. de iure dotium.*

2 In cap. final. de peculio clericor. num. 13. in fin.

3 In cap. *Cum causa,* de senten. et re iudicata, n. 4. (in Decretal.).

ter recepta [1], sic Felinus, sic Decius, sic Abbas [2]; Qui auctores alios etiam producunt sententiae suae adstipulatores. Decius autem subiungit [3], praedictam glossam non solum ex consuetudine, sed etiam de iure procedere. Idem verum esse contendunt Bartolus, Baldus, Alexander, de Aretio, ab Imola et Castro variis in locis. Quae omnia probant nec ipsum proprie dictum dominium paupertati repugnare, modo ea dependentia teneatur, iisque conditionibus quas memoravimus.

Praeterea isthaec dominii cum paupertatis voto repugnantia nec ex iure naturali, nec ex aliqua ratione essentiae voti insita erui potest; sed tota in Ecclesiae institutione, et iure positivo sita est, ut apparebit facile tum ipsius iuris positivi decreta, tum ecclesiasticas historias consulenti. Certum est enim Religiones antiquitus, Religiososque professos exstitisse, qui poterant testari, dominiumque proinde habere, quemadmodum constat patenter ex *l. 1.* C. *de sacrosancta Eccles.*: ubi Constantinus lege perlata eiusmodi testamenta sancit. Verum tamen est, quod non omnes indiscriminatim relinquere poterant haeredes: sed in piorum usuum causarumque commodum solummodo testamenta condere tenebantur, ut notarunt Salicetus et Iacobus Butrigarius in eadem lege. Pariter *iure Co-*

1 In cap. unic. de religios. dom. in 6. §. *Domum*.
2 In cap. *In praesentia,* de probation.
3 Ibid. (cap. *In praesentia*) num. 270.

dicis [1] designantur qui Religiosis successuri sunt haeredes ab intestato. Quae designatio profecto non fieret, si omni dominio Religiosi carerent. Ceterum huiusmodi leges castigatae postea sunt, et incudi redditae a Iustiniano in suis Constitutionibus; e quibus conditae sunt Authenticae *Ingressi*, et *Si qua mulier* C. *de sacrosanct. Eccles.* tum Authentica *Nunc autem* C. *de Episcop. et cleric.* ut Salicetus et Cuiacius adverterunt. Ideo s. Gregorius [2] sanxit ex vi Authenticae *Ingressi*, monasterii esse possessionem quidquid possederit monachus.

Item annales Ecclesiastici et Religiosi certiores nos faciunt, monachos professos tenuisse quondam dominium, deque reculis suis ad voluntatem statuisse: quemadmodum fecisse accepimus s. Antonium Abbatem, qui Athanasio, Serapioni, suisque discipulis detritas vestes ciliciaque testamento divisit. Sic s. Hilarionem Hesychio reliquisse Evangelium sua manu exaratum, tum saccum, cucullam, et palliolum testatur s. Hieronymus [3]. Qui etiam memoriae prodidit monachum quemdam nomine Malchum (cuius vitam virtutesque descripta narratione idem s. Hieronymus prosecutus est [4]) audito matris obitu monasterium ali-

1 *L. Si quis presbyter,* C. *de Episcopis et cleric.*

2 Regist. epist. lib. IX. *al.* VII. ep. 7. et. refertur cap. *Quia ingredientibus,* de testam.

3 In eius Vita §. 44; operum. tom. II.

4 In eod. tomo.

quamdiu deseruisse, ut materna bona divenderet, divenditaque partim egentibus, partim monasterio distribueret, partim etiam necessitatibus suis reservaret. Scimus etiam, ab eodem s. Hieronymo missum in patriam fuisse Paulinianum eius fratrem, qui quidquid ex paternis maternisque bonis adhuc supererat, venui poneret, quo « tantis de toto orbe confluentibus tur- « bis Monachorum » diversorium pararetur [1]. S. Arsenio, ut est in eius vita, Magistrianus detulit testamentum senatoris praedivitis consanguinitate Arsenio ipsi propinqui: in quo quidem testamento sanctus monachus haeres ex asse vocabatur. Et de Petronilla Lucania scribit s. Gregorius [2], eam, postquam monasterium ingressa est, sibi transmisisse cunctas fortunas, quae ad eam ex iure spectabant. Sic quidem antiquitus assolebat; sed decursu temporis legibus tum ecclesiasticis tum civilibus cautum est, ne proprietas dominiumque haereret Religioso, qui votum solemne paupertatis emisisset, ut fuse dictum est superius.

Ad primum argumentum, quod nobis obiiciebatur, respondentes fatemur et nos votum paupertatis, ex quo novae leges constitutionesque veteri consuetudine abrogata conditae sunt, ad Religionis essentiam pertinere, paupertatem vero eiusmodi esse oportere, ut

1 Epist. LXVI. *al.* 26. §. 14. ad Pammachium, et epist. LXXXI. *al.* 66. ad Ruffinum.

2 Epist. lib. IV. *al.* III. ep. 6. ad Cyprian. diacon., et refertur can. *Perlatum,* caus. XIX. q. 3.

dominium adimat rei strictim propriae: fatemur etiam Pontificem in hoc dispensare non posse, ut Religiosus, dum talis est, dominus rei, quam possidet, ita exsistat, ut eam pro arbitrio donare seu vendere valeat, quin aut aliquis eum a re gerenda cohibere possit, aut is alicui rationem rei gestae reddere debeat. Hoc autem est, quod citati superius doctores asserunt, probantque; idque iure sane meritoque. Nam si paupertatis voto repugnat rerum usus arbitrarius et, ut ita dicam, exlex, nulla Superioris habita ratione, multo magis repugnabit earumdem rerum proprietas ac dominium ab omni vinculo immune. At minime repugnat huiusce dominii habitus, multoque minus usus administratioque bonorum, si haec fiant cum Superioris consensu, eiusque voluntati ita subiiciantur, ut, quandocumque ipse voluerit, omni possessione expoliare subditum possit. Dominium atque usum bonorum hac ratione exercitum, non est dubium quin Pontifex Religioso concedere queat. Cur vero dominium atque administratio rerum sic intellecta non repugnet paupertatis voto, ratio haec est: quia essentiae perfectionis non repugnat, ad quam tendit paupertatis votum. Siquidem hoc votum nihil agit aliud, nisi ut vitiosum divitiarum amorem compescat, irrequietas extinguat curas administrandi augendique fortunas, superbiam contundat aliorumque contemptum. Quae omnia divitiarum pestifera germina incredibiliter avertunt animum a caritate; in qua perfectio vera consi-

stit. Iam vero quod praedicta mala progignat dominium rerum atque procuratio voluntati Superioris subiecta, non est credendum. Siquidem qui haec possidet, ea non tamquam sua, sed aliena considerat, cum de iis nec alio modo, nec alio tempore statuere possit, quam quo Superior voluerit. Igitur dominium, de quo loquimur, paupertatis voto non repugnat, cum perfectionem, quam votum ipsum sibi praefigit, minime impediat. Quocirca observavit s. Thomas [1] abdicationem bonorum dupliciter posse fieri, opere nimirum ac voluntate. In priori abdicationis genere, quod re ipsa perficitur, vera perfectionis ratio ac natura non consistit: consistit autem in secundo, cum scilicet animus ita affectus et paratus est, ut ad omnia relinquenda, ubi facto opus fuerit, nullo impedimento tardetur. His positis videamus quo pacto se gerant Societatis alumni, quibus simplicia vota nuncupandi fit copia. Isti non animo solum ac voluntate parati sunt ad dominium dimittendum, sed necessitate etiam coacti ob susceptam in se promissionem: spoponderunt enim se id continuo facturos, simul atque Superioris voluntas innotesceret, ut facerent. Et ad usum administrationemque quod attinet, adeo paupertate exercentur, adeoque ab alterius nutu pendent, ut nulla re quantumvis exigua, nisi Superiore assentiente, uti possint. Atque hoc postremum est, quod praecipue in

1 2. 2. q. 184. art. 7. ad 1.

rem nostram facit. Nam, sicut ait Theodoricus de Monasterio [1], plus detrimenti Religioso infert peculii usus sine proprietate, quam proprietas ipsa absque usu, ut refert Carthusianus [2].

Ad secundum respondemus, quod licet s. Thomas putet Pontificem non posse quempiam solvere a voto solemni Religionis, ne Religiosum quidem ipsum, quem creat Episcopum; ita ut eum quidem habilem ad reditus Episcopatus administrandos percipiendosque reddere possit, ad dominium autem eorum acquirendum non possit: tamen communis opinio scholasticorum Doctorum [3] est, Pontificem rite posse dispensare in voto solemni Religionis. Maior huius sententiae probabilitas ex eo etiam arguitur, quod Pontifices cum Religioso Episcopo dispensare solent, atque ita,

1 Titul. *de peculio Religiosor.* cap. VII.

2 De reformatione claustral. art. XVI. (*inter Opuscula insignior.*)

3 Ex horum numero sunt Durandus in 4. d. 38. q. 2.; Richardus art. 9. q. 1.; Paludanus q. 4.; Gandavensis quodlib. 5. q. 28.; Navarrus in Manual. cap. 12. n. 75. in fine, ubi dicit esse communem sententiam; Maior q. 3.; s. Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 7.; Caietanus 2. 2. q. 88. art. 11. imo et prius tenuit s. Thomas d. 38. q. 1. art. 4. Et ex Canonistis, Turrecremata in can. *De illo clerico,* dist. XXXII; Innocentius super cap. *Cum ad monasterium,* de statu monach. Hugo Cardin. Hostiens. Albertin. August. de Ancho. Archidiac. Panormit. etc. cum Glossa in dicto cap. *Cum ad monaster.* comuniter recepta.

ut bonorum ad Episcopatum pertinentium verum dominium proprietatemque acquirat. Innocentius vero III, in illo capite *Cum ad monasterium*, non de statu absoluto Religionis loquitur, sed de statu monachorum, ut ipse declarat citatis supra verbis: « Adeo est « annexa Regulae monachali. » Et aliquanto superius idem Innocentius dixerat : « Nec aestimet Abbas, quod « super habenda proprietate possit cum aliquo mona- « cho dispensare. » Recte igitur ex citato Innocentii capite concluditur habitum dominii repugnare regulae professionique monachorum, ac voto paupertatis solemni, quo tenentur; sed non aeque recte concluditur repugnare etiam simplici voto, statuique veri Religiosi, qualis sine dubio est Societatis alumnus, qui biennio tirocinii perfunctus votis simplicibus Deo se dedicat. Etenim ampliora susceptis onera nec ipse in se recepit cum sua vota emisit, nec ab ipso exegit Apostolica Sedes, cum praedicta vota primitus confirmavit, oblata deinde excepit. Quod si aliqui nihilominus dicendo insistant, contendantque perfectum esse non posse statum Religiosi, qui omnium bonorum dominio non remittat nuntium, nec valere dispensationem, quae eum ab implendo voto absolvat; respondeo, utrumque, quod volunt, in simplicibus votis Societatis reperiri. Qui enim ea faciunt, spondent se quodvis dimissuros esse dominium statim atque Superior id significaverit: nec modo huiusmodi voti solutionem non cupiunt, sed potius satagunt exquisitissima cura illud servare, nul-

lam rem tamquam propriam habentes vel adhibentes. In quo quidem paupertatis voti substantiam consistere, nemo, credo, erit qui eat inficias. Quare ille supra memoratus Innocentii III locus, qui adversum nos prolatus est, minime paupertati adversatur, qua Societas utitur, sicut Gregorius XIII in sua Constitutione *Ascendente Domino* declaravit. Atque haec de paupertatis voto sufficiant.

Ad castitatis vero votum quod attinet, sic idem Pontifex respondet in eadem sua Bulla (§. 7.): « Quod ad « Societatis conservationem maxime est necessarium, « idque ab illius exordio provisum, et post experimen- « to comprobatum est, idque initio ingressus illis ex- « plicite manifestatur, atque ipsi conditionem hanc am- « plectuntur, quae eis, si quos dimittere oporteat, multo « est commodior, ut liberi potius quam votis obliga- « ti dimittantur, aliisque iustis et rationabilibus de « causis. » Contingere aliquando solet, ut certa res qualitatem non natura insitam sed casu inhaerentem amittat: et sic idonea fiat alteri fortuitae pariter qualitati acquirendae; quam numquam acquisivisset, priore forma permanente, quippe quae repugnans sit et contraria illi, quae successit. Haec oratio in Religiosum referri commode potest: qui dum votorum vinculo adstrictus manet, matrimonii impotens omnino est; ut nec licite nec valide connubium inire possit, hoc autem vinculo expeditus, ad id efficiendum habilis evadit, ad quod prius erat inhabilis.

CAPUT XIX.

Quid desit votis simplicibus Societatis ut solemnia evadant.

Quod si quis a nobis quaerat: ecquid vestris votis simplicibus deest ad solemnitatem, cum haec vota efficiant voventes vere Religiosos, atque adeo Religiosos mendicantes; cum eosdem notent apostasiae nomine, si desertores fiant Religionis; cum impediant, quominus matrimonium sequens perfici queat, aliosque producant effectus quos supra retulistis? Ad haec coadiutores formati nuncupant sua vota publice, et in Superioris manibus, qui et vota admittit, voventesque in Societatis corpus cooptat. Hi vero inhabiles plane redduntur ad rem quamlibet sibi vindicandam, haereditatesque adeundas. Verum eiusmodi effecta votis solemnibus professionique adscribi solent.

Ad obiecta dicimus cum Caietano 1, votum simplex ab ipsius voventis mente ac voluntate pendere; votum contra solemne ab Ecclesiae auctoritate, quae instituit voti istius solemnitatem. Inde fit, ut Ecclesia oblationem illius voti accipere possit, vel non; aut ex parte admittere ob aliqua effecta, sive ex parte respuere ob alia; in numero demum habere voti simplicis illud

1 In 2. 2. q. 88. art. 9.

cui primum solemnis voti conditiones non deerant. Siquidem tota solemnitas sola Ecclesiae voluntate ac institutione tenetur. Hoc autem esse verum, primum ex eo colligitur, quod Ecclesia nullum votum, etiamsi solemniter concelebretur et in Praelati manibus, pro solemni habere solet, nisi insuper fiat in Ordine, quem approbavit Apostolica Sedes, ut constat ex capite unico *de voto* in 6. Secundo, quamquam votum in Praelati manibus fiat et in Religione approbata, Ecclesia tamen ne simplex quidem illud censet, nedum solemne, si quis voverit ante quam sextum decimum aetatis annum expleverit, et solidum probationis annum exegerit; ut praecipit Concilium Tridentinum [1]. Tertio, Ecclesia admittit interdum votum solemne ita, ut consideret illud tamquam simplex; sicut tunc usuvenit, cum aliquis coniux consummato iam matrimonio professionem absque uxoris consensu agit. Ecclesia in hoc casu iubet eum de Religione decedere, et repetita cum uxore vitae torique consuetudine huic petenti reddere quidem matrimoniale officium, ab eadem vero tacente non petere. Quod si forte eveniat, ut uxor naturae concedat, vetatur secundas inire nuptias, ut videre licet cap. *Quidam* et cap. *Placet*, de conversione coniugatorum. Atqui effecta haec omnia voti simplicis esse propria, facile deprehendes. Quarto, Ecclesia aliquando votum admittit tamquam solemne, sed non

1 Sess. XXV. cap. 15. de Regular.

plene, nec quoad omnes eius effectus. Sit, exempli gratia, maritus quidam, qui uxore adsentiente Religionem ingrediatur, ibique profiteatur. Istius profecto votum, licet per se solemne, non agnoscitur tamen ab Ecclesia ut solemne, quoadusque eius uxor in saeculo degat: tunc vero agnoscitur, cum et ipsa professionem agit, votumque perpetuae castitatis emittit. Quod si non solum de Religione et castitate non cogitaret, sed metus esset, ne quid minus continenter et pudice faceret, in hoc tam gravi periculo Ecclesia professum maritum redire iubet ad uxorem, eique debitum periclitanti persolvere [1]. Non ideo tamen inferes voto eum solemni liberari [2]: nam si et uxor moreretur, et ipse uxorem alteram duceret, hoc secundum matrimonium Ecclesia irritum esse declararet, ipsumque compelleret ad monasterium suum regredi [3]. At si maritus, de quo sermo est, Religionem ingressus votum fecisset non solemne, ut supra ponebamus, sed simplex, hoc non valuisset secundum matrimonium sequens antiquare ac dirimere. Nam quod haec virtus insit simplici voto quod fratres nostri post biennium nuncupant, hoc speciale privilegium est a Gregorio XIII Societati concessum [4]. Si vero ratio requi-

1 Cap. *Praeterea* de convers. coniugat.
2 Cap. *Quidam* eod. tit.
3 Cap. *Ex parte Abbatis* eod. tit.
4 Constit. *Ascendente Domino*, §. 22.

ratur, cur decreta sint haec; ea est, quam optime advertit Sotus [1], et nos meminimus cap. XVII: nimirum cum de re gravissima ageretur, et quae ad statum totiusque vitae quietem maxime pertinebat, Sancta Ecclesia eam suae definitioni iudicioque reservandam, non voventis voluntati permittendam esse existimavit.

Iuvat heic animadvertere, Ecclesiam, cum aliquam approbat Religionem, huic auctoritatem conferre Religiosorum suorum vota acceptandi, prout Instituti sui ratio postulat: quaeque hoc modo peraguntur, nomine Ecclesiae peragi, eiusdemque auctoritate atque approbatione. Quamobrem vota, quibus scholastici nostri et coadiutores etiam formati Religioni se consecrant, quamquam effecta operentur, quae diximus, publiceque fiant, et in Superioris manibus; non ideo desinunt esse simplicia. Etenim haec est voluntas et intentio tum eorum, qui sic vovent, tum Societatis ipsius, quae ut simplicia ea vota agnoscit, et nomine auctoritateque sanctae Ecclesiae admittit. Quominus autem haec vota dici possint solemnia, tres, quibus carent, maxime insignes effectus impediunt.

Primus est matrimonium non solum sequens, verum etiam antecedens dissolvendi, modo ratum sit, non autem consummatum. Id constat ex capitulis *Verum, Ex publico* et *Ex parte tua,* de conversione coniuga-

1 De iustit. et iur. Lib. VII. q. 2. art. 5.

torum, tum ex Concilio Tridentino [1]. Quem effectum certe non gignunt simplicia Societatis vota. Nam cum nec votum solemne castitatis, quod sacrum Ordinem suscipientes sequitur ac devincit, id efficiat, ut Ioannes XXII definiit [2]; multo minus votum simplex efficiet, quamquam in Societate fiat hoc votum post probationis biennium. Et sane si quis coniugio illigatus Societatem ingrederetur ante quam matrimonium consummasset; et matrimonium istud per vota simplicia ab eodem confecta dissolveretur; tum eius uxori liceret nubere alteri viro. At si forte accideret, quod non semel accidit, ut prior vir, qui nostra vota conceperat, e Societate eiiceretur, liceret et ipsi uxorem alteram ducere: hac enim conditione vota sua emiserat. Sed quot quantaque profectura inde essent incommoda ac turbae, neminem etiam me tacente praeterit. Praeterea cum matrimonium, quod voto dirimitur, non iam ipsius voti natura, sed Ecclesiae institutione dirimatur, recta ratio nos admonet hanc Ecclesiae definitionem non esse latius accipiendam, quam sacri canones praescripserunt. Quare Ioannes XXII cum in Extravaganti nuper citata declarasset, voto solemni sacri Ordinis non dirimi matrimonium antecedens, ratum, nec consummatum, hanc rationem subiicit: « Cum nec iure divino, nec per sacros reperia-

1 Sess. XXIV. cap. 6.

2 Extravag. de voto et voti redemption. cap. unic.

« mus canones hoc statutum. » Quod igitur Ecclesia hactenus non instituit, id affirmare temerarium esset. Quamvis enim dubitandum non sit, quin simplicia haec vota facientes veri Religiosi per ea constituantur, atque ita proprie, ut qui solemnia faciunt, professionemque agunt, sicut et Sanctitas Gregorii XIII declaravit, et nos supra probavimus; tamen ea manent semper simplicia, atque ut talia Ecclesia considerat. Insuper si Bullas indultaque summorum Pontificum inspiciamus, nec non Constitutiones et ordinationes Societatis, nihil occurret, quod affirmationi nostrae contrarium sit.

Etiam deest votis nostris simplicibus secundus voti solemnis effectus, perfecta videlicet abdicatio dominii ac proprietatis. Diximus enim scholasticos nostros, et coadiutores non formatos post vota simplicia retinere posse ad tempus dominium bonorum, modo sit cum Superioris venia. Verum quidem est coadiutores formatos sese expoliare, sicut professi solent, omni iure ac dominio adeo, ut quilibet eorum actus ab hac abdicatione alienus irritus omnino sit (quod quidem voti solemnis paupertatis effectus est); nihilominus huic paupertatis voto, quod coadiutores formati faciunt, deest perpetuitas; possunt enim et ipsi e Societate dimitti, cum eorum vota et simplicia sint, et suscepta ab eis sub hac conditione.

Hinc sequitur, ut votis nostris simplicibus desit perinde tertius, omniumque praecipuus effectus voti so-

lemnis, ille nimirum effectus, quo votum stabile redditur, absolutum, et utrinque indissolubile ac perpetuum. Quamvis enim vota nostra simplicia perpetua etiam ipsa esse dicantur, tamen ex parte solummodo voventis talia sunt, non vero ex parte quoque Societatis; quum ipsa possit eos dimittere, qui sic voverunt. Qua dimissione pereunt haec vota, propterea quod hac conditione suscepta fuerint.

Potest Pontifex, ex probabiliori communiorique doctorum sententia, ut diximus, voto solemni eum liberare, qui arctissimo hoc vinculo detinetur: id tamen perraro admodum facit, nec nisi de causa gravissima, et ad Ecclesiae bonum spectante. Verum ad votum Societatis simplex solvendum non huius certe momenti causae necessariae sunt; cum ea conditione fiat, ut solvi possit. Quare ex hac parte vota simplicia Societatis non sunt tam firma ac perpetua, ut sunt professorum vota solemnia. Quamquam fatendum est, ab his non abesse talem firmitatem perpetuitatemque, quae satis sit ad efficiendos vere Religiosos, et in statu Religionis collocandos eos, qui huiusmodi vota nuncuparunt, ut Gregorius XIII ait in sua Constitutione. Scio equidem auctores exstare bene multos et doctos, qui in voto solemni ac simplici declarando, aliisque circa hanc materiam quaestionibus explanandis, quas nos in superioribus capitibus persecuti sumus, viam iniisse a nostra diversam. Ceterum quam nos sequimur viam, eam secuti sunt auctores vel numero vel fama

vel doctrina non minus praeclari : praeter quam quod eadem nobis visa est planior, tutior, solidior, et Sedis Apostolicae decretis conformior, maxime postquam Gregorii XIII Sanctitas illam de Instituto nostro declarationem edidit, quam prius homines litteratissimi, theologi, legum canonumque scientissimi iteratis saepe conventibus diu examinarunt, expenderunt, probarunt.

CAPUT XX.

De quarto voto solemni, quo spondent professi, se obedienter facturos Summi Pontificis mandata de missionibus.

Unaquaeque Religio aliquid sibi peculiare et proprium profitendum assumpsit, quod esset veluti palaestra quaedam, qua emineret, et veluti tessera, qua a ceteris Ordinibus dignosceretur. Carthusiana optavit sibi solitudinem, et ab esu carnium abstinentiam : Dominicani fratres praedicationem et litteras : Minores egestatem paupertatemque evangelicam : Minimi quartum votum quadragesimale, quod in eo consistit, ut non a carnibus solum, sed a lactantibus etiam abstineant : s. Hieronymi alumni chorum : Mercedarii redemptionem captivorum; et sic ceterae Religiones alicuius singularis rei professione tamquam insigni quodam distingui voluerunt. Societatem distinguit quartum votum tribus solemnibus additum, solemne et

ipsum, quod professi nostri faciunt, et ideo vocati professi quatuor votorum. Vi huius voti professi obligationem in se recipiunt commeandi catholicae Religionis causa, animarumque bono in quamlibet mundi plagam sive fidelibus sive infidelibus inhabitatam, prout Vicario Christi placuerit. Id constat tum ex Bullis, quibus Paulus III, Iulius item III, et Gregorius XIII Societatem confirmarunt ; tum ex nostris Constitutionibus et Examine [1]. Sed hoc quartum votum non placet aliquibus ob sequentes rationes.

Prima est, quartum hoc votum supervacaneum esse. Omnes enim nos, qui fideles sumus et vocamur, Pontifici obtemperare tamquam Christi Vicario tenemur : magis vero tenentur Religiosi, qui Pontificem habent non solum pro totius Ecclesiae Principe, ut fideles reliqui, sed etiam pro supremo Praelato [2], cui maiori obsequio, quam aliis inferioribus Praelatis parere debeant. Itaque Pontifex pro sua potestate dominativa, ut aiunt, in omnes Religiosos, potest eorum vota abrogare [3], quemadmodum potest Superior quivis vota Religiosorum sibi subditorum.

1 Cap. I. §. 5.

2 Caietanus in 2. 2. q. 88. art. 12. dub. 4. ad *secundum.* Navarrus in Enchirid. cap. XII. num. 76. Sotus de iust. et iur. Lib. VII. q. 2. art. 1. Bonaventura in Apolog. pauperum p. 2. resp. 4. art. 1.

3 Potestas irritandi vota fundatur in potestate dominativa, dispensandi vero in potestate iurisdictionis, ut docet s. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10.

Secunda est, quia Franciscanorum Religio peculiari quadam ratione Sedi Apostolicae addicta est, et s. Franciscus tum suo ipse nomine, tum nomine suorum omnium fratrum obedientiam pollicitus est Honorio III eiusque successoribus, ut Corduba testatur [1], et s. Bonaventura [2] sic scribens: « Etsi totus clerus « et religiosorum universitas, teneatur firmiter aposto« lico Domino obedire, tamen sanctus huic debito vo« tum adiicit speciale, sciens voto supervenire et forti« ficari sacri Ordinis vinculum, et meritum geminari.» Idem affirmant explanatores alii Regulae s. Francisci. Ex quo conficitur Societatem iniuria sibi adscribere tamquam propriam specialem hanc summo Pontifici obedientiam.

Tertia est, quia hoc votum non solum est supervacuum, verum etiam inutile. Cum enim Pontifex universali totius Ecclesiae gubernatione, et proinde ingentibus curis gravissimisque negotiis distineatur, quî potest Societatis professos, qui hoc votum faciunt internoscere, iis oculos animumque advertere, eosque in iis muneribus, ad quae quisque habilior evasit, adhibere? Igitur ex parte Pontificis hoc votum considerari potest perinde ac si non esset.

Quarta ratio est, quia omissa etiam huius voti novitate (nulla enim alia Religio tam speciatim hoc vo-

1 Exposit. Regul. s. Francisci cap. I. q. 4.

2 Exposit. in Regul. Fratrum Minor. cap. I. sub. fin.

tum nuncupat, ut facit Societas), videtur sub hac voti specie aliqua aucupandae gratiae ambitio, atque aerugo subesse. Pervadit enim animos suspicio, ne homines Societatis hac via parare sibi velint aditum ad Summi Pontificis benevolentiam, ut eius et defensione protegantur et beneficiis augeantur.

Ut recte aestimemus rationis momentum ac pondus, qua Societas ad quartum hoc votum suscipiendum adducitur, oportet primum, ut bene intelligatur, quid professi hoc suo voto faciant spondeantque: quam convenienter vero, et cum ratione, postea inquiremus.

In Bullis [1] Pauli III et Iulii pariter III, quibus Societas nostra confirmata est, dicuntur professi quartum hoc votum sibi superaddere : « Ut quicquid moder-
« nus, et alii Romani Pontifices pro tempore existen-
« tes iusserint, ad profectum animarum, et fidei pro-
« pagationem pertinens, et ad quascumque provincias
« nos mittere voluerit, sine ulla tergiversatione aut
« excusatione illico quantum in nobis fuerit, exequi te-
« neamur. » Et in Examine (cap I. §. 5.) dicitur :
« Professa... Societas, praeter tria vota dicta, votum
« facit expressum Summo Pontifici, ut Vicario, qui
« nunc est, vel pro tempore fuerit, Christi Domini
« nostri ; nimirum ad proficiscendum sine excusatio-
« ne, non petito viatico, quocumque gentium eius

1 *Regimini militantis*, §. 6; *Exposcit debitum... cui Nos*, §. 5.

« Sanctitas iusserit, inter fideles, vel infideles; ad res, « quae ad divinum cultum, et Religionis christianae « bonum spectant. » Ex quibus verbis perspicue eruitur propositam huic quarto voto materiam eam esse, ut vovens pietatis religionisque causa in quamcumque orbis regionem se conferat, quo eum se conferre Pontifex iusserit: modum autem, quo se conferat, eum esse debere, ut nec excusationes praetexat, nec viaticum poscat; utque pro mittentis voluntate pedes vel equitans, commode, vel incommode iter faciat. Hoc posito quatuor sunt advertenda, quo melius appareat, quam scite ac prudenter hoc votum excogitatum sit.

Primum quod qui voto vel iuramento se obligat ad aliquid observandum, quod observare alia de causa tenetur, hic rem non modo licitam facit, sed laudabilem, sanctam, praemio dignam. Ut esset, si quis voveret se absque gravi ratione non iuraturum, aut iniuriam pudicitiae alterius non illaturum, aut Missae festivo die adfuturum; ut sic voto arctius se obstringat ad id praestandum, ad quod etiam sine voto adigeretur. Exemplo sit Iacob, qui vovit se habiturum esse Dominum suum in Deum, si vivus et incolumis opitulante divino Numine domum remeasset. Sic enim legimus [1]: « Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus « mecum, et custodierit me in via per quam ego ambu« lo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimen-

1 Gen. XXVIII. 20. 21.

« tum ad induendum, reversusque fuero prospere ad « domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.» Atqui Iacob ad hoc ipsum, quod vovit, etiam absque voto tenebatur. Pariter Iosue [1] universum Israelem cohortatus est, ut sibi in Deum eligeret supremum Dominum, et iuramento promitteret se eius legi obtemperaturum, foedusque cum eo iceret. Reges etiam catholici hoc moris habent, ut iurent se Catholicam Fidem defensuros, et animo obsequentissimo accepturos quidquid doceret Sancta Romana Ecclesia omnium Parens ac Magistra. Verum ad haec pietatis officia tam dignae matri solvenda sine iureiurando quoque obligantur. Idcirco in Concilio XI Toletano cap. 10. legimus (et refertur can. *Quamquam omnes*, dist. XXIII,) ad Ecclesiae bonum interesse, ut ii, qui sacro Ordine initiantur, votum obedientiae emittant, promittantque se canonicas regulas observaturos, quamquam ratione sui status ad earumdem observantiam cogantur. Huius autem rei hanc rationem Concilium praebet: « So- « let enim plus timeri quod singulariter pollicetur, « quam quod generali sponsione concluditur. »

Secunda res, quam debemus advertere, est, quod quaedam tempora incidunt, quibus necesse omnino est ea decernere, quae aliis temporibus necesse non fuit. Aetate, qua nunc sumus, multitudo ac pestis haeresum latius in dies per christianos populos serpentium

1 XXIV. 22—25.

causa fuit, cur Concilium Tridentinum decerneret, ut Praelati, Canonici, Curiones, aliique publicis aut ecclesiasticis dignitatibus ornati professionem fidei ederent. Formam vero, qua est edenda, Romanus Pontifex 1 statuit. Verum istbaec professio, ante quam erumperent haereses, non fiebat: nulla enim, cur fieret, necessitas impellebat. Pari ratione, cum calamitosissimis hisce temporibus debita obedientiae et obsequii officia Vicario Christi Domini nostri a compluribus denegentur, quin imo inexpiabile ei bellum inferat furens haereticorum insania; iudicavit Societas contrarium plane iter sibi esse tenendum, statuendumque, ut sui professi, praecipua scilicet suae Religionis ac nobilior pars, hoc speciale votum obedientiae Romano Pontifici susciperet, tum ad pietatem et reverentiam suam erga Romanum Pontificatum testificandam, tum ad professionem suae fidei de hoc articulo exhibendam, tum ad communiendum pro viribus id, quod haeretici omni qua possunt tormentorum vi evertere conantur.

Tertia res animadvertenda sunt utilitates in hoc quarto voto contentae; quas si diligentius considerare velimus, inveniemus eas et numero et magnitudine insignes esse. Et certe, praeter id, quod modo diximus, non mediocris utilitatis illud est, ut Pontifex, qui universae Ecclesiae est Pastor, et cuius humeris totius Christianae gentis administratio incumbit, probe no-

1 Pius IV. Constit. *Iniunctum Nobis*.

scat, qui et quales viri suis ovibus curandis se addixerint, votoque obstrinxerint se illuc convolaturos, quo ipse eos mittere voluisset, seu ad barbaras gentes christiana doctrina imbuendas, seu ad Catholicam Religionem ab impiorum telis protegendam, seu ad alia divinae gloriae opera perficienda. Nec metus est, ne id Sanctitas Sua ignoret. Societas enim Praeposito suo Generali hoc negotium demandavit, ut cuicumque novo Pontifici significaret quartum votum, quod faciunt professi, idque perficere non ultra annum a consecratione eius aut coronatione differret. Licet vero Pontifex non omnes internoscat homines Societatis, quorum opera uti possit; tamen et nonnullos noscit, et in alios inquirere facile potest. Et quoniam Generalis Romae ut plurimum residet, ubi ad quingenta capita sociorum plus minus reperiuntur, et Congregationes generales ibidem habentur, Procuratoresque omnium Europae provinciarum ad comitia sui nominis conveniunt, quae Romae tertio quoque anno celebrantur, Sanctitas Sua nullo negotio edoceri potest de professorum nostrorum navitate, industria, litteris, virtute. Insuper non parum professi nostri utilitati suae consulunt per oblationem, qua se Apostolicae Sedi penitus devovent. Etenim cum sacras expeditiones Pontificis mandato suscipiunt, minime dubitant, quin a Deo ipso per Vicarium suum mittantur, uberiorique proinde meritorum segete locupletentur. Item cum veluti arrectis auribus stent expectantes Pontificis signum advocantis eos vel ad

haereticorum regiones, vel ad Indicas Turcicasque gentes excolendas, naturale est sequi, ut nec temporali ullo negotio implicari se patiantur, nec terrenarum rerum illecebris detineantur, nec parentum amicorumque desiderio, aut Domus Collegiique, ubi degunt, commoditatibus retardentur, cum singulis horis accidere possit, ut haec omnia relinquere debeant. Tot igitur tantaque sunt spiritualia emolumenta et utilitates, quae ab hoc quarto voto proficiscuntur. Quarum bona pars in Bulla [1], quam Iulius III ad Societatem confirmandam promulgavit, recensetur his verbis. « Et « quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa co- « gnoscamus, ac firmiter teneamus, omnes Christifi- « deles Romano Pontifici, tamquam capiti, ac Iesu « Christi Vicario subesse, ob devotionem tamen maio- « rem ad obedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem « voluntatum nostrarum abnegationem, certiorem San- « cti Spiritus directionem summopere conducere iudi- « cavimus, singulos nos, et quicumque eamdem in « posterum professionem emiserint, ultra illud com- « mune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto « adstringi, ut quidquid modernus, et alii Romani « Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad pro- « fectum animarum, et fidei propagationem pertinens, « et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, « sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quan-

1 *Exposcit debitum ... cui Nos,* §. 5.

« tum in nobis fuerit, sive nos ad Turcas, sive ad « quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas « Indias vocant, sive ad quoscumque haereticos, schis- « maticos, seu etiam ad quosvis fideles mittendos cen- « suerit, exequi teneamur. »

Quarta res notatu digna est, quod non solum quarto voto praedicto augescit obligatio, quae alioquin extat absque illo voto, morem Summo Pontifici gerendi; sed praeterea ab eodem voto, alia nova exoritur obligatio, a qua vacui sunt aliarum Religionum professi, et ipsi etiam Societatis professi ratione professionis suae. Haec autem obligatio ad certas res pertinet, ad quas sine illo voto haudquaquam pertineret. Ut id rite intelligatur, hoc in primis pro certo ponendum est, quod Pontifex praeter summam iurisdictionis potestatem, quam ut Pastor universalis et Christi in terris vices gerens obtinet in fideles omnes tum laicos, tum Clericos, tum Religiosos, peculiari alia ornatur potestate, qua in omnes Religiones dominatur. Inde *dominativae* inditum nomen huic potestati. Quae quidem ortum ducit ex eo decreto, quo Pontifex Religiones confirmat. Et sane sine Pontificis auctoritate nulla hominum congregatio quantumvis magnis clara virtutibus nec est nec potest vocari Religio (ut dicitur in cap. *Ne nimia*, de religios. domibus et cap. unico, eodem tit. in 6.). Nec inde solum potestas haec enascitur, sed praecipue ducitur e donatione quam praestat Religiosus, dum substantialia Religionis suae vota emittit; quorum vir-

tute ipse quodammodo capite deminutus dominium, ius, libertatem, quam a natura habebat, in Religionem transfert, seque totum Deo, suisque Praelatis, tamquam Dei ministris, penitus tradit ac mancipat. In his vero Praelatis longe eminet Pontifex, ut omnium supremus et facile Princeps, cui Religiosi obedientiam debent multo magis, quam ceteris Superioribus. Pariter ex probabiliori communiorique sententia 1 illud pro certo habendum est, quod obedientia, quam Religiosus in sua professione vovet, ratione ipsius voti, certis limitibus continetur; ita ut Religiosus perficere quidem debeat, quae necessaria sunt et convenientia ad Regulae observantiam, quam ipse amplexus est, non vero quae a Regula sunt aliena, aut excellentioris perfectionis, quam quae Regula observanda proponit. Ad haec Superior obligare non potest Religiosum subditum, qui, dum vovit, ad ea se obligandi voluntatem non habuit. Iam vero obligatio voti cum voluntate voventis commetienda est. Hanc maxime probabilem doctrinam si et ipsi probemus, videmur posse concludere, quod Pontifex ratione tantum potestatis dominativae, quam, ut diximus, in universos habet Religiosos, iis mandata dare nequeat, quae Regulae ab iis-

1 S. Bernardus, de praecept. et dispens.; Navarrus, de Regular. comm. III. in cap. *Nullam* 18. q. 2. a num 2. ad 6; Turrecremata tit. 45. in Regul. s. Benedicti.

dem observandae contraria sint [1]: puta, si Carthusiano monacho imperitaret, ut ad Indos tenderet, aliisque Religiosis alia praeciperet ab eorum Regula penitus discrepantia. Ratio est, quia cum haec inferiorum praelatorum nemo iniungere subditis possit ratione voti, quod fecerunt, ne id quidem potest supremus Praelatus idest Pontifex; siquidem et votum idem est, et obligatio voti eadem, seu ad Pontificem, sive ad Superiores alios referatur. Quamobrem virtute obligationis istius non videtur potestas dominativa Pontificis latius patere, quam aliorum inferiorum moderatorum, qui sunt illius velut administri et legati. Dixi, virtute obligationis, quae a voto proficiscitur, potestatem dominativam non amplius patere: nec enim de potestate iurisdictionis hic agimus, qua tamquam unicus, summus, absolutus, universalis Pastor Ecclesiam totam regit, ac gubernat. Haec a materia argumenti nostri aliena est.

Atque ut tandem praesentem quaestionem absolvamus, ex dictis colligere facile est Religiosos, qui nullum sibi iniecere vinculum missiones peragendi, quas Societas obit, cogi non posse ratione professionis suae

1 S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3., et Caietanus ibid. et in 2.m d. 44. q. ult. art. fin. ubi Bonav. q. ult.; Durandus q. 4; Cart usianus q. 5; Gabriel in 4.m d. 38. q. 1. art. 3; s. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9; Gerson p. 3. alphab. 62. cor. 13; Sylv. relig. 6. q. 6; Corduba in 6. c. Regul. q. 10. punct. 6. et Summistae; Emmanuel Rodriguez t. 2. q. 22. art. 6. et q. 45. art. 4. et to. 3. q. 19. art. 3.

ad easdem suscipiendas [1], atque eo modo et forma obeundas, quam servare religione peculiaris voti tenetur Societas. Nam Societatis professus per quartum votum fidem suam obstringit non solum Indicas terras adire, sed etiam, ut diximus, quamlibet mundi partem, quo ire a Pontifice iussus fuerit, etiamsi ibi, quo venerit, nec Collegium nec Domus Societatis adsit, ubi commoretur. Item spondet se nihil contra enisurum, videlicet non excusationes praetenturum, non rationes obiecturum, quas non aequitas, sed affecta prave voluntas suggeret, non gratia amicitiaque potentium usurum, ut impositum a Pontifice onus excutiat. Spondet denique se itineris subsidia non petiturum, sed utcumque confecturum iter, pedibus, vel equo, cibariis emendicatis vel pecunia paratis, quemadmodum eius, qui miserit, feret voluntas; in eo autem loco, quo missus fuerit, permansurum sive ad tempus, sive in perpetuum imperata sibi ministeria exercentem. En quartum hoc votum quid valeat, et quid complectatur. Tali modo hoc votum spectatum singularem ac proprium est Societatis nostrae. Non enim alia Religio nominari potest, quae aliquid consimile voveat, obligationesque in se recipiat, quales diximus in se recipere nostros quatuor votorum professos. Verum quidem est, quod non solum professi, sed omnes plane Societatis Religiosi tenentur in quamcumque mundi partem con-

1 Vide Ludovic. Lopez Instructor. part. I. cap. 56.

tendere, quam Praepositus Generalis eis attribuerit, ut cernere est in VI. parte Constitutionum cap. II. §. 13. et in IX. parte, cap. III. §. 9. Etenim obedientiae votum, quod ediderunt, ex huius Constitutionis et regulae intellectu ediderunt. Quod si Praeposito Generali in hac re obtemperare debent, multo magis debent Pontifici Praelatorum omnium supremo. Haec quamquam ita se habeant, obedientia tamen, quam professi Pontifici pollicentur, specialius aliquid praesefert, arctioraque vincula imponit. Nam professi si parere detrectarent, peccarent gravius, quam non professi: siquidem quartum votum signanter faciunt Pontifici, veluti universae Ecclesiae supremo moderatori, cui tamquam boni et fideles servi famulentur in eadem Ecclesia sancte administranda latiusque proferenda. Maioribus etiam vinculis Pontifici devinciuntur professi quam alii, sive materiae amplitudinem consideres, sive particularia adiuncta, quae in voto continentur, quo se Pontifici devovent, eique omne ius suum in hoc famulatus genere resignant. Et quemadmodum per votum solemne obedientiae remittunt nuntium dominio sui ac libertati, eaque in Religionem transferunt, sic per quartum solemne votum tanquam veri servi ac mancipia Pontifici se addicunt, eiusque arbitrio in obeundis missionibus in totum tradunt. Qua voluntaria tamque praecelsa servitute cum mirifice Societas delectetur, tum non minus gaudet, quod in gravissimo missionum negotio ab ipso Christi Vicario dirigatur.

Ad primum contrarium argumentum respondentes dicimus, rationes nuper a nobis allatas satis ostendere, quartum Societatis votum supervacaneum non esse; licet fideles omnes, et magis etiam Religiosi tacite obligentur ad obedientiam Pontifici praestandam, ad quam Societas expresse per quartum votum se obligat. Ceterum nec fidelium communiter, nec Religiosorum ipsorum ista obligatio est tanta, quantam esse supra probavimus professorum nostrorum. Etenim communis Religiosis omnibus obligatio Pontifici, tanquam supremo Religionum cunctarum Praelato, obtemperandi, quarto Societatis voto longe excrescit et ad aliquas res pertingit, ad quas reliquae Religiones nunquam cogitarunt se obligare, ut superius demonstravimus.

Ad secundum respondemus, obedientiam, quam s. Franciscus praestare pollicitus est Pontifici Honorio eiusque successoribus, non fuisse votum quarto Societatis voto consimile; nec Religiosis sui Ordinis virtute illius promissionis ea onera accessisse, quae quartum votum professis nostris imponit. Consilium seraphici Patris, ut advertunt sacrae illius Regulae explanatores, hoc nimirum fuit, ut voto, quo se suosque filios Romano Pontifici dicavit, statueret, cui potissimum suus Ordo obedientiam deberet, Honorio scilicet III eiusque legitimis successoribus; non vero ut praeter obligationem, quae sequitur obedientiae votum, novam suis superadderet.

Ad tertium dicimus, quartum votum non modo inutile non esse, sed potius utilissimum, illorumque ferax magnorum bonorum, quae paulo ante enumeravimus. Et quamvis Pontifex propter multas magnasque, quibus implicatur quotidie, occupationes dignoscere prohibeatur omnes Societatis professos, quos per varias terrarum orbis partes diffundat, potest tamen et aliquos noscere, et de aliis haud aegre edoceri. Et sane non mediocri laetitia perfundere debet Pontificis animum haec cogitatio: milites religiosos, quos litterae, pietas, animarum studium commendent, in promptu sibi adesse, quotiescumque necessitas postulet, paratosque esse semper ad quodcumque opus aggrediendum, quod sibi placuerit in animarum bonum illis committere. Quod si oculos convertamus ad provincias et regna, ubi Societas consedit, inveniemus primos nostrorum, qui ea loca incoluerunt, fere omnes missos illuc fuisse a Romanis Pontificibus: insuper in multis, ac difficillimis missionibus administrandis homines Societatis ab Apostolica Sede adhibitos fuisse; nec proinde admirationi locum esse, quod Spiritus Sanctus omnipotenti suo numine foverit ac fortunaverit labores operariorum, quos misit, uberrimosque animarum manipulos ex eorum sudoribus perceperit.

Ad quartum respondemus, novum quod est, si idem bonum sit, nullum aliud detrimentum pati quam hoc, videlicet quod ignoretur: ut contra malo, quod mul-

tam aetatem agat, nullam aliam fieri accessionem, quam ut magis irremediabile sit ac existimetur. Respondemus praeterea Societatem hoc votum faciendo non magis singularem se exhibere, quam sit in ceteris rebus, quae de iuris communis tramite divertunt, et ab aliarum Religionum moribus recedunt. Quas res licet singulares, licet solius Societatis proprias, tamen sanxit atque approbavit Apostolica Sedes, a qua dependent, et vitam spiritumque ducunt omne ius commune ac particularia Religionum privilegia. Denique respondemus reprehendendum non esse studium demerendi sibi benevolentiam ac gratiam Apostolicae Sedis, dummodo id fiat, quo melius Domino serviatur, non vero quo pabulum ambitioni quaeratur. Verum quod a praepostero hoc fine Societas abhorreat, ex capite sequenti patebit.

CAPUT XXI.

De voto, quo professi Societatis promittunt se nec ambituros nec accepturos honores publicos, nisi ad id cogantur ab iis, qui cogere eos possunt, interminata peccati poena, ni pareant.

Aliud votum licet simplex, faciunt professi nostri: non petituros scilicet, nec accepturos oblatos extra Societatem honores, nisi accipere adigantur ab eo, cui sine peccato obedientia denegari non potest. Sic dici-

tur in Constitutionibus (parte X. §. 6.) et in Bulla [1] Gregorii XIII anno MDLXXXIV edita. Hoc vero votum improbant nonnulli sequentibus rationibus adducti.

Prima est, illicitum esse hoc votum, ut ait de Palacio [2], et Guttierrez Placentinus [3]. Auctoritatibus autem haec ratio accedit. Status Episcopalis est perfectionis status, et statui Religionis praestat, ut docet s. Thomas [4]. Iam si illicitum est votum Religionem non ingrediendi, magis illicitum erit votum Episcopatum non acceptandi, statum, ut diximus, religioso perfectiorem. Itaque qui Episcopus esse detrectat, rem facit, ex Doctorum sententia, unam ex iis, quae consiliis evangelicis adversantur, quaeque proinde voti vel iurisiurandi materia esse non possunt. Atque hoc eruitur ex can. *Archidiaconum Florentinum*, dist. LXXXV, in quo Ioanni Episcopo praecipitur, ut diligenter inquirat, num ille Archidiaconus super Evangelia iuraverit nunquam se acceptaturum Episcopatum; fuisset enim eiusmodi iuramentum illicitum ac notabile.

Probatur secundo illicitum esse hoc votum; quia ea temporis adiuncta accidere possunt, in quibus Episcopatum admittere praestet, etiamsi Pontifex id non iubeat, nec ad id obiecta Dei offensa compellat: ut es-

1 *Ascendente Domino*, §. 13.

2 In 4.m sent. dist. 38. disp. 1. pag. 826. ed. Salmant. 1579.

3 De iuram. confirmator., part. I. cap. 72. n. 5. et 8.

4 2. 2. q. 184. art. 6. et 7.

set, si quis inter haereticos ageret, nec ibi alius catholicus vir adesset Episcopatui gerendo idoneus; et si quidem acceptaret, spes, ex piorum ac prudentium hominum opinione, affulgeret ingentium bonorum; sin minus gravissima mala metuerentur. In re adeo trepida nemo non videt esse melius Episcopatum admittere, quam reiicere. Igitur votum, quo quis spondet se Episcopatum nunquam acceptaturum esse, illicitum est. Nam nec esset de meliore bono et proximorum caritati repugnaret. Atque in hoc casu ait Sylvester [1] non licere ei, qui ad Episcopatum eligitur, commissum munus declinare.

Tertia ratio est, hoc votum esse novum, et apud alias Religiones insolens.

Quarta ratio est, quia hoc votum a caritate absonum est, ut scribit s. Gregorius (et habetur can. *In scripturis vestris*, caus. VIII. q. 1.): « Si is qui valet, o-« mnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se Pa-« storem summum minime amare. Si enim Unigenitus « Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Pa-« tris egressus est ad publicum nostrum: nos quid « dicturi sumus, si secretum nostrum praeponimus « utilitati proximorum? »

Quinta est, quia hoc votum longe aberrat a perfectione obedientiae, quam tantopere nobis beatus Ignatius Parens ac Fundator Religionis nostrae commen-

1 Verb. *Episcopus* q. 3. seu num. 4. in fin.

davit. Qui in Constitutionibus (part. VI. cap. I. §. 1.) docet, perfectiorem esse obedientiam illius, qui non opperitur praecepta Superioris sub poena peccati indicta, sed cognitam Superioris voluntatem confestim et ultro amplectitur, sequitur, ac perficit. Ex hac doctrina illud sponte sua consequitur, quod professus Societatis comperiens, voluntatem Pontificis, sui videlicet supremi Praelati, eo incumbere, ut ipse Episcopatum suscipiat, longe obedientius faciet, si statim susceperit, quam si expectaverit praeceptum in virtute sanctae obedientiae impositum. Atqui hoc velle videtur votum, de quo agimus. Cui etiam voto minime favet s. Thomas [1], qui dicit: « Voluntas Superioris, quocumque « modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum; « et tanto videtur obedientia promptior, quanto ex- « pressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate « tamen Superioris intellecta. » Atque idem docuerat s. Bernardus [2].

Sexta ratio est, quod ad universalis Ecclesiae bonum interest magis, ut non desint Episcopi sanctitate clari, quam confessores, concionatoresque idonei. At hoc voto professis Societatis compedes veluti iniiciuntur, ne Ecclesiae opitulari possint, aut saltem ne possint tanto magis opitulari, quanto magis Episcopus potest, quam inops ac rerum hominumque inexpertus

1 2. 2. q. 104. art. 2. in c.

2 De praecept. et dispens. cap. XII. et seq.

Religiosus. Maxime cum s. Paulus [1] dicat, idque meminerit s. Thomas : « Si quis Episcopatum desiderat, « bonum opus desiderat. »

Ut vero et hisce argumentis, quae retulimus, satisfaciamus, et enucleate explicemus hanc quaestionem, adnotandum est, votum, de quo sermo est, duabus partibus constare. Prima est, ne ullus extra Societatem honor ambitiose petatur. Secunda, ne acceptetur, nisi forte, qui honorem offert, possit etiam adigere ad eum sub peccati poena non recusandum. Prima pars nullam prae se fert difficultatem ; ideo, cur in ea immoremur, ratio non est. Nam si vitio, ut plurimum, non caret studium Episcopatus obtinendi, dubium non est, quin licitum et honestum sit votum non petendi, candidatorum more, Episcopatum. Quod vero vitiosum sit ad Episcopatum eniti, apparet ex eo, quod vitiosum est eumdem solummodo desiderare, ut affirmat s. Thomas [2]. S. vero Augustinus ait : « Locus superior, sine « quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque « administretur, ut decet; tamen non decenter appeti- « tur [3]. » Et s. Ioannes Chrysostomus [4] dicere non dubitat plerosque, qui ambitioso conatu ad magistratus ac praefecturas irrepere satagunt, aeternam damnationem sibi parare: praesertim vero si petitores isti

1 I. Tim. III. 1.
2 2. 2. q. 185. art. 1.
3 Habetur can. *Qui Episcopatum,* caus. VIII. q. 1.
4 In Acta Apostol. homil. III.

sint Religiosi. Nam quum horum status et humilior sit, et maiorem mundani fastus contemptum profiteatur, minus etiam inanis gloriae appetentes esse debent. Audiendus quoque est s. Gregorius [1], qui sic loquitur : « Sicut is qui invitatus renuit, quaesitus fugit, « sacris est altaribus admovendus : sic qui ultro ambit, « vel importune se ingerit, est procul dubio repellen- « dus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, « quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo « exterius, interius ad profunda descendat ? » Et s. Leo Papa [2] : « Principatus (inquit), quem aut seditio « contulit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus « atque actibus non offendit ; ipsius tamen initii sui « est perniciosus exemplo, et difficile est ut bono per- « agantur exitu, quae malo sunt inchoata principio ». Ideoque s. Bonaventura [3] subtexit : « Si (Religiosi) « non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti, ad « eundem aspirant, ut fugiant aerumnas pauperum « et Ordinis rigorem, credo eos in illius partem ces- « suros, qui dixit : *Sedebo in monte testamenti in la- « teribus Aquilonis* [4]. » Itaque si Episcopatum appe-

1 Reg. epist. lib. IX. ep. 106. *al.* lib. VII. ep. 111. *al.* 110. ad Syagrium, Aetherium, Virgilium etc.

2 Epist. XII. n. 7. (ord. nov.); in edit. ant. Quesn. ep. 87. ad Episcopos African. Maur.; et habetur can. *Miramur tantum*, dist. 61.

3 Expos. in Regul. s. Franc. cap. II. post dimid.

4 Isai. XIV. 13.

tere non licet, multo minus licebit viam sibi ad illum adipiscendum munire. Unde sequitur, ut votum Episcopatus non affectandi licitum sit atque laudabile, ut docet s. Thomas 1, quem doctissimorum hominum agmen sequitur 2.

Verum si prior voti pars aperta est et facilis, salebris et difficultate non caret secunda pars, quae in eo consistit, ut Episcopatus non acceptetur, nisi extrema obediendi necessitas cogat. Ad expediendum quidquid in hac re perplexum est, in primis advertendum esse puto cum iis sanctis et sapientissimis hominibus modo memoratis, votum Episcopatum non acceptandi licitum esse, quando personae, cui Episcopatus offertur, optio relinquitur illum accipiendi vel non. Quare s. Thomas 3 tradit hanc doctrinam: « Accipere Episcopa-
« tum non est de se necessarium ad salutem, sed fit
« necessarium ex Superioris praecepto. His autem
« quae sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis

1 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3.

2 S. Bonaventura in 3. dist. 39. q. 3; Alexander 3. p. q. 31. membro 4. art. 4; Caietanus sup.; Sotus de iust. et iur. lib. X. q. 2. art. 2. ad 3; s. Antoninus 3. p. tit. 20. c. 2. §. 6; Corduba Summ. casuum q. 154; et ex Canonistis Archidiaconus, Praepositus, Turrecremata, Ugo sup. c. *Archidiacon. Florent.* dist. 85.; Hostiensis de voto num. 4; Astensis 2. p. tit. 43. q. 6; Abbas et Ioannes Andreas in cap. *Si vero*, de iureiurando; Abulensis in cap. 30. Numeror. q. 57; Valentia, tom. 3. disp. 10. q. 3. puncto 2. concl. 1.

3 Loc. postrem. cit.

« impedimentum licite apponere antequam fiat prae-
« ceptum. » Et subdit: « Qui autem votum emittit de
« non suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat
« se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Supe-
« rioris Praelati accipiat, illicite vovet. Si autem in-
« tendit ad hoc se obligare, ut quantum est de se, Epi-
« scopatum non quaerat nec suscipiat, nisi imminen-
« te necessitate, licitum est votum: quia vovet se fa-
« cturum id quod hominem facere decet. » Et idem doctor alibi [1] probat, melius et tutius esse Episcopatum non admittere, cum nulla praecepti vis ad eum admittendum urget. Id ipsum sentiunt multi doctores, quos nuper nominavimus. Et ratio ea est, quam s. Augustinus affert [2]: «Otium sanctum, ait, quaerit caritas
« veritatis: negotium iustum suscipit necessitas cari-
« tatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae
« atque intuendae vacandum est veritati.» Nec absimile est quod scribit s. Gregorius [3]. Neque solum sancti doctores de hac veritate nos commonefaciunt, sed etiam imperatoriae leges, in quibus ea, quae incipit: *Si quemquam* (29. C. *de Episcop. et cleric.*), haec continet memorabilia: « Castus et humilis nostris temporibus e-

1 Quodlib. V. art. 22.

2 De civitate Dei, lib. XIX. cap. 19.

3 Reg. Epist. lib. VII. *al.* VI. ep. 4. *al.* 5. Cyriaco Episc.; et refertur can. *In scripturis vestris*, caus. VIII. q. 1., et Pastoralis part. I. cap. 7.

« ligatur Episcopus, ut quocunque locorum pervenerit, « omnia vitae propriae integritate purificet... Tantum « ab ambitu debet esse sepositus, ut quaeratur cogen- « dus: rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suf- « fragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus « est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. » Sexcenta porro extant sanctorum hominum exempla, qui aut nunquam animum inducere potuerunt, ut Episcopi fierent, nisi illata vi et parendi necessitate coacti, aut, quod multo magis est, amputari sibi aliquot membra, immo mortem ipsam occumbere, quam Episcopi esse, praeoptarunt. Sancti Cyprianus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nicolaus, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Anselmus, et Laurentius Iustinianus primus Venetiarum Patriarcha fuere quidem omnes Episcopi; sed non ante episcopali pedo manum admoverunt, quam certi plane essent, se divinae voluntati restituros fuisse, si recusassent; sicut constat ex descriptis eorum vitis, historia ecclesiastica 1, litterisque 2, quas eorum aliqui conscripserunt. S. Antoninus nulla umquam ratione adduci potuit, ut Florentinum Archiepiscopatum susciperet, atque in

1 Ruffinus, Histor. eccl. Lib. II. cap. 11; Socrates, Hist. eccl. Lib. IV. cap. 26.

2 S. Augustinus, epist. XXI. *al.* 148. ad Valerium (habetur can. *Ante omnia peto*, dist. 40.). S. Gregorius Reg. Epist. lib. I. ep. 3. 4. 6. 30. (*al.* 29.) 31. (*al.* 30.).

ea sententia tamdiu perseveravit, donec Eugenius IV diuturnam et pertinacem repulsam indignatus se excommunicaturum eum esse minitatus est, si diutius in eadem mente persisteret. Idem a s. Malachia factum fuisse accepimus, ut s. Bernardus in eius vita scriptum reliquit. Et s. Caesarius cum rescivisset id agi, ut ipse crearetur Episcopus, clam se proripuit, et eo usque in sepulcro delituit, donec caelesti monito detectus Episcopus Arelatensis summa populi gratulatione renunciatus est. Item memoriae est proditum, opus fuisse, ut Gregorius IX sub culpae letalis noxa Edmundum compelleret ad Cantuariensem Episcopatum accipiendum: adeo in eo recusando obfirmaverat animum. Possem hic commemorare non paucos, qui ecclesiasticis dignitatibus primum humeros supposuerant, sed postea quasi poenitentia tacti sese ab honoribus illis expediverunt: inter quos memorabile in primis documentum reliquit Caelestinus V, qui a Pontificali celsitudine se abdicavit [1]. Verum his omissis aliorum exempla pergam adducere, quae in rem nostram faciunt magis. Sancti Bernardus, Thomas Aquinas, Bernardinus Senensis, Vincentius Ferrerius aliique nunquam passi sunt, ut eorum vitae narrant scriptores, Ecclesiis praeesse, quae illos studiosissime poscebant. Ne episcopalibus infulis ornarentur, s. Marcus

1 Cap. *Quoniam aliqui*, de renuntiat. in 6.

digitum sibi amputavit [1], Ammonius aurem [2], Ephraimus exisse de mente simulavit [3]. Nilammon [4] et Goar [5], cum vim, quae, ut Episcopi essent, illis inferebatur, declinare nullo modo possent, in multas preces lacrimasque versi impetrarunt a Deo summi beneficii loco, ut sibi liceret potius ex hac vita concedere, quam ad episcopale fastigium provehi. Dicere solebat s. Dominicus se baculo suo innixum patria extorrem quovis gentium iturum potius, quam ecclesiasticam aliquam dignitatem admitteret [6]. Et fr. Iordanus, s. Dominico in eius Ordinis generali administratione successor, cum audiret Religiosum quemdam virtutibus insignem esse dignumque, qui Episcopus crearetur, respondit: « Mallem me sandapilam et tumulum habere « cum eo communem, quam solium et mitram [7] ». Ugo vero a s. Theodorico (cognomento de s. Charo), qui Biblia universa commentariis illustravit, concordantias digessit, et primus e Dominicana familia in Cardinalium coetum adscriptus est, hanc vocem emi-

1 S. Hieronymus (si tamen est Hieronymi) in eius prologo. Citatur a Marco Marulo, dictor. et factor. lib. I. cap. 6.

2 Socrates, Hist. eccl. lib. IV. cap. 23. sub fin.; Palladius, Hist. laus. cap. 12.

3 Nicephorus, lib. IX. cap. 16.

4 Idem, lib. XIII. cap. 17; Sozomenus, lib. VIII. cap. 19.

5 Marulus, loc. nuper cit.; Surius VI. Iulii.

6 De Castillo, Hist. gener. de s. Domingo etc. lib. I. cap. 5.

7 Ibid. lib. II. cap. 6.

sit moriens, quod maluisset lepra obsitum obire in suo coenobio, quam purpura fulgentem extra illud [1]. S. Ambrosio senensi, Dominicano item sodali, post amplissimum magistratum dimissum, obviam se dedit Satanas, aulici et viatoris assumpta figura, eumque multis coepit coarguere, quod rem adeo pessimam fecisset [2]. Nec praetereundum videtur esse, quod s. Petro Damiano contigit. Abundabat hic vir multis praeclarisque titulis (erat enim Episcopus Ostiensis, Purpuratus Pater, Sacri Collegii Decanus): verum processu temporis iis omnibus valedicendi rationem iniit, eamque perfecit. Acriter ob id increpitus a Pontifice, et asperis insuper poenis multatus, poenas quidem alacri nedum patienti animo pertulit; sed nihilominus ad Pontificem mittere epistolam constituit [3], in qua plurima sanctorum hominum exempla profert, qui Ecclesiis honoribusque quos prius obtinebant dimissis, prodigia, Deo abdicationem eorum sic approbante, patrarunt, et magnam apud homines virtutis sanctitatisque opinionem de se excitarunt. Igitur tum doctrina tum exempla tot sanctorum hominum luculenter ostendunt, licitum et laudabile esse votum dignitates extra Religionem non admittendi. Id optime vidit etiam fr. Ferdi-

1 Ibid. cap. 65.

2 Ibid. lib. III. cap. 52.

3 Ad Hildebrandum Papam, qui et Gregorius VII. Extat haec epist. in Append. Biblioth. ss. Patrum, de la Bigne, col. 346. seqq.

nandus de Castillo, qui in sua historia [1] sic scripsit: « Enimvero animos regere adeo est periculis ac difficultatibus obnoxium, ut sapientes onus gravissimum et libertati et quieti infestum ducant. Hinc plures eximiae sanctitatis viri, patrum memoria, martyrii cupiditate flagrantes, cum se ad episcopalem dignitatem evehi nossent, sese fuga in antra abripiebant, montium praerupta petebant, deserta loca adibant, et gemitu ploratuque tantum a se malum morte ipsa horridius deprecabantur. » Haec auctor. Nec solum licitum est hoc votum, sed Societas iudicavit insuper fini suo plurimum prodesse. Illud enim hoc voto assequitur, ut et Religiosi sui in ea se contineant humilitate, quae crucis ignobilitatem sequentes decet; et ipsa non iis filiis viduetur, a quibus utiliora pietatis officia expectat; et proximi iuventur magis ministeriis nostris, cum videant nos per ea non mitras titulosque, sed eorum salutem animo meditari; et haereticis ansa adimatur exprobrandi, ideo nos Apostolicam Sedem defendere, proque ea cruorem effundere, ut hisce artibus mitram aliquam aut pileum cardinalitium consequamur. Aliae praeterea rationes adessent, sed afferre omitto, cum eas iam in commentario de vita et moribus beati Parentis nostri attulerim [2], in quo capite colloquium refertur, quod beatus Ignatius cum

1 Lib. II. cap. 16.
2 Lib. III. cap. 14.

Paulo III de hac materia habuit. Et sane quamquam omnino fas sit, ut cuiuscumque Regulae Religiosi modestissime se gerant, radicesque et fibras omnes ambitionis evellant; nostris tamen hominibus hoc maxime necessarium est, cum longe plura et maiora aeternae ruinae pericula eis immineant, nisi maximopere sibi caveant, omnesque animi aditus ambitioni diligentissime praecludant. Quod quidem hoc voto quammaxime praestant. Hoc enim voto obligationem suscipiunt nunquam, directe vel oblique, per se aut per alios, ecclesiasticos honores extra Religionem petendi.

Hisce ita explicatis ad contraria argumenta refellenda progrediamur. Et ad primum, in quo dicebatur status Episcopi et Religiosi status esse perfectionis, animadvertimus talem vere esse utriusque statum, sed diversa prorsus ratione. Status enim Episcopi perfectionem subaudit tamquam rem iam possessam: Religiosi contra in perfectionem tendit exercitatione virtutis sibi parandam ac possidendam. Alter est status magistri, qui docet ac perpolit; alter discipuli, qui perfici ac perpoliri studet, ut ait s. Dionysius Areopagita [1], et s. Thomas [2]. Et quoniam qui alios debet perficere, ipsum necesse est esse perfectum; non autem necesse est perfectum esse, qui cupit perfici, atque, ut id assequatur, Religionem, hoc est scholam

1 De eccles. hierarch. cap. VI. part. 1.
2 2. 2. q. 185. art. 1. ad 2.

perfectionis, ingreditur ; hinc apparet et discrimen quod inter unum et alterum statum intercedit, et ratio, cur licitum sit votum Episcopatum non accipiendi, nisi forte in virtute sanctae obedientiae impositus sit; illicitum vero votum Religionem non ingrediendi. Quid enim aliud est Religionem ingredi, quam in disciplinam perfectionis se tradere, despicatui se habere, ex aliorum iudicio atque arbitratu pendere? Atqui haec omnia aeque licita sunt ac tuta. Episcopum vero esse hoc sibi vult, magistrum ac doctorem esse, qui aliis virtutis ac perfectionis semitam commonstret, idque faciat in summo honoris ac amplitudinis gradu collocatus. Iam vero qui de se tam elate sentit, ut perfectum se esse existimet (qualis profecto esse debet Episcopus), hoc enimvero vix ferendae arrogantiae argumentum est. Ideo Innocentius III (cap. *Per tuas* de voto), nescio cui, qui cum Religionis voto obstringeretur Episcopatum acceperat, suasit, ut dimitteret, Religionemque intraret, si aeternae suae saluti prospicere volebat. Eius rei meminit etiam s. Thomas [1]. Quod si Archidiaconus Florentinus notatus a Pontifice fuit eo quod iuraverat nunquam fore, ut ipse Episcopatum admitteret, haec procul dubio causa fuit, quia iuramentum illud adiunctis carebat necessariis ut licitum esset. Exempli causa, si iuravit se nullo prorsus in tempore accepturum esse Episcopatum, ne si ultima

1 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2.

quidem necessitas cogeret, aut eum Pontifex iuberet, aut aliae id genus circumstantiae occurrerent, quae iuramentum illud vitiarent.

Ad secundum argumentum ita respondemus: si forte extremum illud accidat, quod adversarii fingebant, (quod quidem perraro admodum accidere potest), tunc in re tam angusta positus Societatis professus, licet voto teneatur ecclesiasticos honores respuere, poterit tamen eos acceptare; nec solum si acceptare iussus fuerit a Pontifice, verum etiam si haud dubie noverit Dei voluntatem esse, ut id faciat: sive haec voluntas iure naturali et divino, sive caelesti aliquo monito ei innotuerit, quemadmodum multis sanctis viris usuvenit, et eruitur tum ex s. Thoma [1], tum ex Ostiensi [2], et Astesano [3]. Apposite admodum in hanc rem dixit Innocentius III (cap. *Licet*, de Regular.): « Si« cut maius bonum minori bono praeponitur: ita com« munis utilitas speciali utilitati praefertur. » Quotiescumque vero huc res deveniant, tria prae oculis semper habenda sunt. Primum, quod necessitas, de qua sermo est, vera sit, non speciosa. Alioquin homo se suaque magis curare debet, quam alios; et tutior degit in humili loco, quam in honorum fastigio positus; sine Episcopatu, quam eo insignitus. Praeterea, cum

1 2. 2. q. 185. art. 1. et 2. ad 3.
2 Summ. lib III. rubr. 34. *de voto* n. 3. seqq.
3 Summ. Astens. lib. VI. art. 1. q. 11.

homo naturaliter eminere et praecesse aliis appetat, caveat, ne in errorem labatur, extremamque ibi putet esse necessitatem, ubi re vera non est; sicque fiat, ut Episcopatum suscipiendo in periculum discrimenque animam suam adducat. Et quoniam publici boni procuratio non sibi, sed publicis magistratibus a Deo commissa est; hoc sibi persuadeat, periculo ac suspicionibus vacare non posse eum honorem, quem ipse sibi adsciverit, non quem auctoritas publica demandaverit. Secundum, quod adverti debet, est, ut consideret damnum, quod exemplum suum inducere in Religionem posset, et illud cum utilitatibus conferat, quas Episcopatu ineundo posset eidem Religioni parare. Siquidem votum, quod emisit, non emisit tamquam privata persona nulloque officio cum aliis coniuncta, sed tamquam membrum et pars Religionis suae, quae facile collabefieri posset, si exemplo suo aditus ambitioni pararetur, et alii prodirent, qui illius vestigiis inhaerere et Episcopi etiam ipsi creari vellent. Tertium, quod e duobus prioribus facili ratiocinatione deducitur, est, ne homo in re tanti momenti fiduciam in suo iudicio unice collocet, neve negotium tam grave leviter et per transennam transigat, sed illud primum Deo enixe commendet, deinde cum hominibus prudentibus piisque communicet, et si tempus locusque patitur, ad Superiores suos animo in neutram partem vergente deferat: et sic, re cum Deo sanctisque viris diu serioque per-

pensa ac deliberata, illud demum amplectatur, quod divinae voluntati magis congruere videbitur.

Ad tertium argumentum nobis obiectum respondemus, Societatem haudquaquam improbare Religiosos illos famulosque Dei, qui aequi bonique consulunt honores accipere non iam per ambitum quaesitos, sed sponte et ad eorum virtutis testificationem oblatos; quamquam ad eos accipiendos a Pontifice obedientiae praecepto non adigantur. Etenim Religiones aliae, cum iam radices altissime egerint, et propter antiquitatem auctoritatemque suam in magna apud omnes veneratione sint, aliqua sibi permittere possunt sine ullo detrimenti periculo, quae Societas non potest, eo quod eius vires nondum adoleverint atque obduruerint. Praeterea Religionibus aliis suppetunt abunde spectatae fidei ac virtutis homines: nec, quod eorum pars muneribus ecclesiasticis ornetur, ac in universalis Ecclesiae gubernatione adhibeatur, perincommode praedictis Religionibus accidere potest. Contra Societas e pueritia nondum egressa, et ad multas arduasque res exercendas instituto suo vocata, sine suo aliorumque detrimento ad publicorum munerum gestionem non potest accedere. Respondemus secundo, quod quamquam hoc votum, quod nostri faciunt, sit novum, propterea quod nulla alia faciat Religio; tamen spiritus, qui beatum Parentem nostrum impulit ad illud in Societatem suam inducendum, novus minime est, sed pervetus, et sanctis Religionum Patriarchis communis.

Etenim Ugolinus Cardinalis, qui postea summum Pontificatum adeptus nomen sibi Gregorii IX adscivit, cum sanctis Dominico et Francisco vellet persuadere, ne fratres suos prohiberent Episcopatum ad Ecclesiae bonum assumere; uterque Patriarcha Cardinalis consilio obtemperare recusavit. Et s. Dominicus quidem respondit fratres suos satis superque honore affectos esse, si sciant pro dignitate aestimare praedicatorum munus illis praecipue demandatum [1]. S. vero Francisci responsum hoc fuit: « Fratres mei *Minores* vocitantur, ne forte animo umquam meditentur *maiores* esse, dum agent in terris [2]. » Et fr. Ioannes Alemannus, quartus Generalis Praedicatorum, Innocentio Papae IV humillime supplicavit, ne ad episcopalem amplitudinem fratres suos vellet promovere. Sedes enim Apostolica praedicatorum, non vero Episcoporum Ordinem confirmavit. Et s. Paulus non claves s. Dominico tradidit, sed baculum apostolicum. Una porro erat totius Ordinis vox: Nostra non refert Episcopos Ordini nostro accenseri, sed sanctos; non Pontifices, sed doctores ac martyres; sicut refert fr. Ferdinandus de Castillo in suis annalibus: qui etiam affert [3] admirabilem epistolam, quam fr. Umbertus magister Gene-

1 De Castillo, Hist. de s. Domingo etc. lib. I. cap. 50.

2 Chronic. de la Orden de los frayles Minores traduzid. por fr. Diego Navarro, part. I. lib. I. cap. 47.

3 Lib. III. cap. 46.

ralis ad Albertum Magnum perscripsit. In ea Umbertus validissimis et e sanctitatis fonte petitis argumentis dehortatur Albertum ab Episcopatu Ratisbonensi accipiendo, quem ei Urbanus IV obtulerat. Haec ibi inter alia leguntur: « Quod reliquum est, dico, uti-« nam prius vos videam feretro ad sepulcrum efferri, « quam cathedram pontificalem conscendere; quia cum « alii conspiciant pravo tuo exemplo labefactatam con-« stantiam et virtutem in hoc munere repudiando, no-« stri non e vita discedant tanto affecti dolore ac tristi-« tia. » Hisce relatis pater magister fr. Ferdinandus ita demum concludit: « Sic eo tempore negotia ageban-« tur, hoc spiritu viri apostolici inibant dignitates, de-« que suis domibus et monasteriis exibant. » Ita ille. Et quamquam nullum dubium sit, quin Religiosus ab hoc professorum nostrorum voto immunis possit licite Episcopatum accipere, etiamsi ultro, non iam iussus et coactus accipiat; nihilominus longe tutius erit, si qui accipit, ad accipiendum necessitate praecepti impellatur.

Ad quartum contrarium argumentum respondemus s. Gregorium de iis loqui, qui cum a Deo indiciis haud dubiis designati sint ad Episcopatum gerendum, divinae voluntati parere nolunt, vel quo vitam traducant tranquilliorem, vel quo aeternarum rerum contemplationi pacatius vacent: non vero loqui de iis, qui nulla Dei offensione possunt Episcopatum abnuere.

Nam idem sanctus semel atque iterum docet [1] melius et tutius esse, ut homo ab honoribus abstineat, quos ei nec Superioris praeceptum, nec temporum necessitas imposuit. Et s. Thomas [2] cum exempla a s. Gregorio [3] mutuata protulisset tum Ieremiae imbecillitatem suam excusantis, ne Dei legatus mitteretur, tum Isaiae, qui ab omni labe detersus praedicandi munus suscepit, addit : « Quia ergo valde difficile est purga- « tum se quemlibet posse agnoscere, praelationis of- « ficium tutius declinatur; » concluditque melius esse ab honoribus temperare « dummodo non adsit neces- « sitas ex parte imponentis hoc onus. » Sentit idem s. Bonaventura, eosque tantummodo Religiosos excusat, qui animarum curam suscipiunt, quando caritas id requirit atque necessitas, uti dictum est.

Ad quintum contrarium argumentum respondemus, quod in rebus asperis, humilibus, mollitiei nostrae repugnantibus, ex sancti Gregorii doctrina, praestat praeceptum obediendo antevertere: sed in rebus, quae honorem, auctoritatem aliasque id genus illecebras praeferunt, tutius est in iis non praecurrere, sed expectare Superioris imperium, nec ea ante admittere, quam obedientiae vis exposcat. « Nam (inquit)

1 Reg. epist. lib. VII. *al.* VI. ep. 4. *al.* 5. ad Cyriac. Episc. *Communes filios* (et refertur can. *In scripturis vestris,* caus. VIII. q. 1.) et Pastoral. part. I. cap. 5. et 6.

2 Quodlib. V. art. 22.

3 Registr. loc. nuper cit.

« cum huius mundi successus praecipitur, cum locus « superior imperatur; is, qui ad percipienda haec obe- « dit, obedientiae sibi virtutem evacuat, si ad haec « etiam ex proprio desiderio anhelat 1. » Concludit demum Summus Pontifex : « Si obedientiae palmam « apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sae- « culi ex sola iussione, adversis autem etiam ex de- « votione militemus. »

Ad sextum argumentum dicimus non dubium esse, quin sanctae ac universali Ecclesiae maiori usui sint boni Episcopi, quam boni confessarii ac praedicatores; sed pariter certum esse, quod ad Summum Pontificem aliosque Ecclesiae proceres spectat providere, quid facto opus sit in eiusdem Ecclaesiae administratione : et si quando iis, qui praesunt, imperia nobis dare placuerit, nos imperata obedientissime facere oportet; sin minus, quisque sibi rebusque suis attendat : Religiosus perfectionem suam promoveat, Religio suae conservationi prospiciat, Deoque in eo Instituto inserviat, quod a largitore bonorum omnium accepit. Et quamquam aliqui putent, illi nimirum, qui veritatem leviter et quasi per transennam intuentur, hominem Societatis longe magis profuturum esse Ecclesiae, si Antistes Episcopatum gereret, quam si privatus sacerdos confessiones exciperet aut conciones

1 Lib. XXXV. in Iob, cap. 14. *al.* 13. §§. 30. 31; et habetur can. *Sciendum summopere,* caus. VIII. q. 1.

haberet ; tamen iustiores rerum aestimatores aliter sentiunt, dicuntque e bono Ecclesiae magis esse, ut Religio in humilitate, regularum suarum custodia, pietatis, rerumque caelestium studio se contineat, neve exempla conservationi suae infesta admittat, quam ut aliquis e suis alumnis Episcopali dignitate decoretur. Et certe dum Societas spiritum, quem a Fundatore suo accepit, conservabit, puritatemque Instituti sui diligentissime custodiet, fructus e laboribus suis non contemnendos percipiet : si vero, quod Deus avertat, eiusmodi diligentia ac cura abfuerit, nulli vel certe insuaves erunt laborum suorum fructus: deerit enim radix, quae eos educet, et ad maturitatem perducat. Ideo beatus Franciscus cum Cardinali Ugolino ea, quae nuper meminimus, respondisset, haec subtexuit: si tibi curae est, ut fratres mei magno sint Dei Ecclesiae emolumento, in eo detine gradu, in quo positi sunt; quod si animo volvant altiora, ne patere, ut degeneres isti ea, quae appetunt, assequantur [1]. Ad locum s. Pauli quod attinet, s. Thomas [2], qui eum produxit, sic respondet cum s. Gregorio in Pastorali [3] : « Illo in tempore hoc dicitur (ab Apostolo), quo quis- « quis plebibus praeerat, primus ad martyrii tormenta

1 De Castillo, Histor. gen. de s. Domingo etc. lib. I. cap. 50.

2 2. 2. q. 185. art. 1. in c.

3 Part. I, cap. 8.

« ducebatur : » et cum s. Augustino 1 dicente voluisse Apostolum declarare « quid sit Episcopatus ; quia « nomen est operis non honoris. »

CAPUT XXII.

De voto, quod faciunt professi, audiendi Praepositum Generalem, aut alium quemlibet e Societate ab eodem Generali assignatum, si fiat, ut cogantur dignitatem aliquam extra Societatem accipere.

Iis, quae in superiore capite pertractavimus, addere possumus tamquam corollarium alteram partem eiusdem voti, quod professi nostri faciunt. Haec autem est: quod si professi imperio illius adacti, qui eis potest imperitare, ecclesiasticam aliquam dignitatem admiserint, debent Praepositum Generalem, aut alium e nostris, quem Generalis sibi suffecerit, audire in iis, quae ad corporis cultum, domicilii rationem munerisque administrationem pertinent; audita vero perficere, si ea meliora perfectioraque esse intellexerint; ut dicitur in Constitutionibus (part. X. §. 6.). Formula porro voti hisce verbis concepta est : « Insuper pro- « mitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Prae- « sidem alicuius Ecclesiae promovear: pro cura, quam

1 De civit. Dei, lib. XIX. cap. 19. Vide Salmeronem, in I. epist. ad Timoth. disp. 10.

« de animae meae salute, ac recta muneris mihi im-
« positi administratione gerere debeo, me eo loco, ac
« numero habiturum Praepositum Societatis Genera-
« lem, ut numquam consilium audire detrectem, quod
« vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem
« ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur.
« Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper
« esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi
« in mentem venerint iudicabo. » Non tamen hinc se-
quitur, ut Religiosus Episcopatu iam auctus Religionis
suae moderatoribus obnoxius sit. Hoc a veritate aber-
rat, ut aiunt s. Thomas [1], s. Antoninus [2] aliique [3]. Ra-
tio est, quia dignitatis gradu longe illos excedit, iuxta
cap. *Nisi cum pridem* de renuntiatione. Nec illud sequi-
tur, ut Societatis homo Episcopatu olim augendus velit
sua sponte assumere rursus in Superiorem suum Prae-
positum Generalem, aut alium ab eo nominatum: omnis
enim auctoritatis ratio exclusa intelligitur illis Consti-
tutionis verbis part. X. §. 6: *Non quod habeat, qui
Praelatus est, aliquem de Societate Superioris loco:*
sed tantum illud sequitur, quod Societas considerans

1 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3; et q. 186. art. it. 8. ad 3.

2 Summ. part. III. tit. XVI. cap. 6. §. 8.

3 Glossa in can. *De monachis qui diu,* caus. XVI. q. 1. et alii relati a Couarruvias cap. 1. de testam. num. 18; Silvester, summ. verb. *Religio VI.* q. 10; idque habetur can. *Statutum,* caus. XVIII. q. 1. quem refert Burchardus lib. 1. cap. 231., et Ivo part. V. cap. 343.

hunc, qui Ecclesiae alicui gubernandae praeficitur, tamquam carissimum filium, licet e sinu suo avulsum, cupiensque, quantum nova eius dignitas sinit, devinctum sibi retinere; item curas protendens tum ad eius animae, tum ad ovium illi commissarum utilitatem, iudicavit bona parens maxime convenire, ut hic suus tamquam emancipatus filius votum hoc emitteret, quo duo maxime timenda mala praecaveret, in quae imperium ac divitiae coniicere solent.

Primum malum, quod prudenti ac fideli careat, ut fit plerumque, consultore, qui eum, quando opus est, officii sui admoneat, eique, quae vera sunt, licet ingrata, sine ambagibus significet. Et quoniam in hoc regendarum animarum negotio maximopere interest a recto itinere numquam deflectere; totque ac tanta sunt offendicula, labendique occasiones (dignitatis enim magnitudo vanitatem temeritatemque alere solet; consiliarii autem plus hominem quam Deum metuentes obloqui non audent, conticescunt servi, decipiunt assentatores), necessarium nedum conveniens fuit, ut lateri huiusce nostri Praelati adstaret vir prudens, fidelis, vere amicus, animarum salutis, gloriaeque Dei studiosus, qui eum, si quando officii sui oblivisceretur reverenter quidem, sed non minus libere commonefaceret. Has autem verissimi amici partes adscivit sibi noster Praepositus Generalis, aut alius quem ipse nominaverit. Non erit abs re heic adnotare, quod votum de quo agitur, nullam Generali obligationem imponat nomi-

nandi alicuius; vovens utique obligationem assumat audiendi Generalem ipsum, aut quem ipse nominabit, quando eum commonendi necessitas aderit, ut patet ex Constitutionum parte X. §. 6. et ex eius declaratione litt. *A*. Et quamquam omnium magnopere interest habere apud se virum bonum ac providum, qui salutaria petenti suppeditare valeat consilia; tamen Praelato id maxime necessarium est, tum quia perfectionem sequi ac in omnibus quaerere ratione sui status tenetur; tum quia negocium, quod agit, animas per iustitiae semitas ducendi, omnium est difficillimum, atque ab Innocentio III (cap. *Cum sit ars* de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum) merito appellatum *ars artium*. Ideo sanctus Clemens Pontifex epist. III. (et refertur dist. XXXVIII. cap. ult.) Episcopum monet, ne dedignetur, quamvis aetate gravis, et sapientia apprime illustris, consulere atque audire alios licet natu, doctrina, experientia rerum minores. Idem inculcat s. Bernardus 1 ad Gebennensem Episcopum sic scribens: « Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium aut quo« rumcumque, sed tantum bonorum ». Et s. Gregorius 2, graviter increpito Episcopo quodam ob multa nec ea levia, quae peccaverat, haec adiungit: « Et, « quod adhuc dici est gravius, consilia sapientum, et

1 Epist. XXVIII.

2 Reg. Epist. lib. XIII. ep. 26. *al.* lib. XI. ep. 31. *al.* 29. ad Anthemium subdiac.

« recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere. » Item s. Augustinus [1] ad Auxilium Episcopum scribens, sic de se loquitur : « Senex a iuvene et Episcopus tot « annorum a collega necdum anniculo paratus sum di- « scere. » Hoc idem facere solitus fuit s. Bernardus, ut ipse morti proximus fassus est : qui etiam in epistola LXXXII. hoc memorabile profert effatum : « Cun- « ctis paene contingere sapientibus solet, in rebus vi- « delicet dubiis plus alieno se quam proprio credere « iudicio. »

Est etiam, ut diximus, alterum damnum, in quod novus Praelatus, nisi multum sibi caveat, incidere potest. Hoc autem ex eo enascitur, quod divitiis satis affluat, potentia valeat, auctoritate emineat: proinde haudquaquam difficile factu est, ut tot illecebrarum veneficio captus propria potius commoda quaerat, quam ovium suarum curam exerceat ; et, quamquam probe intelligat, quae officium suum, quae gloria Dei, quae animarum salus a se vehementissime expostulent, ea nihilominus vel oscitanter faciat, vel facere omnino negligat. Idcirco vovet et spondet se Generalis aut alîus, quem ipse designabit, consiliis aures dociles praebiturum, et, quae audierit, exsecuturum, si ea ante Dei conspectum prius perpensa iudicaverit meliora esse, et ad munus suum implendum, sempiternamque salutem tum suam tum subditorum suorum procurandam accommodatio-

1 Epist. CCL. *al.* 75. §. 2.

ra. Neque enim in omnibus rebus tenetur audire Generalem, sed in iis tantummodo, quae ad spiritualem animae suae, suarumque ovium profectum spectant. Iam vero hoc votum non modo licitum est et honestum, verum etiam sanctum. Siquidem voluntarius fidem suam obstringit ad illud amplectendum, quod ipse in Domino iudicaverit melius esse atque perfectius.

CAPUT XXIII.

De voto ea non immutandi, quae ad paupertatem pertinent.

Ambitio, mollioris vitae desiderium, religiosae paupertatis servandae incuria ac neglectio sunt veluti funestissimae tineae Religionum: summo igitur opere curandum est a Religionum moderatoribus, ut mortifera haec lues opprimatur, nisi ipsi eorumque Religiones opprimi velint ac funditus interire. Societas voto, de quo in superiore et proximo capite disputavimus, et alio etiam, quod faciunt professi, scilicet non ambiendi in Societate ullum principatus locum nec directe nec oblique; insuper detegendi quemcumque scirent hac vanitatis aura afflari, cavit satis, ne quis ambitioni aditus relinqueretur. Atque ut etiam vitae commoditatibus praecluderetur aditus, et religiosa paupertas caste ac rigide custodiretur, voluit Societas, ut aliud votum pariter simplex emitterent sui professi,

quo sponderent nunquam se passuros, ut, quod in Constitutionibus de paupertate decretum est, mutationem subiret, nisi forte mutatio ad paupertatem ipsam magis asperandam valeret.

Ne ratio huiusce voti desideretur; cum et ipsum sit novum, animadvertimus in primis, quod votum perpetuae paupertatis quemadmodum ad essentiam pertinet Religionis, sic eius observantia quam maxime necessaria est, tamquam murus et propugnaculum Religionis, ut colligitur ex s. Bonaventura [1], ex Dionysio Cartusiano [2], et ex Alexandro III in Concilio Lateranensi [3]. Neque id solum; est insuper voluntaria paupertas fundamentum Religionum solidissimum. Sic enim appellat idem s. Bonaventura pluribus in locis [4], et in opusculo de paupertate Christi [5] his verbis utitur: « Abrenuntiare omnibus tam in privato, quam in « communi est christianae perfectionis, non solum suf- « ficientis, sed etiam abundantis, tamquam perfectio- « nis evangelicae consilium principale, et principium « fundamentale, fundamentum sublime. » Age vero quemadmodum fundamento aedium desidente totum aedificium corruit, sic, paupertate voluntaria e religio-

1 Breviloq. part. V. cap. 6.

2 De reformat. claustr. saepe.

3 Part. XLIX. cap. 15.

4 Loc. cit. et in Opusc. de Regula novitior. cap. 14. et Meditat. vitae Christi, cap. 21.

5 Artic. I. ante dimid. ad *Respons.*

sis claustris amota, tota Religio funditus evertatur necesse est. Itaque, ut ea in suo robore persistat nec loco umquam moveatur, tollenda de medio sunt illa duo pestilentia verba *meum* et *tuum,* praecipua capita omnium inter homines contentionum, ut observavit s. Chrysostomus [1]. Neque est omittendum, quod advertit scite Navarrus [2]. Quamquam, ait ipse, paupertatis votum facilioris sit observantiae, quam castitatis et obedientiae vota, nec ad eam, qua ista praestant, nobilitatem assurgat; tamen neglecta paupertas longe perniciosior accidit Religionum vitae ac conservationi, quam violata castitas et obedientia. Ratio est, quia quae in paupertatis votum peccantur, tectiora sunt, minusque percipiuntur, quam quae in castitatem et obedientiam patrantur.

Hac de causa sancti omnes Religionum Fundatores in hoc enixe adlaborarunt, ut sancta paupertas accuratissime observaretur, multaque et valida, in sua quilibet Congregatione, ad eam conservandam praesidia advocarunt. S. Franciscus diras iis sui Ordinis imprecatus est, qui aut proprium quid possiderent, aut pecuniam acciperent [3]. Pariter s. Dominicus fratres devovit, qui curassent, ut suo Ordini fundi stabiliaque

1 Adversus oppugnator. vitae monast. lib. III. et Homil. in beatum Philogonium §. 1.

2 De Regular. comm. I. num. 11.

3 In Speculo Minorum, part. I.

alia bona accederent, ut scribit s. Bonaventura [1]. Veteres illi sancti Anachoritae cum monacho quodam pecuniam contumularunt, quam penes eum fuisse deprehenderant, conclamaruntque universi: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Idem s. Augustinus [2] praestitit erga monachum quemdam nomine Ianuarium; idem s. Gregorius Magnus [3] erga alium. Alexander vero III in Lateranensi Concilio [4] (et habetur cap. *Monachi,* de statu monachorum) vetuit rem divinam pro monacho fieri, qui obiisset proprietarius, eiusque cadaver in loco sacro humari. Quin imo in cap. *Super quodam*, et in cap. *Cum ad monasterium* eod. titul. praecipitur ut, si iam humatum in loco sacro fuisset, illud effoderetur; quemadmodum s. Gregorium fecisse accepimus. Rursus Innocentius III, cap. *Cum ad monasterium*, nova ordinatione id sanxit. Hisce exsecrationibus ac diris illud profecto sancti homines animo intenderunt, ut evangelicae paupertatis puritas illibata servaretur, atque omnis proprietas e Religionibus eiiceretur. Ceterum illud, quod volebant, aegre obtinere potuerunt, licet formidolosissimae sint praedictae exsecrationes, nec sine quodam horroris sensu perlegi possint. Adeo est ad peccandum proclivis humana im-

1 Opusc. de paupertate Christi, art. I.
2 Ad Fratres in eremo, serm. V.
3 Dialogor. lib. IV. cap. 55.
4 Part. I. cap. 10; apud Mansi tom. XXII. col. 224.

becillitas, quae et labitur frequentissime, et ea magis neglectui habet, quae accuratius essent exigenda.

Quocirca beatus noster Parens, ne umquam in Societate sua fervor refrigesceret, remitteretque rigor evangelicae paupertatis servandae, quam ille alibi murum firmum, alibi munimentum atque arcem tutissimam Religionum vocat, voluit, sic Spiritu Sancto afflatus, caelestique luce illustratus, ut sui professi hoc votum nuncuparent. Quod quidem sapientissime constitutum est. Nam ii sunt professi, qui Societatem gubernant, et in ea comitia coeunt, quae Congregationes generales vocamus: quibus solis auctoritas attributa est Constitutiones commutandi. Ne igitur potestate, qua valent, abuterentur, eos particulari hoc voto devinctos esse voluit paupertatis studiosissimus Parens; vi cuius de hac laxanda nec agerent ipsi, nec agi paterentur, nisi forte deliberatio de coarctanda paupertate esset. Qua quidem ordinatione nihil suavius simul ac efficacius excogitari poterat ad id, quod maxime quaerebatur, obtinendum, paupertatis scilicet, qualis nobis in Constitutionibus observanda proponitur, atque adeo Religionis ipsius conservationem. Etenim, ut optime animadvertit s. Bonaventura [1], et Dionysius Cartusianus [2], remissio paupertatis occasio esse solet et etiam causa, cur tota religiosa disciplina languescat et defi-

1 Opusc. de reformand. Fratrib.
De reformation. Claustral. art. XVII.

ciat, sublatoque fundamento totum desuper impositum Religionis aedificium collabefiat.

Hinc est quod, in Congregatione generali secunda anno MDLXV celebrata, cum de sancti Concilii Tridentini decreto [1] sermo haberetur, quo copia fit Religiosis cuiuscumque Ordinis (solis fratribus Minoribus et Capuccinis exceptis) bona stabilia tenendi reditusque percipiendi ad vitam sustentandam, cumque ibi deliberaretur, quid in hac re faciendum esset; universa Congregatio mira animorum sententiarumque concordia decrevit non expedire, ut Societas facultate a sancto Concilio concessa uteretur; sed ut paupertatem Constitutionibus nostris praescriptam sancte servaret. Itaque decretum in hac verba editum est [2]: « Con-
« gregatio, totius Societatis nomine, cessit cuicumque
« iuri provenienti ex concessione Concilii Tridentini,
« ad habenda bona immobilia in communi, in Domi-
« bus professorum vel eorum Ecclesiis; ut iuxta no-
« stras Constitutiones et vota, quae post professionem
« emittuntur, paupertatem in professis ac ipsorum Do-
« mibus retineremus. » Quod si paupertatis genus, quo Societas tam in commune, quam privatim utitur, intueamur, concludemus, si iusti esse velimus, in Domibus saltem professorum nostrorum eam sic exerceri, ut non severius exerceatur apud eas Religiones, quae

1 Sess. XXV. cap. 3. de Regular.
2 Can. 21. ex Decr. XXXIII.

rigidioris paupertatis fama clarescunt. Etenim professi non solum nullum habere possunt proventum in commune ad vitae necessaria, sed ne ad ea quidem, quae divinum cultum pertingunt; puta, ad templum sarciendum ornandumque, ad idonea Sacrificio paranda, vinum exempli causa, frumentum, cereos, et si qua sunt alia, ut liquet ex Constitutionibus (part. VI. cap. 2. §. 2.) et e Bullis confirmationis [1] tum a Paulo III, tum a Iulio III editis. Fratres contra Minores, qui summam et exactissimam paupertatem profitentur, non prohibentur tenere, quae piorum hominum liberalitas legavit ad eorum sacraria decenti supellectile ditanda: et si qui eorum frumentum et vinum ad rem divinam, vel oleum ad lumina alenda reliquit, ea omnia sine ulla dubitatione accipere possunt ac retinere. Ita censent Fridericus de Senis [2], et alii [3]. Ratio, quam adducunt, ea est, quod paupertas fratrum nec adimitur proventibus id genus, nec minuitur. Item Minores fratres habere possunt Capellanias, quas dicunt, et perpetuos illos reditus, qui ex funerum iustis

1 *Regimini militantis*, §. 10; *Exposcit debitum*, §. 9.

2 Constit. 112.

3 Cardinalis, Clementin. *Exivi*, de verb. signific. §. *Cumque*; Silvester, verb. *Legatum II.* q. 2.; Summ. Angel. *Legatum I.* num. 5.; Tabiensis, *Legatum I.* §. 4.; Corduba, Exposit. Regul. s. Franc. cap. VI. q. 11.; et auctor libelli *de serena conscientia*, quaest. XX. Extat hic libellus in *Speculo Minorum*, part. III. fol. 134. seqq.

quolibet anno vertente persolvendis proveniunt, ut Paludanus significat ad Hugonem Generalem sui Ordinis, s. Antoninus 1, et Sylvester. At nos ea habere vetamur 2. Interdicitur quidem fratribus Minoribus ire in ius, et in iudicio repetere legata ad eum, quem diximus, finem sibi relicta: sic enim docent s. Bonaventura 3 aliique 4. Licet tamen eisdem, si res legatae a detentoribus non persolvantur, commonere iudicem de iniuria, quam patiuntur; iudex vero potest ad solvendum debitorem compellere.

Nec ex iis solum, quae diximus, maior Societatis paupertas arguitur, sed ex eo etiam, quod stipendia pro celebratione Missarum non accipiat: neque id est proprium tantummodo Domuum professorum, sed toti Societati commune, ut supra declaratum est. Praeterea noluit Societas, ut in nostris templis capsula affigeretur stipibus fidelium colligendis destinata, ut videre licet in Constitutionibus (part. VI. cap. 2. §. 8.) et in vigesimotertio canone secundae Congregationis generalis. Renuit mercedem ad ministeria sua retribuenda oblatam, ut supra diximus. Religiosorum suorum hae-

1 Part. III. tit. 16. cap. 1. §. 12.

2 Constit. part. IV. cap. 2. §. 4. litt. *B*.

3 In cap. IV. Regulae Fratrum Minor.

4 Bartolus in l. *Ne quidquam* circa fin. *ff*. de offic. procons.; Ioan. Andreas cap. *Si haeredes*, extr. de testam. (habetur in Compend. privil. Mendic. tit. *haereditas* §. ult.); et alii, quos citat Corduba in cap. VI. Regulae q. 11.

reditates non adit : quod quidem Religiones aliae non abnuunt. Vetat suos testamentarii executoris munere perfungi, immo interesse solum testamentis dum conficiuntur. Neque illud patitur, ut, qui stipibus emendicandis designati sunt, plus aequo instent in petendo, inopiamque, qua Domus nostrae forte laborant, exaggerent ; suadeantque alicui, ut nostris potius, quam aliorum necessitatibus velit succurrere, ut dicitur in canone secundo supra vicesimum Congregationis secundae, qui sic se habet : « Quamvis ex eleemosynis « vivat Societas, et opus bonum sit eleemosyna Socie- « tati collata, atque ad bona omnia inducere quosvis « possimus ; tamen ad maiorem aedificationem, pau- « pertatis nostrae sinceritatem et puritatem, placuit « praecipere nostris omnibus, ut nulli externo suadeant « (nam de nostris in Constitutionibus et Decretis di- « ctum est) ut nobis potius quam aliis pauperibus dent « eleemosynam; sed contenti simus, ubi petimus elee- « mosynas quotidianas, illa simpliciter ac plane a- « more Dei petere. Ad donationes vero quascumque, « sive legata, simpliciter etiam et plane possimus tan- « tum nostras necessitates explicare : definitionem ta- « men eius devotioni relinquamus, a quo petimus has « eleemosynas ; ac proponere tantum illi possimus, ut « ad orationem et alia media accurrat, quibus possit « de donatione, vel legato constituere, iuxta id quod « Dominus inspiraverit, et ratio recta suaserit. » Sic ibi.

CAPUT XXIV.

Cur Societas Domos professorum numeret paucas, multa vero Collegia.

Sed dicet aliquis: esto, quod professorum Domus sint potissima Societatis pars, et quod paupertas in his tam aspere servetur, ut ad eius perfectionem nihil addi posse videatur. Verum illud concedatur necesse est, istas Domos paucas admodum esse, multas vero novitiorum Domos, plura etiam litterarum studiis aperta Collegia, quae satis et plusquam satis fundis reditibusque instructa sunt. Iam vero ut rite definiatur, qualis sit Societatis paupertas, ab ea paupertatis forma, quam plerique sociorum tenent, non ab ea, quam minima eorum pars sequitur, diiudicandum est. Adde, quod in iis Collegiis, quae nisi possessionibus large ditata non accipit Societas, multi professorum degunt, deque eorum proventibus aluntur. Hinc apparet paupertatem Societatis aliam re esse, aliam verbis praedicari.

Ad haec respondentes duo breviter adnotabimus. Primum quod professorum Domus paucae necessario esse debent, multa autem Collegia. Secundum, quod Collegia reditibus carere non possunt.

Prior res evidentissime probatur tum ex mente sancti Concilii Tridentini, tum ex necessitate, in qua ipsae

professorum Domus versantur, tum denique ex eo, quod totum Societatis corpus ad sui conservationem requirit.

Et primum si ad rationem attendamus, quae Concilium permovit ad impertiendam Religionibus cunctis (praeter Minores et Capuccinos) facultatem, qua possent immobilia bona tenere, hanc fuisse comperiemus, ut scilicet ea damna vitarent, quae Religiosis ab emendicando victu proveniunt: qualia sunt profecto animi relaxatio, et a caelestibus ad terrena conversio; imminuta libertas corrigendi eorum vitia, quorum piis largitionibus sustentantur; pericula fragilitati humanae impendentia in fructibus per villas areasque quaeritandis, aliaque horum similia. Quae damna ac pericula talia visa sunt aliquot e dominicana familia gravibus et piis hominibus, Ferrariensi [1], exempli causa, Viguerio [2], Soto [3], ut iudicaverint, in hac tanta etiam Religionum frequentia, et contra defervescente in dies magis ad largiendum populorum studio, iudicaverint, inquam, melius esse, ut eorum Ordo bona in commune possideret ad praedicta damna cavenda, quam non possideret, quemadmodum mens ac voluntas fuerat s. Dominici, atque eius Ordo initio facere institue-

1 In librum III. contr. gentiles cap. 133. in fin.
2 Instit. ad christian. theolog., cap. 17. §. 1. vers. 16.
3 De iust. et iur. lib. VII. q. 5. art. 2.

rat [1] nullo alio reditu tunc perfuens, quam misericordibus piorum hominum liberalitatibus. Ob eamdem hanc rationem sacrosanctum Concilium [2] praecepit, ut monasteria numerum Religiosorum non continerent maiorem eo, qui commode ali possit proventibus, quos habent, et consueta stipium collectione. Itaque cum haec sacrosancti Concilii fuerit voluntas, omnino decuit, ut, quandoquidem Societas in sua generali Congregatione non iudicaverat uti facultate reditus habendi a Concilio concessa, quo perfectius paupertatem suam servaret; saltem fini, quem idem Concilium hac sua concessione intendit, obsecundaret; ideoque professorum Domos non excitaret, nisi in urbibus amplis, et multitudine opulentiaque civium florentibus; ubi commode necessitatibus suis subveniret consuetis eleemosynis, sicque incommoda illa devitaret, quae parit mendicitas, quibusque occurrere voluit Concilium. Quia vero neminem latet paucas esse urbes multitudine civium divitiarumque magnitudine praenobiles, paucas pariter professorum Domos esse oportet. Et quoniam Societas tridentinum privilegium non admisit, quo paupertatem suam exactius custodiret; ideo a veritate

1 In primo Capitulo generali Bononiae celebrato sub b. P. Dominico anno 1220, et in Capitulo generalissimo Parisiis habito anno 1228, et in Constitutionibus eius Ordinis, dist. II. cap. 1. lit. *h*.

2 Sess. XXV. cap. 3. de Regular.

non longe aberraret, qui diceret Societatem numerum istarum Domorum amplificaturam esse, si posset.

Secundo ut paucae sint professorum Domus, earumdem necessitas postulat, necesse enim habent haud mediocrem Religiosorum vim continere ac alere; tum ut pluribus abundent operariis, quos non solum adhibeant in civitate, ubi sunt, excolenda, verum etiam per circumiecta oppida dispergant ad rudes christiana doctrina instruendos, sacramentorumque pabulo reficiendos; tum ut eaedem Domus religiosam disciplinam melius servent: quae disciplina in coenobiis infrequentibus haud levia patitur vulnera. Praeterea istae Domus receptacula sunt patrum illorum, qui aetate, obitis muneribus, laboribusque confecti merentur sane quidem hoc senectutis suae perfugium solatiumque. Quorum quidem ut ratio aliquanto exquisitior habeatur, caritas imo iustitia postulat. Verum ut haec omnia possint obtineri, necessarium omnino est, ut Domus istae in iis tantum urbibus fundentur, quae ad vivendum subsidia large suppeditare valeant.

Tertio ipse Societatis finis et conservatio necessario requirunt, ut Domus professorum paucae, Collegia vero sint multa. Etenim ut Societatis homines finem suum assequantur, et ministeria sua laudabiliter obeant, dubium non est, quin multa litterarum varietate et copia ornati esse debeant. Haec porro litterarum supellex vel intra Societatem parari potest, vel extra. Sed qui extra addidicerunt litteras, perpauci ex his

nomen Societati dant, tum quia litterati per se multi non sunt; tum quia longo studiorum stadio fatigati aut quietem umbratilemque vitam exoptant, aut honores et lucra circumspiciunt. Sic quidem plerumque usuvenit: non nego tamen aliquem ex his subinde inveniri, qui vocanti Deo parent, Religionemque, ad quam vocantur, ingressi divinae servituti se tradunt. Age si Societas neminem suo albo adscriberet, nisi viros doctos, quid illi fieret? Res ipsa loquitur per se. In tanta subditorum paucitate vix sibi sufficeret, nedum proximis prodesse, Ecclesiaeque inservire posset: resque eo progrederentur, ut paulatim tabescens penitus tandem interiret. Ut igitur vitae ac prosperitati suae consulat, iuvenes bonae spei admittit, Collegiaque statuit, ubi sua iuventus operam det scientiis acquirendis, habilemque ad ministeria olim exercenda se reddat. Cumque multi sint adolescentes, qui admittuntur, multa pariter ad eorum litterariam institutionem patere debent Collegia. Quorum etiam numerum sic definiendum esse puto, ut tanto sit maior, quanto plures sunt iuvenes qui Societatem ingrediuntur, quam homines iam litterati ac perfecti, qui possint, tirocinio peracto, professionem agere; aut illi, qui absoluto in Societate studiorum orbe ad professionem promoventur. Siquidem professi etiam non nisi pauci esse possunt, si ad ceteros comparentur; cum homines esse debeant virtute, doctrina, prudentia, rerumque peritia praestantes, ut summi Pontifices in suis Bullis, et beatus Pa-

rens noster in Constitutionibus definivere. Iam ex istis, quos paucos debere esse diximus, pars missionibus donatur, extremamque ibi paupertatem exercet, pars Collegiorum administrationi tradendisque disciplinis praeficitur. Cum enim homines sint docti et excellentes, aequum non est, ut professione priventur (ad eam enim ius habent); nec pariter aequum est, ut, eo quod professi sunt, fructu, quem ex eorum doctrina ac gubernatione percipere possunt, Collegia fraudentur. Itaque fit, ut ad pauculos redigantur professi, qui Domos suas incolere possint ac multiplicare.

Alia huic plurimique ponderis ratio accedit, atque ex eo desumitur, quod praeter Collegia, quae Societatis seminaria dici possunt, alia habemus, in quibus nostri ad virtutem, bonos mores, litteras, externam iuventutem informant. Quod sanctissimum munus totique reipublicae saluberrimum exercere non possunt professi in Domibus suis, utpote alienum ab iis muneribus, ad quae exercenda institutae sunt professorum Domus. Atque ut tantum bonum ad quamplurimos pertineret, necesse fuit, ut plurima aedificarentur Collegia, quo studiorum causa ingenua iuventus confluereret. Quae quidem litterarum domicilia quantae utilitatis extiterint christianae genti, atque omnibus Religionibus, longum esset oratione persequi. Quem cura tangit id sciendi, perlegat ea, quae in hanc rem congessi in vita beati Ignatii Patris nostri [1].

1 Lib. III. cap. ult.

Posuimus secundo loco, his, de quibus loquimur, Collegiis opus esse reditus proventusque. Quod minore etiam negotio probatur. Cum enim ea personis constent, quae scientias partim addiscunt, partim edocent, ut suas utrique partes cum successu agere queant, certa et stabilia ad vitae cultum praesidia possidere debent. Fac, ut careant; permolesta quaeritandi sibi victus cura gravissimam studiorum occupationem magnopere distrahet ac perturbabit. Propter defectum enim bonorum temporalium pauci sunt habentes litterarum peritiam; ut dicitur in cap. *Extirpandae*, de praebendis. Sancta Ecclesia tanti aestimat scientiam, ut ad amorem curamque illius fovendam non dubitaverit a residendo liberare Beneficiatum, quamdiu studiis vacat [1]. Et Religiones, quibus sua regula usum carnium interdicit, aliquid de severitate remittunt cum suis alumnis scholasticis, eisque esum carnium indulgent, ut in vallisoletano coenobio s. Gregorii cernere est. Compluti quoque Franciscani collegium habent sic dotatum, ut ad adolescentium, qui ibi instituuntur, educationem sufficiat.

Alia insuper de causa Collegia Societatis in bonis esse debent. Ea autem est, ut scholastici nostri non prius oneri sint populis, quam utilitati. Hoc autem cum Angelici doctrina maxime consonat: qui de religiosa paupertate disserens [2] docet, Religiones quidem

1 Cap. *Super specula,* de magistris.
2 2. 2. q. 188. art. 7.

militares, cum ad vitae operosioris obeunda munia institutae fuerint, multa in commune divitiarum vi abundare oportere, quo melius propositum suum tenere valeant: Religiones vero, quibus studium et contemplatio pro fine proposita sunt (quae duo in Collegiis Societatis unice aguntur), non magnas quidem possessiones, sed modicas, et tales, ut vitam agere possint, tenere fas esse: Religiosis denique, qui vitam sic temperant, ut partem studio contemplationique attribuant, partem tradendo aliis, quae ipsi didicerunt contemplatique sunt (ut in nostris professorum Domibus fieri solet), expedire, ut nullo certo stabilique proventu perfruantur, sed ut sibi emendicatis cibariis prospiciant hac utentes industria, ut ad vitam necessaria (quae multa certe non sunt) suo tempore quaerant. Sic fiet, ut de quotidiano victu minus anxii ac solliciti vivant. Atque haec est doctrina, quam beatus Parens noster secutus est, eiusque Societas tenuit ac tenet. Quod si Societas Collegia propensiore animo acceptat, quae redituum copia abundant, quam quae tenuitate laborant, nihil est cur id miremur. In illis enim, quae plus habent, plures etiam ali possunt, quam in his quae minus possident. Quo fit, ut Superiores non mediocriter recreentur, cum a cura subditos sustentandi hoc modo releventur. Haec est vera ratio; non autem, quod in Collegiis locupletioribus lautius Religiosi nostri tractentur. Etenim licet Collegium aliquod quantavis proventuum copia affluat, ad Religiosos tamen

inibi degentes quod attinet, hi nihil commodi ex prospero Collegii statu privatim decerpunt, sed idem exercent paupertatis genus, quod in aliis minus opulentis Collegiis exercetur. Sic eorum victus, sic vestitus talis est, qualis pauperes honestosque decet Religiosos: sic absque Superiorum consensu nec aliquid ad proprium usum retinere possunt, nec donare, nec mutare, nec vendere, nec accipere, etiamsi genitores essent qui darent. Neque alia etiam minutiora sibi permittere queunt; ut esset, aliquid cibi vel potus capere extra consueta edendi tempora, habere in cubiculo aliquid vel visu speciosum vel palato iucundum; aliaque similia.

Nec alicui religionem iniiciat id, quod modo diximus, complures videlicet professos Collegia incolere, deque eorum bonis victitare. Nam cum hi in Collegiis degant ad scholasticorum institutionem ac regimen, ius fasque omne postulat, ut tenuem victum ab iis Collegiis accipiant, quibus prudentiae, doctrinae, sanctitatis suae pretiosissimos fructus impertiunt. Ob aliam nec minus aequam rationem Iulius III concessit, ut aliqui ex professis habitare possent Collegia, annuente vel iubente Praeposito Generali. Hi nimirum sunt, quos senectus viresque in Societatis famulatum attritae vacatione donarunt. Senes isti, tamquam emeritis stipendiis milites in Collegia recipiuntur, ut a diuturnis laboribus aliquando tandem requiescant, et, quod vitae superest, commodius transigant. Nec ob id so-

lum, sed etiam ut iuvenes ad suscipiendos alacriter labores acuantur, cum videant Societatem, veluti parentem optimam, effoetae filiorum suorum senectae, tam peramanter prospicere. Sed isti, de quibus loquimur, perpauci sunt; et quae in eorum gratiam statuta sunt, contra paupertatem statuta esse dici non potest.

CAPUT XXV.

De caeca obedientia, quam Societas docet ac exigit.

Beatus Pater noster Ignatius docet in Constitutionibus, et in epistola, quam de virtute obedientiae inscribit, Religiosi obedientiam, ut perfecta sit et omnibus numeris absoluta, *caecam* esse oportere. Hanc doctrinam reprehendunt nonnulli ob rationes sequentes.

Prima est, quia s. Thomas [1] de hac virtute sic loquitur: « Sic ergo potest triplex obedientia distingui, « una sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his, « ad quae obligatur: alia perfecta, quae obedit in « omnibus licitis: alia indiscreta, quae etiam in illici- « tis obedit. » Quae Angelici Doctoris verba aperte declarant indiscretam obedientiam esse vitiosam. Sed quid aliud est obedientia caeca, quam indiscreta; cum ea inexplorato Praelati mandato temere ac inconside-

1 2. 2. quaest. 104. art. 5. ad 3.

rate illud facessat? Igitur vitio non caret obedientia caeca, quae non lumine rationis ducitur, sed quodam caeco impetu fertur.

Secunda ratio est, quia quidquid virtuti cuilibet contrarium est, vitiosum pariter est. Atqui *indiscretio* vel *caecitas* prudentiae adversatur, quae non modo est virtus, sed et moralium virtutum norma est ac mensura. Vitiosa igitur est et notabilis indiscretio et caecitas in obediendo, quippe quae a prudentiae norma deflectat.

Id etiam magis ex eo confirmatur (atque haec est tertia ratio), quod, nullius voluntati obsecundare in omnibus et parere debemus; nisi forte voluntas Dei sit sola rectissima, et voluntatum omnium certissima regula. At voluntas hominum, etiam illorum qui luce sanctitatis coruscant, a recto iustitiae tramite divertere potest; et si divertat reapse, iam divinae voluntati contraria est; indigna proinde, quam nos sequamur. Igitur necesse est, ut subditi non veluti automata se habeant, sed iudicio utantur, hoc est, expendant utrum id, quod Superior iubet, cum divina congruat voluntate, nec ne; et si quidem congruit, imperata faciant; si non, facere detrectent. Atque haec demum prudentia est, quae in exercitatione requiritur obedientiae etiam religiosae: cui, ut liquet, obedientia caeca e regione opponitur.

Tertiae huic rationi plurimum ponderis et auctoritatis affert quarta, deducta ex doctrina s. Bernardi, qui

in epistola septima vehementer Adamum monachum obiurgat propterea quod mandata Abbatis sui perfecerat, nec prius consideraverat, utrum ea iusta an iniusta, licita an illicita essent. Et quoniam Adamus ad se purgandum sic aiebat: « Sed quid ad me? inquis: « ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat. *Non « est discipulus super magistrum* [1]. Docendus non « docturus eius lateri adhaerebam: sequi debui, non « praeire praeceptorem auditor. » S. Bernardus sic ei respondet simul, ac belle illudit: « O istorum tempo- « rum Paule simplex, si tamen et ille alterum se tibi « exhibuisset Antonium, ut quicquid vel leviter de la- « biis eius procederet, necesse non haberes discutere, « sed sine cunctatione ad omnia nihil haesitans obe- « dires! O monachum obedientissimum, cui ex qui- « buslibet seniorum verbulis ne unum quidem iota « praetervolet! Non attendit quale sit quod praecipi- « tur, hoc solo contentus quia praecipitur. Et haec est « obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legi- « tur in Ecclesia: *Omnia probate, quod bonum est « tenete* [2]. Si ita oportet, deleamus iam de libro Evan- « gelii [3]: *Estote prudentes sicut serpentes,* sufficiente « quippe quod sequitur, *et simplices sicut columbae.* » Quae sancti Bernardi doctrina clare ostendit, ad de-

1 Matth. X. 24.
2 I. Thessal. V. 21.
3 Matth. X. 16.

bite obediendum non satis esse simplicitatem, sed requiri etiam prudentiam, cuius est inquirere, iudicare, decernere; quod etiam observavit s. Thomas 1. Itaque si illa laudanda est obedientia, quae prudentiae ductum sequitur, reprehendenda certe est obedientia caeca, quae nullam cum prudentia societatem admittit.

Quinta ratio est, quia obedientia caeca in periculum coniicit peccati admittendi. Nam si Superior aliquid iubeat, dubitetque subditus, an id, quod ipse iubetur, licitum sit nec ne; hoc si faciat, in maximum, ut patet, discrimen peccandi adducitur. Igitur antequam praeceptum impleat, explorare debet utrum illud legi Dei congruens sit an non. Verum ab huiusmodi disquisitionibus abhorret obedientia caeca.

Sexta ratio est, quia si caeca ista obedientia ad unguem observetur, fieri poterit, ut Superior aliquis sub vulpe latitans, hoc est homo specie pius, at re vera scelestus, errores atque haereses etiam subditis suis instillet; subditi vero illa decepti obedientiae caecae simplicitate, quam sequi edocentur, pestilenti magistro aurem mentemque accommodent.

Septima ratio est, quia haec obediendi ratio permolesta est atque aspera, vimque intellectui quodammodo inferens. Et quamquam beatis illis priscae simplicitatis temporibus nonnulli invenirentur perfectissimi et sanctissimi viri, qui hoc obedientiae genere de-

1 Super epist. ad Titum, cap I.

lectarentur; tamen in hac tam diversa temporum conditione, et in hac humani ingenii superbia ac pervicacia in dies magis crescente, non convenit talem obedientiae formam proponi observandam hominum congregationi, in qua etsi forte perfecti homines non desint, imperfecti tamen sunt molto plures.

Ut hanc doctrinam de obedientia caeca a beato Patre nostro propositam bene teneamus, et ab omni argumentorum petitione vindicemus, quatuor sunt advertenda; 1.° Quid sibi velit obedientia caeca: 2.° Quid circa obedientiam caecam nos edoceat Societas: 3.° In quo innitatur obedientia caeca: 4.° His positis, opposita argumenta denique solvemus.

Et ut primum dicamus, quid nomine obedientiae caecae intelligamus, praemonendum est facultates, scientiasque omnes habere sermonem quamlibet suum, propriasque voces, quibus res suas designent. Grammaticus, logicus, philosophus, theologus, medicus, iuris canonumque peritus, astronomus, mathematicus adsciverunt peculiaria quisque vocabula, quae putarent aptiora ad ea explicanda, quae propria sunt vel suae scientiae vel facultatis. Neque hoc in scientiis et facultatibus solum usuvenit, sed etiam in artibus sive ingenuis sive humilibus. Sic pictor, sculptor, architectus, nauta, miles, rusticus, ipse etiam sutor et vestiarius propria utuntur loquendi forma, vocesque usurpant, quas eorum ars sibi iam vindicavit. Sed si artes et scientiae hoc sibi sumpserunt, aequissimum

erat ut hoc sibi sumeret scientiarum et artium omnium scientia et ars, illa nimirum, quae de Religione disserit, de virtutibus ac vitae perfectione; haberetque proinde peculiarem sermonem, peculiaria vocabula, propriosque dicendi modos. Iam vero, si quis sententiam ferre velit de iis, quae praestantissima haec facultas tradit, primum facultatis istius vocabula addiscat necesse est. Aliter periculum errandi graviter adibit. Hanc rem scite admodum pertractat Tullius sic de philosophia loquens 1 : « Nova novis rebus nomi-
« na imponenda sunt. Quod quidem nemo mediocriter
« doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus
« vulgaris communisque non sit, multam novitatem
« nominum esse, quum constituantur ea rerum voca-
« bula, quae in quaque arte versentur. Itaque et dia-
« lectici et physici verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae
« nota non sunt. Geometrae vero, musici, grammatici
« etiam, more quodam loquuntur suo. Item ipsae rheto-
« rum artes, quae sunt totae forenses atque populares,
« verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur ac
« suis. Atque, ut omittam has artes elegantes et inge-
« nuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent,
« nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis
« sibi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab
« omni politiore elegantia, tamen ea res, in quibus
« versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc

1 De finib. lib. III. cap. 1. 2.

« philosopho faciendum est. Ars est enim philosophia « vitae, de qua disserens arripere verba de foro non « potest. » Hactenus Tullius. Itaque si curae est germanum obedientiae caecae intellectum assequi, consulere fas est doctores rerum spiritualium, qui de perfecta obedientia plene et accurate scripserunt. Ab his enim fontibus sinceram obedientiae caecae significationem hauriemus. Igitur dicitur aliquis tunc obedientiam caecam in Religione exercere, cum in obediendo non advocat ad rationis suae, ut ita dicam, tribunal praeceptum Superioris, ut illud examinet, videatque iustum ne sit an iniustum, utile an inutile; nec inquirit praeterea, utrum Superior ratione ductus fuerit, an levitate impulsus ad praeceptum illud imponendum; sed summa simplicitate perfectaque iudicii sui demissione iussa implet Superioris sui, eaque iusta et sancta esse existimat; modo (et haec conditio bene advertatur) modo contra legem Dei aperte non pugnent. Quemadmodum enim corporeis captus luminibus non oculis quidem suis, sed alienis videt, nec sua virtute ducitur, sed ope ministerioque alterius, quem manu tenet; sic, sermone a sensibilibus ad spiritualia converso, qui non suo sed sui Superioris iudicio fidit, nec paret propterea quod ipse, sed propterea quod Superior suus videt, iudicat, praecipit, hic vocatur et est quodammodo in obediendo caecus. Atque hoc obediendi genus obedientia caeca in Religione nuncupatur; siquidem, ut diximus, Religiosus,

qui sic obedit, non suis, sed alterius utitur oculis, neque intelligentiae suae faculam malignamque lucem sequitur, sed illud utique longe copiosius, tutius, liquidiusque lumen, quod Deus in suum Superiorem immisit. Haec porro obedientia vocatur etiam a Sanctis indiscreta, simplex, insipiens, aliisque horum similibus nominibus, ut postea videbitur,

Secunda res, quae debet adnotari, est quod licet in multis nostrarum Constitutionum partibus de obedientia recurrat sermo [1], tamen ex tam multis locis, aliisque fortasse, quae recensionem nostram effugerunt, in uno tantum obedientiae caecae fit mentio. Hunc autem locum invenies in capite primo sextae partis, ubi verba haec habentur : « Obedientiae tum in execu-
« tione, tum in voluntate, tum in intellectu sit in nobis
« semper omni ex parte perfecta ; cum magna celeri-
« tate, spirituali gaudio et perseverantia, quidquid
« nobis iniunctum fuerit obeundo, omnia iusta esse no-
« bis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium
« nostrum contrarium *caeca quadam obedientia* abne-
« gando ; et id quidem in omnibus, quae a Superiore
« disponuntur, ubi definiri non possit (quemadmodum
« dictum est) aliquod peccati genus intercedere. » In quibus verbis duo sunt animadvertenda : primum, in

1 Exam. cap. IV. §§. 29. 30 ; Constit. part. III. cap. 1. §. 23. et part. IV. cap. 4. §. 3. et cap. 10. §. 8; dein part. VI. cap. 1; part. VIII. cap. 1. §. 3; part. X. §. 4.

quo dicitur, obediendum esse « ubi definiri non pos-
« sit aliquod peccati genus intercedere. » Hoc idem paulo ante et in eodem capitulo expressum fuerat hisce verbis : « Exactissime omnes nervos virium no-
« strarum ad hanc virtutem obedientiae, in primis
« Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis ex-
« hibendam, intendamus : ita ut omnibus in rebus, ad
« quas potest cum charitate se obedientia extendere...
« quam promptissimi simus. » Et huius loci declaratio indicat, quasnam res obedientia cum caritate complectatur, sic dicens : « Huiusmodi sunt illae omnes,
« in quibus nullum manifestum est peccatum. » Insuper in tertia parte cap. I. §. 23. haec in eamdem sententiam leguntur : « Voluntatem ac iudicium suum cum
« eo quod Superior vult et sentit, in omnibus rebus
« (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes. » Ex quo evidenter elucet non ideo caecam dici obedientiam, quasi, qui sic obedit, caecorum morem imitetur nihil pensi habens, hoc est non considerans iustum ne sit an iniustum, quod praecipitur. Nam beatus Pater noster declarat ibi obedientiae locum non esse, ubi est peccatum ; idque aperte dicit in hoc postremo loco (in quo uno loquitur de obedientia caeca), et in aliis superius productis : quae loca diligenter sunt consideranda, ut mentem auctoris assequamur, et, quid significare voluerit hac obedientia, quam caecam vocat, intelligamus. Secundum, quod in iisdem verbis supra allatis advertere debemus, est bea-

tum Ignatium non dicere generatim *caeca* obedientia, sed aliud addere verbum, videlicet *caeca quadam* obedientia; quod sane verbum restringit ac coarctat prioris universitatem. Et quorsum hoc, nisi ut intelligamus, obedientiam non omnino caecam esse oportere, sed caecam quodammodo, quodammodo non? Etenim in primis manifesta res est, subditum, ut rem praeceptam rite perficiat, eam debere sensu ac mente percipere. Cum enim ratione praeditus sit, nullo alio modo, quam rationaliter obedire potest ac debet. Deinde subditus compertum habere debet nullum in re imperata peccatum inesse (ut in locis, quae nuper citavimus, docet beatus Parens) ; nam si inesset, clare liquet haudquaquam esse obediendum. Tertio non ita caeca esse debet obedientia, ut subditus, si in praestando quod iubetur, gravem vere experiatur molestiam, eam Superiori manifestare non possit ; quin immo non potest modo, sed etiam debet, si Constitutionibus nostris conformare se velit. Et certe in Examine cap. VIII. litt. *A*, et in quinta parte cap. IV. litt. *F*. declarationum, ubi sermo fit de gradu, qui cuique pro merito in Societate tribuitur, deque animi affectione, qua quisque gradum adeptus censeat secum actum esse praeclare, adduntur haec verba : « Proponere quae in animo versantur, quaeque occur- « runt licitum est. » In septima vero parte, cap. II, in qua agitur de missionibus, Constitutio sequentia praecipit : « Erit autem eius, qui mittitur, officium nulla

« ratione se ingerendo ad eundum, vel manendum in « hoc loco potius, quam in illo, plenam ac omnino li- « beram sui dispositionem Superiori, qui eum Christi « loco dirigit, ad ipsius maius obsequium et laudem « relinquere. » Sed apposita declaratio ad haec verba hanc subtexit notam: « His non repugnat, proponere « motus animi, aut cogitationes, quae in contrarium « occurrunt. » Idque optime consonat doctrinae quam sancti Fundatores ac Patres Religionum tradidere, et ad posterorum utilitatem transmiserunt. Sic enim docet s. Basilius 1: « Qui ad discendam (inquit) pietatis « sanctitatisque disciplinam accedunt, ubi semel per- « suaserint sibi, se eiusmodi scientiam a praefecto edi- « scere posse, se his praestabunt omnino dociles ac « prorsus morigeros omnibus in rebus, neque eorum, « quae imperata sunt, exposcent rationem, sed iniun- « ctum opus perficient; praeterquamquod si eorum « quae ad salutem attinent, quidpiam ignorent, licebit « modeste et cum decenti reverentia interrogare, ac « doceri. » Sic s. Benedictus in capite LXVIII Regulae, ubi haec habet: « Si omnino virium suarum men- « suram viderit pondus excedere, impossibilitatis suae « causas ei, qui sibi praeest, patienter et opportune « suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel con- « tradicendo. » Sic denique s. Thomas 2, cuius verba

1 Constit. monast. XIX. *al.* XX.
2 1. 2. q. 13. art. 5. ad 3.m

sunt haec: « An aliquid sit possibile, subditus non de-
« bet suo iudicio definire : sed in unoquoque iudicio
« Superioris stare. » Neque hoc solum licet nobis facere, sed licet etiam, si minus placuerit proximi Superioris sententia, maiorem adire Superiorem, et, si neque hic satisfaciat, alium aliumque deinceps, ad Generalem usque: Unde colligitur, hanc Societatis obedientiam dici non eo sensu caecam, ut homo ad bruti vel stipitis conditionem se conformet, vel ut omittat considerare iustumne sit, an iniquum, quod praecipitur, vel denique ut prohibeatur rationes proponere, ob quas praeceptum implere non possit. Haec utpote ab hominis dignitate, et ab aequitate aliena obedientia caeca non postulat, ut iam monuimus. Cum igitur obedientia caeca Societatis hominibus praecipiatur, cumque ea in praedictis tribus rebus non possit consistere, ut ex Constitutionibus nostris constat, videamus in quibus aliis consistat. Primum omnium Constitutiones nos docent non esse figendos oculos in Superioris persona nobis imperantis, nec quaerendum, an ille sit virtutibus et genere clarus ; an prudens, litteratus, comis , vel contra : sed in eo ipsum Christum Dominum nostrum contemplandum esse, cuius ipse vices agit personamque exhibet. Atque hoc est fundamentum, quod beatus Parens Ignatius iubet nos in animis nostris locare, ut ad perfectae obedientiae culmen pertingere valeamus. Ideoque dicit ipse in Examine cap. IV. (§. 29.): « Vera obedientia non

« considerat personam, cui fiat, sed propter quem fiat: « et si propter solum Creatorem et Dominum nostrum « fiat, eidem omnium Domino obeditur. » Eadem dicit in parte III. cap. I. (§. 23): « Valde necessarium « est, ait, ut omnes perfectae obedientiae se dedant, « Superiorem (quicumque ille sit) loco Christi Domini « nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore « eum prosequentes.» Eadem in eodem capite (§. 24.) repetit his verbis: «Assuescant non intueri quis ille sit, « cui obediunt; sed potius quis ille, propter quem, et cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.» Eadem inculcat in IV. parte, cap. IV. (§. 3.) sic dicens: « Quae omnia iuxta ordinationem ac iudicium Maio- « rum suorum, quibus obedientiam Christi loco prae- « stare debent, facient. » Tandem in eiusdem partis capite X. (§. 8.) ut in VI. parte, capite I. id tractare instituens, quod nos obedientiam caecam vel intellectus vocamus, praeiacit haec verba: « Versari autem « debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, « propter quem homini obedientia praestatur. » Quae ex Constitutionibus nostris retulimus, eadem reperiuntur et in Bulla 1, qua Paulus III confirmavit primum Societatem nostram, et in ampliatione ac declaratione, quam Iulius pariter III edidit 2, hisce verbis : « Sin- « guli vero subditorum tum propter ingentes Ordinis

1 *Regimini militantis*, §. 9.
2 *Exposcit debitum*, §. 8.

« utilitates, tum propter numquam satis laudatum hu-
« militatis assiduum exercitium, non solum Praeposi-
« to in omnibus ad Institutum Societatis pertinentibus
« parere semper teneantur, sed in illo Christum velu-
« ti praesentem agnoscant, et quantum decet, vene-
« rentur. » Secunda res quam subditus in exercitatione obedientiae caecae praestare debet, haec est; ut examinare absistat causas, quare legitimus Superior aliquid sibi praeceperit: nam qui solide obediens est, huic scire satis est, sibi loco Dei imperari. Et cum obedientia ea virtus sit, quae ut ait s. Thomas [1], Deum spectat eiusque sanctissimam voluntatem per suum ministrum legitime manifestatam; qui hac virtute affectus est, ad hunc sublimissimum scopum unice collineat; cetera vero humana, puta Superioris prudentiam, litteras, nobilitatem, vel his contraria, praeterit ac negligit. Hinc passim videmus a sanctis Patribus simplicitatem in obedientia valde laudari, curiositatem vehementer reprehendi. Nec immerito. Scimus enim, verba illa [2]: « Cur praecepit vobis Deus? » fuisse primum offendiculum humani generis matri a daemone obiectum. Igitur haec duo docet Societas.

Iam videamus, num Sanctorum doctrina innitantur, et ratione; quae quidem tertia quaestio est, quam nos explicare proposuimus.

1 2. 2. q. 104. art. 2. ad 2.m
2 Gen. III. 1.

CAPUT XXVI.

Auctoritate Sanctorum probatur id, quod docet Societas.

Et ad primum quod attinet, idest, quod subditus intueri non debeat personam, cui paret, sed Christum Dominum nostrum, propter quem paret, nulla in hoc exoriri potest difficultas, cum idem Dominus noster eamdem doctrinam tradiderit illis verbis [1]: « Qui vos « audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. » Quae quidem verba in rem nostram facere, immo eamdem continere doctrinam, quam nos profitemur, testantur sanctissimi et gravissimi Doctores, inter quos s. Basilius [2], s. Bernardus [3] aliique recensentur. Id ipsum clarius etiam eruitur ex sancto Paulo ad Ephesios [4] scribente, et, quae partes sint servorum Christianorum erga dominos suos, licet ethnicos, significante. Sic enim ait: « Servi, obedite dominis carnali- « bus cum timore et tremore, in simplicitate cordis « vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, qua- « si hominibus placentes, sed ut servi Christi facien- « tes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate « servientes, sicut Domino, et non hominibus. » Et

1 Luc. X. 16.
2 Constit. monast. cap. XXII. *al* XXIII.
3 De praecept. et dispens. cap. IX.
4 VI. 5. 6. 7.

ad Colossenses [1] eadem repetit. En Apostoli verba: « Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad « oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed « in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque « facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non « hominibus: scientes quod a Domino accipietis re- « tributionem haereditatis, Domino Christo servite. » Age si s. Paulus hortatur iubetque christianum servum intueri Christum in suo Domino, quamquam gentilis sit Satanaeque mancipium, eique non ut homini morem gerere, sed ut Deo, quem repraesentat propter illud, quod in se habet, dominium; quid de religioso viro dicendum est, qui, ut voluntatem suam tamquam suavissimam Deo victimam mactaret, seque totum in sacrificium perfectissimum offerret, Religionem ingressus est, Superioremque suum loco assumpsit vicarii Christi, cui obsequatur, tamquam ipsi Christo? Audi s. Basilium [2] sic loquentem: « Praefe- « ctus nihil aliud est nisi is qui personam Servatoris « sustinet, cum et Dei hominumque factus sit media- « tor, et Deo offerat salutem eorum, qui sibi parent. » Audi etiam, quae alibi [3] subiungat idem Doctor: « Sit « autem persuasissimum ei, se non homini contradi- « cere, aut obedire, sed Domino ipsi, qui dixit: *Qui vos*

1 III. 22. 23. 24.

2 Loc. cit. §. 4.

3 Regul. brevius tract., interr. XXXVIII.

« *audit*, *me audit: et qui vos spernit*, *me spernit.* » Et quae s. Benedictus scripserit [1] : Obedientia quae maioribus praebetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: « *Qui vos audit*, *me audit.* » Et paulo superius animadverterat : « Qui nihil sibi a Christo carius aliquid « existimant.... mox ut aliquid imperatum a maiore « fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati ne- « sciunt in faciendo. » His plane consimilia invenies in s. Climaco [2] ita dicente : « Quicumque Domini vo- « luntatem cognoscere voluerunt, suam prius mactare « seseque abnegare debuerunt, et cum fide et simpli- « citate, exclusa omni malitia, precari, et patres fra- « tresve cum vera humilitate, et sine ulla cordis du- « bitatione interrogare, quorum consilia et responsa « tanquam ab ore Dei prolata suscipienda sunt ; quam- « vis contraria destinato fini quaerentis dicta videan- « tur. » Eadem et in s. Antiocho [3] reperies, haec suadente : « Spiritualium Patrum hortamenta consecte- « mur in omnibus morigeri et obedientes, ut illud a « Domino audiamus : *Qui audit vos et me audit; qui* « *accipit vos*, *accipit eum qui me misit.* » Eadem et in Cassiano, qui [4] de priscorum monachorum obedientia ita loquitur : « Sic universa complere, quaecum- « que fuerint a Praeposito praecepta, tamquam a Deo

1 Regulae cap. V. de obedientia.
2 Grad. XXVI. (part. 2.) de discreta discretione.
3 Homil. XXXVIII. de inobedientia ; in Biblioth. Patrum.
4 De Institut. renunt. lib. IV. cap. 10.

« sint caelitus edita, sine ulla discussione festinant. » Audiatur rursus s. Bernardus [1], qui ait : « Sive Deus, « sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tra- « diderit ; pari profecto obsequendum est cura, pari « reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non « praecipit homo. » Et subdit inferius : « Ipsum proin- « de quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, « quae aperte non sunt contra Deum, audire debe- « mus. » Et in sermone de virtute obedientiae et eius gradibus [2] Religiosum sic erudit : « Non autem te « moveat magister imperitus, indiscreta potestas : sed « memento quia *non est potestas nisi a Deo* ; et *qui* « *resistit potestati, resistit Dei ordinationi* [3]. Haec est « propria hominis obedientia, quam homini debemus, « qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista « inter Deum et hominem : quia quidquid obedientiae « Praelatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit : *Qui* « *vos audit, me audit.* » Nec praetereundum, quod s. Bonaventura [4] monet his verbis : « Quidquid vice « Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum di- « splicere Deo ; hoc omnino accipiendum est, quasi « praecipiat Deus. » Neque illud omittendum, quod idem sanctus habet in tractatu de institutione novi- tiorum (cap. II.), in quo haec leguntur : « Ipsi recto-

1 Loc. sup. cit.
2 De diversis, serm. XLI. §. 3.
3 Rom. XIII. 1. 2.
4 Specul. discipl. cap. IV.

« res nostri sunt vicarii Dei super nos, et ideo debe-
« mus eis sicut Domino obedire, et non sicut homini-
« bus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis
« subiacemus. » Et in libro octo collationum (coll. III.) ubi ad perfectius obediendum sic hortatur : « Ut me-
« lius valeas esse obediens, cogita semper quando vox
« praecipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam
« non tamquam ab homine audias, sed tamquam ab
« ipso Deo. » Memorabilia in primis sunt verba sancti Francisci, quae idem s. Bonaventura refert capite sexto illius libri, in quo seraphici Patriarchae vitam moresque expressit : « Ita diligenter (aiebat s. Franci-
« scus) novitio unius horae obedirem, si mihi guar-
« dianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo
« fratri. Subditus, inquit, praelatum suum non ho-
« minem considerare debet, sed illum, pro cuius est
« amore subiectus. Quanto enim contemptibilior prae-
« sidet, tanto magis humilitas obedientis placet. » Theosterictus in ea laudatione funebri, in qua virtutes beati Nicetae confessoris, olim sui magistri, describit, ut Metaphrastes et post eum Surius [1] narrat, sic de beati viri obedientia disserit : « Omnia morum
« simplicitate et corde sincero sine haesitatione aliqua
« faciebat. Quae vero a praeside ipso dicebantur, tan-
« quam a Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem
« curiositatem et haesitationem abiiciens, fidem au-

1 Aprilis die III.

« tem ac certam persuasionem habens, omnia exeque-
« batur. » Quod genus obediendi demiratus s. Bonaventura [1], non dubitat affirmare sublimiorem perfectioremque obedientiam esse, quae Deo sub hominis persona obtemperat, quam quae Deo ipsi obedit. Et ratio est, quia nulla exsistere potest iusta ratio, quae hominem impediat, quominus Deo in se spectato obsequentissime pareat: creatae enim res omnes absolutissimam Creatori obedientiam iure naturae debent. Contra multae, nec eae exiguae, prodire possunt difficultates, quae deterreant a more gerendo homini, quem saepe et perturbationes animi exagitant, et falsae opiniones decipiunt. Quare sanctus Thomas [2] ait: « Tunc est obedientia magna, quando sequitur impe-
« rium alterius contra motum proprium. » Huc etiam faciunt pulcherrima verba, quae de obedientia protulit Umbertus, quintus Generalis Ordinis s. Dominici [3]: « Obedientia (sic ille) hominem de Dei beneplacito
« certificat. Nisi enim aperte sit malum quod a Supe-
« riore praecipitur: sic accipiendum est, ac si a Deo
« praeciperetur. *Qui vos audit, me audit.*» Humberto addendus est s. Vincentius Ferrerius [4], praeclarissimum eiusdem Ordinis lumen, qui universos Religiosos ita cohortatur: « Christi athleta se accingat, ut

1 Formul. aur. de gradib. virtut., cap. II.
2 Super epist. ad Philippens. lect. II. sub. fin.
3 Specul. religios. sive de erudit. eor., lib. V. part. 1. c. 1.
4 Tractat. de vita spiritual., cap. *de obedientia*.

« obedientiae regulam et semitam in omnibus et per « omnia teneat, quantum poterit inconcusse, ... et « omnes maiorum ordinationes ad unguem teneat quan- « tum potest, semper cogitans verbum Christi: *Qui « vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.*»

Ad alterum caput venientes, in quo dicebamus obediendum esse a Religioso in iis, quae peccatum aperte non continent, atque obediendum caeco quodam modo, simpliciter, non curiose, hoc est, non investigando causas qualitatemque praecepti; in id miro consensu conveniunt universi Religionum Fundatores ac magistri. Initium a Cassiano sumamus, ut qui declarat, quemadmodum religiosam obedientiam exercuerint monachi Tabenesiotae, qui primi in vitae communionem coiere sub Regula scripta, quam s. Pachomius, eorum magister, ab Angelo acceptam discipulis suis sequendam proposuit. Quam Regulam s. Hieronymus, ut diximus, vertit in latinum sermonem. Itaque Cassianus [1] de istis monachis haec prodidit memoriae: « Sic universa complere, quaecumque fuerint ab eo « (praeposito) praecepta, tamquam si a Deo sint cae- « litus edita, sine ulla discussione festinant, ut non- « numquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fi- « de ac devotione suscipiant, ut tota virtute, ac sine « ulla cordis haesitatione ea perficere aut consummare « nitantur, et ne impossibilitatem quidem praecepti

1 De Instit. renunt. lib. IV. cap. 10.

« pro senioris sui reverentia metiantur. » Urget hoc ipsum aliis exemplis, quae in eodem libro a capite XIII ad XXIX usque affert. In primis vero de Ioannis Abbatis obedientia disserit, quem adeo excelluisse hac virtute commemorat, ut ob eam prophetiae dono divinitus augeri promeruerit. In capite autem XLI utilissima haec documenta praebet: « Stultum te, secundum « Apostoli [1] sententiam, facias in hoc mundo, ut sis « sapiens: nihil scilicet discernens, nihil diiudicans « ex his quae tibi fuerint imperata; sed cum omni « simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, il- « lud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens « esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel se- « nioris examen indixerit. » Scitu dignissima etiam sunt, quae idem Cassianus habet libro duodecimo, cap. XXXII, ubi de perfecta obedientia sic loquitur: « Quod non aliter observari poterit, nisi ab eo « qui non solum se mortuum huic mundo, verum etiam « insipientem iudicarit ac stultum, universa quae sibi « fuerint a senioribus imperata, sine ulla discussione « perficiens, sacrosancta ea credens ac divinitus pro- « mulgata. » Et quae in collatione II. Abbatis Mosis cap. XI. dicit, ubi pretiosissimum thesaurum in perfecta obedientia reconditum sic detegit: « Hoc igitur « modo ad scientiam discretionis verae pervenire fa- « cillime poterimus, ut seniorum vestigia subsequen-

1 I. Cor. III. 18.

« tes, neque agere quidquam novi, neque discernere « nostro iudicio praesumamus, sed quemadmodum nos « vel traditio illorum, vel vitae probitas informarit, in « omnibus gradiamur. Qua institutione firmatus, non « modo ad perfectam discretionis rationem quisque « perveniet, verum etiam a cunctis insidiis inimici tu- « tissimus permanebit. Nullo namque alio vitio tam « praecipitem diabolus monachum pertrahit ac perdu- « cit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis « seniorum, in suo iudicio persuaserit ac definitione « doctrinave confidere. » Et demum quae in collatione XVIII Abbatis Piammonis cap. III. disputat; in qua haec sapientissime praecipit: « Quaecumque seniores « vestros agere vel tradere videritis, summa humilita- « te sectamini. Neque vos moveat, aut ab intentione « retrahat ac divertat, etiam si vobis ad praesens ali- « cuius rei, vel facti ratio, vel causa non liqueat; quia « eos qui bene de cunctis ac simpliciter sentiunt, et u- « niversa, quae a senioribus tradi gerive perspexerint, « fideliter imitari magis quam discutere student, per « operis experientiam etiam rerum omnium scientia « subsequetur. Caeterum numquam rationem veritatis « intrabit, quisquis a discussione coeperit erudiri, quia « videns eum inimicus suo potius quam patrum iudicio « confidentem, facile in id usque propellit, ut etiam « illa quae maxime utilia atque saluberrima sunt, su- « perflua ei videantur et noxia. »

Sed ad alios iam doctores transeamus. Sanctus Basilius de Constitutionibus monasticis cap. XIX. (*al.* XX.): ait « Oportet in primis eum qui ad eiusmodi vivendi genus accedit, stabilem, firmum, et immobilem animum habere, ac propositum eiusmodi quod nequitiae spiritus invadere ac mutare non possint, itemque martyrum constantiam firmitate animi usque ad mortem ostendere, sic ut et Dei mandata amplectatur, et magistris suis obtemperet. Haec enim huius instituti summa est. Quemadmodum enim Deus, qui pater omnium et est, et vocari vult, obedientiam integerrimam a suis servis exigit: ita quoque inter homines spiritualis pater ad Dei leges praescripta sua accommodans, obedientiam requirit disceptationis contentionisque expertem. Si enim qui mechanicae alicui arti, earum videlicet, quae ad praesentem vitam utiles sunt, studium impertit, prorsus obedit artifici, neque ulla in re adversatur illius praeceptis, et ne paululum quidem ab ipso secedit, sed omni tempore in oculis magistri est, cibumque et potum ac reliquum victum ab eo praescriptum recipit; multo magis qui ad discendam pietatis sanctitatisque disciplinam accedunt, ubi semel persuaserint sibi, se eiusmodi scientiam a praefecto ediscere posse, se his praestabunt omnino dociles ac prorsus morigeros omnibus in rebus, neque eorum quae imperata sunt exposcent rationem, sed iniunctum opus perficient. » Et in capite XXII. (*al.* XXIII.) in quo fuse ac plane

divina verba facit de virtute obedientiae, postquam ostendit Superiores esse pastores, subditos vero oves, sic fari pergit: « Ut igitur oves obtemperant pastori, « pergentes quacumque via eas duxerit: ita ii qui « secundum Deum ascetae sunt, praefectis obsequi « debent, nequaquam curiosius perscrutantes eorum « praecepta, quando libera sunt a peccato, sed omni « alacritate atque studio imperata explentes. » Deinde eamdem rem comprobat exemplo adducto instrumenti, quod nullam unquam artificis operi resistentiam opponit, sed ad omne id, quod opifex molitur, tractabile et obsequens se praebet. Nec satis: idem Basilius in Regulis brevioribus [1] affirmat imprudentem, insipientem, ac stultum apud semetipsum debere esse obedientem.

S. Hieronymus [2] Rusticum monachum instituens de ratione vitae in monasterio ducendae optima haec monita ei suppeditat: « Praepositum monasterii timeas ut « dominum, diligas ut parentem. Credas tibi salutare « quidquid ille praeceperit: nec de maiorum senten- « tia iudices, cuius officii est obedire et implere quae « iussa sunt, dicente Moyse: *Audi Israel et tace* [3]. »

S. Augustinus, cuius meminit s. Bonaventura [4], docet: « Ut obedientia Religiosi Deo sit acceptabilis,

1 Interrog. 227. 260. 274.
2 Epist. CXXV. *al.* 4. ad ipsum, §. 15.
3 Deuter. XXVII. 9. *iuxta LXX.*
4 Collation. octo, coll. III.

« debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedi-
« gnatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine
« discussione, perseverans sine cessatione. » Atque ita porro dotes perfectae obedientiae declarat.

S. Benedictus, monachorum in Occidente Parens, in sua Regula (cap. V.) monachos vult « non suo arbitrio
« viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedien-
« tes, sed ambulantes alieno iudicio et imperio. » Atque vocabulum illud *iudicio* interpretatur pro *discretione* Smaragdus Abbas. Sic ubi s. Benedictus dicit obedientiam sine mora esse debere, ea verba *sine mora* idem Smaragdus docet valere idem ac *sine discussione*. Cardinalis de Turrecremata tractatu LV. in Regulam s. Benedicti inquit : « Tertia conditio gradus
« obedientiae est, simpliciter obedire sine querela, si-
« ne discussione ; » atque in hoc eodem loco prolixa oratione demonstrat, Religiosi obedientiam, ut perfecta sit, indiscretam esse oportere. Eamdem rem in tractatu LVI. persequitur ad septimum modum, quaerens num minuatur ita virtus meritumque obedientiae. Idem s. Benedictus in eadem Regula, cap. LXVIII, bono animo esse iubet monachum , cui aliqua res imperatur humanam virtutem excedens, eumque hortatur, ut in bonitate Domini fiduciam suam collocet, atque *ex caritate* obediat. Atqui haec est obedientia caeca, quae non iudicat, utrum fieri possit, an non, quod praecipitur ; sed illud pia animi propensione atque alacritate complectitur.

S. Gregorius in caput tertium libri primi Regum (lib. II. cap. 4. §. 11.) nervose ac sapienter, pro more suo, de virtute obedientiae disputat sequentibus verbis: « Vera obedientia nec praepositorum intentionem « discutit, nec praecepta discernit: quia qui omne vi- « tae suae iudicium maiori subdidit, in hoc solo gau- « det, si, quod sibi praecipitur, operatur. Nescit enim « iudicare quisquis perfecte didicerit obedire: quia « hoc tantum bonum putat, si praeceptis obediat. » Et inferius: « Obedientis animus in eo quod agit, non- « nisi obedientiae bonum pensat. Praeceptum namque « in hoc solo pensare debet, quod maioris praeceptum « est. » Et alibi definit: « Non licet subditis discer- « nere, sed statim simpliciter obedire.» Quem s. Gregorii pulcherrimum locum citat s. Bonaventura in Regula novitiorum [1].

S. Ioannes Climacus [2] describens quid sit obedientia ait: « Obedientia est motus simplex et inexcussus: « voluntaria mors, incuriosa vita, securum periculum, « expedita apud Deum defensio, mortis securitas, na- « vigatio sine periculo, dormiens peregrinatio. Obe- « dientia est animi in morte securitas, sepultura vo- « luntatis, excitatio humilitatis, quae non obloquitur, « non diiudicat, nec bona tanquam mortua, nec vulgi « opinione mala sentit. » Et infra: « Ubi stadium pie-

1 Cap. XIII. de obedientia.

2 Grad. IV. num. 3. 12. edit. graec.-lat. Raderi.

« tatis et obedientiae ingressi fuerimus, bonum praesi-
« dem nostrum nequaquam amplius iudicabimus. »
Atque idem Climacus [1] declarans illa verba psalmi CXLV : *Dominus illuminat caecos*, voculam *caecos* inerpretatur *obedientium oculos*. Hac caeca obedientia (observat s. Ioannes Chrysostomus [2]) obedivit Abram « egrediens de terra sua et de cognatione sua,
« nesciens quo iret, » ut ait Apostolus [3]. Et in epistola ad Ioannem Raithunum, quae est *Scalae Paradisi* veluti prologus, ipse Climacus ait : « Cum sancti patres
« nostri et rerum divinarum cognitione probe initiati
« et caelestis disciplinae antistites obedientiam defi-
« niant, obsequium quod praecipientibus sine cuncta-
« tione praestatur, quamvis id quod imperatur ultra
« vires sit, ecce tibi, posthabita imperitiae meae con-
« scientia, pie tamen etiam quae nostram imbecilli-
« tatem superant cum modestia aggressi sumus. » Atque hac simplicis obedientiae laude eminuisse Climacum affirmat Daniel monachus, qui vitam illius sanctissime actam candido sermone narravit [4].

S. Caesarius Arelatensis, qui abhinc annos supra nongentos vitam in monasterio Lirinensi traduxit virtutibus omnibus ornatam, verba ad monachos fa-

1 Ibid. num. 80.
2 In cap. XI. Genes., homil. XXXI. §§. 3. 4.
3 Hebr. XI. 8.
4 In Biblioth. PP. ante opera s. Ioannis Climaci.

ciens utitur hac oratione [1]: « Quidquid vobis a seniori-
« bus fuerit imperatum, sic accipite tanquam de caelo
« sit ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discu-
« tias, in nullo penitus murmurare praesumas, quia
« in monasterio servire venisti, non imperare, obedi-
« re potius quam iubere : totum sanctum, totum iu-
« stum, totum utile iudica quidquid aut tibi aut aliis
« videris imperari. »

S. Antiochus, monachus in coenobio s. Sabae, obedientiam sic definit [2] : « Sane obedientia est, qua
« quis persuadetur et obedit citra ullam diiudicatio-
« nem: adeo ut quod superioris imperio imponitur,
« iucundus quis et alacer non item turbulentus ex-
« pleat. Obedientia renunciatio propriae est voluntatis, nulla non sui parte perfecta: quae solo moderatoris sui annutu ad quidvis operandum nihil turbulente movetur. »

S. Dorotheus de vita recte et pie instituenda [3], inquit: « Vos autem omnino, fratres, adhuc expertes video huiuscemodi obedientiae indiscretae, nec nosse
« quanta eius sit requies. » Et superius: « Consuescat
« praecidere et amputare propriam voluntatem, et se-
« ipsum, post Deum, patri suo dedere, atque ab eo
« nulla in re postmodum dissentire, sed omnia ipsius

1 Homil. XVIII.
2 Homil. XXXIX; in Biblioth. PP. edit. Colon. tom. VII.
3 Doctrina I. sub fin., in Bibl. PP. tom. IV.

« arbitrio facere, ea fide et certitudine ac si Deo in « cunctis non homini pareret. » Et in doctrina V. se ipse hoc modo obiurgat: « Quidquid iudicii est tibi, « quidquid discretionis est, quidquid prudentiae, quid- « quid intelligentiae, id omne tibi a daemonibus est. » Loquitur nimirum de discretione, iudicio, prudentia, quae huic simplici ac caecae obedientiae opponuntur.

De s. Ioanne Damasceno, ut constat ex eius vita, quam Ioannes Hierosolymorum Patriarcha litteris consignavit [1], legimus: « Nulla eius erat ad imperata detrecta- « tio, nulla in lingua murmuratio, disceptatio in corde « nulla, qua magistri iussa intus diiudicaret; sed hoc « unum in media mente tanquam in tabulis inscul- « ptum habebat, ut secundum Pauli consilium, quid- « quid ageret aut agere iuberetur, hoc sine querimo- « nia et disceptationibus perficeret. »

S. Bernardus (lib. de praecept. et dispens. cap. X; idque refert s. Bonaventura [2]), monachos, qui adversus hanc simplicem obedientiam faciunt, gravissima hac oratione castigat: « Porro imperfecti cordis et infirmae « prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum stu- « diosius discutere, haerere ad singula quae iniun- « guntur, exigere de quibusque rationem et male suspi- « cari de omni praecepto, cuius causa latuerit; nec

1 Ante Opera ipsius Damasceni, §. XXV; edit. Lequien, Paris. an. 1712.

2 Pharetrae lib. II. cap. 44.

« unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit « quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu « expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubi- « tata auctoritas. Delicata satis, immo nimis molesta « est huiuscemodi obedientia. Non plane haec illa est, « quae ex regula traditur, *obedientia sine mora*. Dis- « putare profecto hoc est in astu cordis, non in audi- « tu auris obedire. » Et in eodem libro dixerat antea : [1] « Perfecta obedientia legem nescit, terminis « non arctatur; neque contenta angustiis professionis, « largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, et « ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberalis « alacrisque animi, modum non considerans, in infi- « nitam libertatem extenditur. » Item sermone I. in conversione s. Pauli, de vera obedientia (§. 6.) sic disserit: « Non est obedientia eorum plena, non in omni- « bus parati sunt obsequi, non per omnia sequi pro- « posuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit face- « re voluntatem. Discernunt et diiudicant eligentes in « quibus obediant imperanti, immo in quibus praece- « ptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. » Et paulo infra subiicit: « Audi quam manifeste in his « quae sequuntur voluntaria simplicitas et christiana « commendatur mansuetudo. *Apertis oculis nihil vi- « debat: ad manus autem trahebatur ab his qui co- « mitabantur eum*. Felix caecitas, qua male quondam

1 Cap. VI.

« illuminati in prevaricatione, tandem in conversio-
« ne oculi salubriter excaecantur. » Similia legeris in epistola, quam idem s. Bernardus scribit ad Fratres de monte Dei. Haec autem sic placuerunt Umberto, quinto Generali Ordinis Dominicani, ut dignissima esse putaverit, quae ipse aliqua saltem transcriberet in libro de eruditione religiosorum [1]. En locus s. Bernardi [2]: « Perfecta obedientia est maxime in incipiente
« indiscreta, hoc est non discernere quid vel quare
« praecipiatur; sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et
« humiliter fiat quod a maiore praecipitur. Lignum
« enim scientiae boni et mali in paradiso, censura
« discretionis est in conversatione religionis penes pa-
« trem spiritualem, qui diiudicat omnia, ipse vero a
« nemine diiudicatur. Ipsius est discernere, alio-
« rum est obedire. » Et paulo infra: « *Animalem*
« (Religiosum) discretum, novitium prudentem, in-
« cipientem sapientem, in cella posse diu consiste-
« re, in Congregatione durare, impossibile est. Stul-
« tus fiat, ut sit sapiens; et haec omnis sit eius dis-
« cretio, ut in hoc nulla ei sit discretio: haec om-
« nis eius sapientia sit, ut in hac parte nulla ei sit. »
Et in eodem capite de novitiis verba faciens, deque iis, qui vitam inchoant spiritualem, dixerat: « Sunt *ani-*

1 Sive specul. religiosor., lib. II. part. II. cap. 5.

2 Cap. V. in nova edit. Paris. 1719. (vol. II. col. 211.); ubi Mabillon hanc epistolam asserit Guigoni carthusiensi, non s. Bernardo.

« *males,* qui per se nec ratione aguntur, nec trahun-
« tur affectu : et tamen vel auctoritate permoti, vel do-
« ctrina commoniti, vel exemplo provocati, approba-
« tum bonum inveniunt, et quasi caeci, sed ad ma-
« num tracti sequuntur, hoc est imitantur. » Dein in tractatu de ordine vitae [1] inquit : « *Quasi peccatum*
« *ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololа-*
« *triae nolle acquiescere* [2]. Cernis quantum et quale
« sit inobedientiae malum, quod idololatriae magicis-
« que comparatur artibus? Adolescentes qui tali re-
« pleti sunt malo subdi senioribus dedignantur : facta
« vero eorum aut dicta tumida et erecta cervice non
« observant, sed diiudicant : non venerando exaltant,
« sed spernendo subsannant. Sed non impune. Inde
« enim evidenter deficiunt, unde miseri proficere de-
« buerunt. » Denique in sermone secundo, quem ipse s. Bernardus in diem festum s. Andreae habuit, de perfecta huius Apostoli obedientia sic loquitur : « So-
« lemnitas hodie celebratur : quam si pia sollicitudine
« perscrutemur, multa invenimus in ea quae aedifi-
« cent animas nostras. In ipso siquidem conversionis
« suae initio magnum nobis perfectae obedientiae
« praestat exemplum. Quod quidem Christianis omni-
« bus necessarium, nobis tamen est carius amplecten-

1 Cap. V. « Hic tractatus quamvis Bernardi non sit, est tamen cuiusdam Benedictini, ex Patrum, maxime ex Ambrosii sententiis contextus. » Vide vol. nup. cit. col. 386.

2 I. Reg. XV. 23.

« dum, qui nimirum specialiter ex ipsa professio-
« ne nostra tenemur obedientiae debitores. Sapiens
« nummularius est, immo ipsa sapientia, cui neces-
« se habemus reddere hunc obedientiae nummum :
« nec suscipiet eum, nisi et integer inveniatur et sine
« aliqua falsitate. Nam si discutimus, si diiudicamus,
« et in hoc quidem praecepto obedimus, sed non in
« illo ; fractus est nummus ; non suscipiet eum Chri-
« stus, a quo nimirum tenemur nummi non fracti, sed
« integri debitores. Omnes enim obedientiam simpli-
« pliciter, et sine ulla exceptione promisimus. » Tum, paucis adiectis, interrogat : « Vis audire perfectae
« obedientiae formam? *Vidit Dominus*, ait Evangeli-
« sta, *Petrum et Andream mittentes rete in mare ; et*
« *ait illis : Venite post me, faciam vos fieri piscatores*
« *hominum*. Faciam, inquit, de piscatoribus piscato-
« res, immo praedicatores. At illi continuo, nihil di-
« iudicantes, aut haesitantes, non solliciti unde vive-
« rent, non considerantes quonam modo rudes homi-
« nes et sine litteris praedicatores fieri possent, nihil
« denique interrogantes, sine omni mora *relictis reti-*
« *bus et navi secuti sunt eum.* »

S. Thomas, qui [1] argumentum attulerat ex Regula s. Benedicti desumptum, ex quo posset aliquis fortasse deducere, electionem cadere posse in res humanam virtutem excedentes, respondet iis verbis quae

1 1. 2. q. 13. art. 5.

supra adduximus: « Ad tertium dicendum, quod hoc « ideo dicitur, quia an aliquid sit possibile, subditus « non debet suo iudicio definire: sed in unoquoque iu- « dicio superioris stare. » Unde apparet Angelicum Doctorem hoc velle, ut obedientia subditi sit adeo caeca, ut ne iudicet quidem, utrum id quod exequi iubetur, fieri valeat, nec ne.

Iisdem vestigiis incedit seraphicus pater s. Bonaventura, eademque tradit praecepta, quae s. Bernardus; immo multa ipsius verba usurpat, praesertim in Pharetrae libro II, capitibus XLIII, XLIV. Et in Speculo disciplinae part. I. cap. IV. verba, quae nos paulo ante retulimus, ipse profert: « Quidquid vice Dei « praecipit homo, quod non sit tamen certum displi- « cere Deo, hoc omnino accipiendum est, quasi prae- « cipiat Deus. » Et paulo infra: « Illum autem opti- « mum dixerim obedientiae gradum, cum eo animo « opus iniunctum recipitur, quo et praecipitur: cum « ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis. « Nunquam de maiorum sententia iudicent, quorum « officii est obedire, et implere quae iussa sunt. » Et in eodem tractatu, partis II. cap. III. locum s. Bernardi a nobis nuper allatum totidem verbis affert s. Bonaventura: « Perfecta obedientia est in incipiente maxi- « me indiscreta; id est non discernere quid vel quare « praecipiatur, sed tantum ad hoc niti, ut fideliter et hu- « militer fiat quod a maiore praecipitur. » Et in Regula novitiorum cap. XIII. sanctum Gregorium allegans ait:

« Non licet subditis discernere, sed statim simpliciter « obedire. » Haec est obedientia indiscreta, simplex, sincera, prudenter imprudens, et sapienter insipiens. Rursus in speculo disciplinae [1] ait: « Obedientiae se « totos subiiciant. Sit homo interior totus Deo, sit ex- « terior totus Praelato subiectus. Quidquid Superior « eis vel Praepositus, vel Instructor iniunxerit, quasi « divinitus imperatum, statim ut veri obedientiae fi- « lii devote adimpleant. Quidquid statuerit, inviola- « biliter servent; scienterque aliquid transgredi sacri- « legium putent, et salutare credant quidquid ille prae- « ceperit. » Tandem in eo libro, quo Patriarchae sui Francisci vitam sanctissime actam describit, narrat fuisse quondam Dei famulum interrogatum, quemnam ipse putaret vere esse obedientem; eumque respondisse hoc nomen illi bene congruere, qui se non aliter gereret, ac demortuum corpus (quae similitudo etiam nobis in Constitutionibus nostris proponitur); hoc enim nec propria se movet virtute, nec moventi resistit, nec iudicat, neque alieno iudicio responsat. En eius verba [2]: « Tolle, inquit (s. Franciscus), corpus exa- « nime, et ubi placuerit pone. Videbis non repugnare « motum, non murmurare situm, non reclamare di- « missum. Quod si statuatur in cathedra, non alta « sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo

1 Loc. postremo cit.

2 Legenda s. Francisci, cap. VI.

« pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur mo-
« veatur, non diiudicat, ubi locetur non curat, ut trans-
« mutetur non instat, evectus ad officium solitam tenet
« humilitatem, plus honoratus plus reputat se indi-
« gnum. » Quae cum ita sint, licebit profecto nobis, hominem, qui virtute obedientiae solide affectus sit comparare homini caeco, cum eumdem et s. Franciscus cadaveri, et s. Basilius, ut supra vidimus, instrumento vita destituto comparent.

Magister Umbertus nuper memoratus in epistola [1] qua fratres suos ad perfectam trium votorum Religionis substantialium observantiam cohortatur, hisce verbis obedientiam eis commendat: « Ut autem obedientia
« vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studete ha-
« bere promptam sine dilatione, devotam sine dedi-
« gnatione, voluntariam sine contradictione, simpli-
« cem sine discussione, ordinatam sine deviatione, iu-
« cundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimi-
« tate, universalem sine exceptione, perseverantem
« sine cessatione. » Et cap. VI. subiungit: « Quapro-
« pter, dilectissimi, sitis sicut aurum ductile, et quasi
« virgula flexibilis, quae rectificatur ad libitum arti-
« ficis, vel curvatur. Sitis ut rota volubilis, quae se-
« cundum impetum spiritus movebatur. Sitis ut iu-
« mentum apud Deum, cuius dorso indifferenter quae-

1 Extat in Biblioth. PP. tom. XXV. pag. 653. ed. Lugdun. an. 1677.

« libet imponuntur. » Et cap. IX. addit : « Iam sim-
« plex sit etiam obedientia vestra, fratres, ut iniuncta
« sine discussione facientes, iudicetis de vestro, nec
« in minimo, vos habere. Nam quisquis intentionem
« praecipientis iudicat, bellum intrinsecus parat. Per
« hoc enim quod causas mandatorum, quas ignorat,
« discutit, in laberinthum erroneum se ponit. » In mar-
gine autem huic sententiae respondente adscriptum
reperitur *obedientia caeca :* quia sententiae, quas au-
ctor profert, omnes declarant talem esse oportere obe-
dientiam.

Beatus Laurentius Iustiniani [1] : « Non debet simpli-
« citer obtemperantem magistri imperitia, seu indiscre-
« ta potestas movere : sed meminerit scriptum [2] : *Quia*
« *non est potestas nisi a Deo*, et : *Qui potestati resi-*
« *stit, Dei ordinationi resistit.* Ideo quodcunque fe-
« cerit obediens, operetur simpliciter, et *ex animo...*
« *sicut Deo, et non hominibus* [3]. »

S. Antoninus [4] ait : « Secundus (gradus obedien-
« tiae) est sine discussione obedire. » Tum allegat
textum s. Bernardi iam supra allatum : « Perfecta obe-
« dientia maxime in incipiente est indiscreta, id est,
« non discernit quid vel quare praecipiatur. » Et sub-

1 Lignum vitae, de obedientia, cap. VI.
2 Rom. XIII. 1. 2.
3 Ephes. VI. 6. 7.
4 Part. IV. tit. V. cap. 11. §. 2.

dit: « Sancti Patres multum exercitabant discipulos in « hac simplicitate, ut patet in vitis Patrum. »

Abulensis ad caput XVII. Geneseos (sub fin.) observat: « Verus obediens moras nescit, nec diu in a- « gendo deliberat cum mandatum fuerit: sicut verus « moralis nihil in agendo moratur, postquam consilia- « tus fuerit, ut ait Aristoteles (6. Ethic. cap. de eu- « bulia). »

Ceterum dies me deficeret, si reliquas hac super re persequi ac citare vellem auctoritates. Praesens itaque caput absolvam, sed ita ut coronidem huic imponat fr. Aloisius de Granata, Dominicani Ordinis ornamentum: qui vir et vitae sanctitate et doctrina et scriptis utramque testantibus aetatem nostram mirifice illustravit. Igitur hic vir in opere, cui titulus est Peccatorum ductus [1], libro secundo de virtutis doctrina, capite octavodecimo, in quo de statuum muneribus disseritur, sequentia habet. « Subditus debet intueri, « non veluti hominem, sed veluti Deum, Praelatum « suum; hunc revereri, huius imperia exsequi, atque « ita naviter ac propense exsequi, tanquam si Deus « ipse esset, qui imperaret. Etenim si Dominus, cui « servio, iubet me administro suo morem gerere, dum « huic obtempero, cuinam, quaeso, nisi Domino ipsi « obtempero? Ergo cum a supremo omnium Domino « iubeor obedientiam Praelato deferre, non iam Prae-

1 Guia de pecadores.

« lato proprie obedio, sed Deo. Quod si s. Paulus « praecipit servis, ut heris suis non tanquam homini- « bus, sed tamquam Christo obediant; quanto magis « fas est, ut subditi iussa Praelati obedienter faciant, « cui se obedientiae vinculo manciparunt? Porro huius « obedientiae tres gradus vulgo assignantur. Primus « in eo versatur, ut opere solummodo obediamus: se- « cundus, ut voluntate etiam, non opere tantum obe- « diamus: tertius, ut nec opere solo, nec sola volun- « tate contenti, intellectu insuper obediamus. Nam « sunt nonnulli, qui mandata Superioris re quidem « perficiunt, sed nec voluntatis studio prosequuntur, « nec intelligentiae iudicio comprobant. Alii autem « sunt, quibus in obediendo neque operis exsecutio « deest, neque voluntatis obsequium; deest vero in- « tellectus cum re praecepta consensio. Alii denique « sunt, qui proprium intellectum servituti Christi sub- « iicientes opere, voluntate, intellectu Praelato tam- « quam Deo obsequuntur, illud quod ipse Praelatus « imperat, voluntarie complentes, reverenter appro- « bantes; atque assumere renuentes iudicis partes in « eum, a quo ipsi iudicandi sunt.» Hactenus fr. Aloisius de Granata, qui, ut liquet, breviter simul ac dilucide doctrinam complexus est, quam Societas tenet de obedientia caeca. Vult enim Societas, ut nos in Superiore nostro Deum ipsum agnoscamus; nec umquam rationes imperandi, quas habuit, expendamus, sed intellectu in captivitatem veluti adacto, et, voluntate ad Su-

perioris voluntatem conformata, perfecte pareamus, illud semper autumantes esse optimum, quod nobis imperatur, dummodo nullum in re imperata peccatum esse deprehendatur.

CAPUT XXVII.

Exemplis et rationibus eadem doctrina confirmatur.

Auctoritatibus in superiori capite adductis Sanctorum bene multorum accedunt exempla, qui caecam obedientiam ad unguem observarunt : et quamquam res, quae a Superioribus praecipiebantur, maxime arduae essent, ac difficiles, quaeque non posse fieri viderentur, eas tamen obedientissime et incredibili quadam animi simplicitate fecerunt; adeo, ut nunquam ad examen iudiciumque suum advocarent Superiorum praecepta; nisi forte offensam Dei manifeste continerent. Quae quidem obediendi ratio quantum Deo grata accideret, insignia miracula declarant, quibus hanc obedientiam Deus pluries illustravit, ut ex exemplis iam adducendis patebit.

Ioannes Abbas, quem cognomento Obedientem vocabant, Superioris sui iussu per annum integrum, ac bis diebus singulis, palum arentem humectavit undis a fonte haustis, qui non minus duobus millibus passuum aberat: ad haec adnitebatur omni ope saxum

propellere, quod ne multorum quidem hominum conatus movere potuissent; cumque in solitario loco versaretur, nec ratio adesset oleum parandi, nihilominus vas oleo plenum, quod unum apud se erat, proiecit humi. Quae in obediendo sancta, ut ita dicam, insania tantopere Deo placuit, ut prophetiae charismate Ioannem imbuerit. Quo factum est, ut Imperator Theodosius magnus gravissima quaeque ac periculosissima bella nunquam susciperet, nisi prius Ioannem, tamquam divinum oraculum, consuleret; cumque de acerrimis hostibus ingentes victorias reportasset, eas Ioannis orationibus referret acceptas [1]: ut merito dici heic possit: « Vir obediens loquetur victorias [2]. »

Mutius quidam, ille, qui postea Abbas fuit, Religionem una cum filio suo intraverat. Ad obedientiam hominis, quaenam esset, tentandam, iussus fuit in fluvium proiicere filium. Quod cum sine mora perficere pararet, ab opere implendo detentus fuit. Haud multo post Deus Abbati significavit Mutii obedientiam fuisse sibi gratissimam, eamque cum Abrahami obedientia posse conferri [3].

Maurus, cui parens ac magister suus s. Benedictus imperaverat, ut Placido sodali suo in fluvium forte delapso auxilium ferret, fluvium haud cunctanter ingres-

1 Cassianus de instit. renunt. lib. IV. cap. 23. 26.
2 Prov. XXI. 28. iuxta version. antiq.
3 Cassianus, ibid. cap. 27. 28.

sus est, et per aquarum aequor, tamquam per siccum, inambulans Placidum praesenti nece ereptum sanctissimo parenti Benedicto incolumem restituit, ut scribit s. Gregorius 1. Hoc tantum prodigium Benedictus obedientiae Mauri tribuere fando solebat.

Sancta Theodora, quae virum sub veste monachali mentita fidelissimam Domino servitutem servivit in quodam coenobitarum monasterio, missa olim ab Abbate suo fuerat aquatum ad lacum, quem insidens crocodilus immanissimus accedentes quosque dilaniabat, vorabatque. Licet periculi non ignara Theodora esset, accessit tamen secura, aquam hausit; nec eo contenta belluae dorsum inscendit: deinde in preces conversa a Deo obtinuit, ut bestia disploso ventre interiret, accolisque pax et securitas redderetur, ut vitae scriptor 2 sanctissimae feminae memoriae tradidit.

Memoriae etiam proditum est, alium monachum nomine Elstanum hoc obedientiae specimen dedisse, ut manum immitteret in ollam bulliente aqua aestuantem; nec tamen ullum ne signum quidem exustionis manui obedientis inhaesisse.

Ioannes a nuper memorato diversus oberrantem forte leaenam conspicatus consistere eam iussit: deinde comprehensam ad Abbatem suum pertraxit. Qui cum Ioannem nescio quo mittere vellet, eumque videret de

1 Dialogor. lib. II. cap. 7.

2 Metaphrastes apud Surium, XI. Septembr. c. 8.

leaenae occursu subtimentem; bono animo esto, ait, Ioannes, et si forte in leaenam incideris, feram arripe, catenatamque adduc ad me [1].

Ferunt praeterea alium extitisse monachum, qui, ut Superioris sui voci obtemperaret, in fornacem ardentem se coniecit; nihilominus salvum nulla laesione accepta inde evasisse.

Severus Sulpicius, in dialogo primo (§. XIX.) de virtutibus orientalium monachorum, obedientiae caecae exemplum hisce verbis refert: « Quidam ad eumdem « abbatem recipiendus advenerat; cum prima ei lex « obedientiae poneretur, ac perpetem polliceretur ad « omnia vel extrema patientiam: casu abbas storaci- « nam virgam iampridem aridam manu gerebat; hanc « solo figit, atque illi advenae id operis imponit, ut « tamdiu virgulae aquam irriguam ministraret, do- « nec, quod contra omnem naturam erat, lignum ari- « dum in solo arente viresceret. Subiectus advena du- « rae legis imperio, aquam propriis humeris quotidie « convehebat, quae a Nilo flumine per duo fere mil- « lia petebatur. Iamque emenso anni spatio, labor non « cessabat operantis, et de fructu operis spes esse « non poterat: tamen obedientiae virtus in labore « durabat. Sequens quoque annus vanum laborem

1 In vitis Patrum, part. II. lib. (14) de obedientia. Hoc opus in edit. Lugdun. an. 1502. adscribitur s. Hieronymo; sed Rosweydus (*de vitis Patrum* lib. V.) ipsum tribuit auctori graeco incerto.

« iam affecti fratris eludit. Tertio demum succeden-
« tium temporum labente curriculo, cum neque noctu
« neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga
« floruit. Ego ipse ex illa virgula arbusculam vidi,
« quae hodieque in atrio monasterii ramis virentibus
« quasi in testimonium manens, quantum obedientia
« meruit, et quantum fides possit, ostendit. » Idem Sulpicius ibidem (§. XVIII.) aliud narrat prodigium plane admirandum. Nam nescio cui habitum Religionis petenti praecepit Abbas, ut in succensum furnum insiliret. Insiliit magno animo vir non ignarus, quid obedientiae virtus facere possit. Nec eum sua fides fefellit. Flamma enim ne eum quidem attingere ausa est. S. Bonaventura in tertia parte Stimuli divini amoris (cap. XI.) haec exempla commemorat, eaque, ut par est, summis laudibus prosequitur.

Ex iisdem porro exemplis facile possumus colligere id, quod ante animadverteram; videlicet quantum Deo placeat haec in obediendo simplicitas, cum eam prodigiis adeo inusitatis comprobarit. Et veritati valde proximum esse arbitror, Deum et sanctissimis illis moderatoribus mentem iniecisse ad res tam arduas, periculosas, humanis viribus longe maiores imperandas, et religiosissimis illis subditis animum addidisse ad huiusmodi imperata tam prompte atque alacriter facienda, ut scilicet nos ad tantae ac tam praeclarae obedientiae imitationem provocaremur. Scio equidem pleraque haec exempla admirabilia potius esse, quam

imitabilia ; nec nos debere absque indubio Spiritus Sancti afflatu atque instinctu ea temere aggredi, quae sancti illi homines divinitus aggressi sunt : hoc tamen non vetat, quominus haec exactissimae obedientiae exemplaria ante oculos ponamus, meditemur, suspiciamus, amemus ; atque hinc perfectionem obedientiae addiscamus, fervoremque concipiamus, quo famulatum nostrum supremo omnium Domino probemus, semper ministri sui, tamquam ipsius Domini praecipientis voci auscultantes.

Eadem veritas rationibus, quae sequuntur, confirmatur. Prima est Religionem veluti scholam esse perfectionis, in qua Superior magistri agit partes, discipuli subditus : alius proinde docet, docetur alius. Iam si in communibus etiam artibus ac disciplinis temerarius ac arrogans dicendus esset discipulus, qui regulas, quas tradit magister, viamque docendi, quam sequitur, examinare atque iudicare auderet ; quanto magis ille reprehendendus est, qui in perfectionis palaestra, atque, ut ita dicam, scientiarum omnium scientia magistrum ac iudicem se constitueret ac venditaret magistri atque iudicis sui ; nec nisi in iis parere vellet, quae ipse iudicio suo unice fretus facienda esse censeret? Quocirca praecipit Aristoteles [1] : « Oportet discentem credere. » Et Pythagoras hanc discipulis suis dixerat legem, ut silentium per quinquennium

1 Elenchor. lib. I. cap. 2.

religiose servarent, nec aliud quaestionem quamlibet proponentibus responderent, quam duo haec: « Ipse dixit. »

Secunda ratio est, ad opus aliquod conficiendum duo hominum genera concurrere. Alterum eorum est, qui architecti et operi praefecti dicuntur; alterum eorum, qui opifices et operarii nominantur. Inter utrosque autem hoc intercedit discrimen, quod priores nunquam avertere debent animum a fine, quem student assequi; debent praeterea iis omnibus mentem appellere, quae ad id, quod volunt adipiscendum utilia sint ac necessaria: atque ubi talia esse compererint atque iudicaverint, eorum exsecutionem inferioribus artificibus demandare. Horum vero artificum partes nequaquam sunt examen instituere de imperato opere, hoc est, de mediis, nec de iisdem ferre sententiam, utrum ad finem conducibilia sint, an non; sed utique partes sunt, parere atque impositum opus urgere ceterorum securos. Sit aliquis, exempli causa, equorum magister, qui indocilem manuum subigere et edomare paret. Hic fabrum ad se vocat, frenum illi faciendum committit, et quale, cuiusque formae velit esse, praescribit. Ad haec quid faber? Nihil agit aliud, nisi ut demandatum sibi opus approperet atque conficiat: nec laborat quaerere, utrum cum ratione an perperam fecerit, qui hoc potius modo, quam alio faciendum opus demandavit. Pariter miles, qui signum accipit aut in hostem vadendi, aut in castra se recipiendi, non con-

siderat utrum imperatoris sui iussum victoriae prosit, an obsit; sed absque mora eo se confert, quo vocatur. Scit enim hoc unum esse militis, parere, non vero imperare et iudicare. Atque haec obedientia vocatur caeca, quia miles non oculis suis cernit, num, quod facere iubetur, expediat; sed tamen ita esse censet, eo quod imperator suus expedire iudicaverit. Atque hoc idem enimvero praestandum a nobis est in spirituali nostra militia, in qua et longe maior inest obediendi obligatio, et longe minus errandi periculum.

Tertia ratio in hac consideratione consistit. Credibile ne est herum, quicumque is sit, aequo animo hoc laturum, ut servus, cui defert mandata, rationem examinet mandatorum suorum? Nonne credendum est potius praedictum herum omnino velle, ut famulus suus ne hiscens quidem, nedum obloquens mandata sua sine cunctatione exsequatur? Iam vero cur eadem nos non praestabimus erga supremum Dominum, quae famulus praestat erga terrenum suum dominum? Num dubitamus Deum nos gubernare per ministrum suum, hoc est, per nostrum Superiorem, quem ipsius Dei loco tenemus ac reveremur? Num tutum esse non credimus Superioris imperio in iis obtemperare, quae nullam peccati speciem aperte praeseferunt, propterea quod rationem praecepti non intelligimus?

Quarta ratio sequenti similitudine continetur. Summam inter caput membraque cetera consensionem esse oportere, nemo ignorat. Sed quid magis aequum

est, ut caput membrorum lubidini obsequatur, an ut membra capitis imperio pareant? Res loquitur per se.

Quinta ratio affertur ab Aristotele et s. Thoma [1], qui docent, ad subditum, qua subditus est, obedientiam proprie pertinere, non vero proprie prudentiam. Ex quo conficitur prudentiam proprie non requiri in subdito, dum partes suas, partes videlicet obediendi exercet. Age vero si prudentia propria non est obedientis; si rursus prudentiae proprium est examinare ac iudicare quidquid praecipitur; liquido sequitur obedientem debere non iudicare praecepta Superioris sui, sed iniudicata ea complere. Hinc apparet cur haec obedientia a Sanctis indiscreta nuncupetur. Ratio est, quia discretio sive prudentia non ad subditum, qua subditus est, sed ad Superiorem proprie ac praecise spectat.

CAPUT XXVIII.

Contraria argumenta solvuntur.

Ad primum dicimus, obedientiam, quam s. Thomas indiscretam nominat, longe esse ab ea diversam, quam nos *caecam* vocamus. Siquidem illa in rebus malis et illicitis obedit; et indiscreta audit ob id, quod illicitum ab illicito non discernit, nec inter honestum ac turpe dis-

1 2. 2. q. 47. art. 12.

crimen ponit. Huiusmodi autem obedientia vitiosa est et vituperatione digna. Contra obedientia nostra non ideo caeca nominatur, perinde quasi oculis careat ad intuendum aequum ne sit, an iniquum, licitum an illicitum, quod praecipitur; sed quia audito Superioris imperio, quod vel rectum esse noscit, vel saltem malum esse ignorat, oculos occludit, atque ab examinando, iudicando, curiose inquirendo accepti imperii causas abstinet, oculis freta ac lumine, hoc est prudentia ac intelligentia Superioris sui, qui, quod ipse praecepit, ipse etiam ante discussit disceptavitque. Atque hoc qui facit, non modo rem bonam ac sanctam, sed ad Religionis bonum plane necessariam facit: quam proinde, ut supra vidimus, Religionum omnium Fundatores et magistri summopere laudant, filiisque suis enixe commendant.

Ad secundum argumentum respondentes concedimus et nos, id omne esse vitium, quod virtuti directe opponitur: sed pernegamus illam caecam, de qua loquimur, obedientiam prudentiae virtuti contrariam esse. Quin imo prudentissime facere arbitror subditum, qui in rebus, ubi non inest peccatum, simpliciter obedit, oculos claudit, nec sibi, sed Deo suoque Superiori fidit, qui secum vices ipsius Dei administrat. Hoc modo intelligitur, a nobis obedientia illa, quam caecam vocamus. Nam et nos tamquam criminosam et imprudentissimam damnamus obedientiae illius caecitatem, qua subditus paret in rebus, in quibus aut cul-

pa reapse inest, aut ipse suspicatur inesse. In hac animi constitutus perplexitate antequam de obedientia implenda cogitet, debet in veritatem diligenter inquirere, omnesque dubiae mentis tumultus ac conflictus componere. Quod si post rem serio diuque examinatam veritatis lux adhuc incerta permaneat, aliterque subditus sentiat, aliter Superior; in hoc casu, ut aiunt doctores, subditus deponere dubium sic debet, ut putet, multo magis Superioris sententiae, quam suae fidendum et standum esse. Quin s. Bernardus 1 dicit (dictum refert Umbertus 2) obedientiam supplere defectum discretionis, qua nos homunculi laboramus: « Quia omnino rara, inquit, ista avis est (discretio) « in terris huius discretionis locum in vobis, fratres, « suppleat virtus obedientiae, ut nihil plus, nihil mi« nus, nihil aliter quam imperatum sit, faciatis. »

Ad tertium argumentum respondemus, voluntatem Dei esse solam, cui omnino et in omnibus gerendus mos est; sola enim rectarum omnium voluntatum certissima regula est atque mensura. Aliorum autem Superiorum voluntatibus eatenus esse obtemperandum, quatenus cum divina voluntate consentiant et congruant. Atque ut hanc congruentiam dispicere valeamus, profecto opus est prudentia, ut dicitur in argumento. Verum nos de obedientia caeca loquentes tam-

1 In Circumcis. serm. III. in fin.

2 Specul. Religios. sive de erud. eor., lib. V. part. I. c. 1.

quam istius fundamentum ponimus hanc prudentiam, cum ponamus omnem a re praecepta culpam abesse oportere. Quae si absit revera, affirmo longe prudentius ac cautius agere, qui quod a Superiore praecipitur, non expendit, nec iudicat, sed implet cum simplicitate, cumque illa obedientia, quam propterea caecam apposito vocabulo nominamus, quam qui falsissima ac temeraria discretione usus iudicem se facit Superioris sui, nihil pensi habens et quod Deus iubet, et Sancti caelesti sapientia referti docent, ut supra dictum est.

Ad quartum respondemus, s. Bernardum iure ac merito coarguisse Adamum monachum, qui Arnoldo Abbati suo obedierat; in re enim evidenter mala obedierat; quippe qui illa sua importunissima obedientia voluntati Dei restiterat, aliis Abbatibus, qui auctoritate Arnoldo praestabant, obedientiam denegaverat, voti promissionem fregerat, pacem caritatemque fratrum turbaverat, qui eius abscessu haud leve scandalum passi erant, ut videre licet in epistolis IV. V. VI. VII: in qua postrema ceteris prolixiore s. Bernardus Adamum ipsum compellans, qui tam perperam obedierat, sic ait (§. 3.): « Ex his ergo liquido apparet, « mala imperantibus non esse parendum, praesertim « dum pravis obtemperans imperiis, in quo homini « videris obediens, Deo plane, qui omne quod per- « peram agitur interdixit, inobedientem te exhibes. « Valde autem perversum est profiteri te obedientem, « in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est,

« divinam propter humanam solvere obedientiam. Quid « enim? Quod iubet homo, prohibet Deus: et ego au- « diam hominem surdus Deo? Non sic Apostoli. Cla- « mant quippe dicentes 1 : *Melius est obedire Deo,* « *quam hominibus.* » Et paulo infra: « Igitur facere ma- « lum, quolibet etiam iubente, constat non esse obe- « dientiam, sed potius inobedientiam. » Huc usque s. Bernardus: pergit deinde enucleatius hanc materiam exponere, et, quid in hac re sentiat, uberius explicare. Quam melliflui Doctoris de obedientiae perfectione sententiam qui attente consideret, facile concludet, eam exemplar quoddam fuisse, ad quod Constitutiones nostrae, quae de obedientia agunt, conformatae sunt: siquidem eae prudentiam simul ac simplicitatem in obediendo servare nobis edicunt; prudentiam quidem, cum monent in iis obediendum non esse, quae peccatum patenter implicant; simplicitatem vero, cum vetant ad examen, et tamquam in ius advocari Superioris praecepta, quae nihil mali praeseferunt.

Ad quintum respondemus, subditi, qui haeret dubitatque, num quod facere iubetur, peccatum sit, nec ne, istas esse partes, ut Superiori dubitationem suam proponat, dubitandique rationes afferat; et si haec, prout sunt exposita, Superiori videantur futilia esse firmoque, ut ita dicam, fundamento destitui, tunc subditum

1 Act. V. 29.

debere etiam non modo posse quiescere, fidem Superiori suo praestare, omnes animi dubietates ponere, depulsoque, si quem habet, errandi metu, obtemperare. Sed audiamus s. Bernardum divino quodam eloquio haec confirmantem 1: « Sed homines, inquis, fa-
« cile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipien-
« da, et in praecipienda fallere possunt. Sed enim
« quid hoc refert tua, cui conscius non es? praeser-
« tim cum teneas de Scripturis 2, quia *Labia sacer-*
« *dotis custodiunt scientiam, et legem ex ore eius re-*
« *quirunt: quia angelus Domini exercituum est.* Re-
« quirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica
« ulla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta proba-
« baverit (de huiusmodi quippe nec praeceptor expe-
« ctandus, nec prohibitor auscultandus est): sed quod
« ita latere aut obscurum esse cognoscitur, ut in du-
« bium venire possit, utrumnam Deus sic, an aliter
« forte velit, si non de labiis custodientibus scientiam,
« et ex ore Angeli Domini exercituum certum red-
« datur. A quo denique divina potius consilia requi-
« rentur, quam ab illo, cui credita est dispensatio my-
« steriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo ha-
« bemus, tamquam Deum in his, quae aperte non
« sunt contra Deum, audire debemus. » Quo in loco audisti vocari Superiorem a s. Bernardo angelum Dei exercituum, sacerdotem, cuius labia scien-

1 De praecept. et dispens. cap. IX.
2 Malach. II. 7.

tiam custodiunt, vicarium Dei suorumque dispensatorem mysteriorum. Idem sentit s. Augustinus [1] (et refertur can. *Quid culpatur,* caus. XXIII. q. 1.) in illis verbis : « Quod sibi iubetur, vel non esse contra « Dei praeceptum, certum est, vel utrum sit, certum « non est. » Et probant Navarrus [2], s. Bonaventura [3], Vasquez [4] aliique [5].

Ad sextum respondemus, non posse moraliter, ut aiunt, contingere id quod in argumento ponitur. Nam si aliquis Superior adeo scelestus inveniretur, qui pestilentem doctrinam serere tentaret, multi sine dubio docti ac sancti homines, quibus religiosae domus abundare solent, coorirentur, qui eum ab impio ausu coercerent. Sed posito etiam, quod id contingere possit, et aliquando contingat, non ideo tamen, si res in universum spectetur, expedit, ut subditi ab illa obedientiae simplicitate, de qua loquimur, deterreantur. Quemadmodum nec deterrendi sunt fideles ab obedientia legitimis Praelatis praestanda, propterea quod

1 Contra Faustum, lib. XXII. cap. 75.

2 In tres de poenit. dist. posteriores, dist. 7. cap. *Si quis autem,* num. 89.

3 In 2.[m] dist. XXXIX. art. 1. quaest. 3. in fin.

4 In 1. 2. disp. LXVI. cap. 9.

5 Paludanus q. 4. num. 7; Sylvester verb. *Bellum* 3. q. 1. concl. 4. et verb. *Obedientia* q. 2; Summ. Angel. verb. *Obedientia,* n. 6 ; Victoria relect. de iure belli num. 30. et 31; Corduba, lib. 3. q. 8.

accidit subinde (et facilius quam in Religionibus accidere potest), ut aliquis parochus vel Episcopus ex pastore conversus in lupum oves suas dilaniet, pestiferaeque doctrinae pabulo enecet. Nàm si nos concionando populos hortaremur, ne Praelatis suis obedirent, nisi prius eorum praecepta doctrinamque discussissent, expendissentque; quid inde consequeretur? Illud profecto, ut populi consilium nostrum sectantes multo maiora Ecclesiae Dei crearent pericula ac damna, quam si modeste ac simpliciter pastoribus suis parerent. Cuius rei nimium heu! verax ac locuples testis est Alamannia aliaeque provinciae, in quibus tam ample lateque haeresum monstra succrevere eo, quod populi regionum illarum fidem obedientiamque, quam Praelatis suis debebant, reddere abnuerunt.

Ad septimum respondemus, hominibus vere Religiosis, et de se non superbe sentientibus molestum non esse, simpliciter, hoc est inexplorato Superioris mandato, obedire; sed potius iucundum accidere ob pacem gaudiumque, quae verum obedientem naturali quadam consecutione excipiunt. Nec verum est obedientiae genus intellectus nostri libertati pugnare. Intellectus enim in re non satis perspicua, statuere hoc potest: tutum non esse sibi fidere, Deumque Superioris mentem clariore luce illustrare. Et quamvis tempora inversa sint, non tamen adeo sunt inversa, ut Deus multos fidelissimosque famulos non numeret in omnibus Religionibus, utque perfectiores proponen-

di non sint in exemplum remissioribus. Quos quidem si proposita exempla imitari pigeat, discant hi saltem, quid sibi faciendum esset; discant quam longe aberrent ab illa perfectione, in quam tendere debent; discant denique pulchritudinem virtutis vita sociorum moribusque expressam pluris aestimare.

Ita aetatibus omnibus hanc obedientiae prefectionem nos docuere Sancti universi, quorum agmen ducunt sancti Antonius et Macarius; his subierunt sancti Basilius, Hieronymus, Augustinus, Cassianus, Climacus; quos exceperunt deinceps sancti Benedictus, Gregorius, Caesarius, et alii; interiectisque saeculis aliquot, prodierunt sancti Bernardus, Franciscus, Dominicus, Bonaventura, fr. Humbertus; propius vero aetatem nostram floruerunt sancti Vincentius Ferreri, Antoninus, aliique.

CAPUT XXIX.

Cur Superiores in Societate creentur nutu Praepositi Generalis.

Ne ratio quidem, qua Superiores in Societate eliguntur, probatur nonnullis. Dicunt enim in aliis Religionibus Superiores eligi eorum suffragiis, qui ab iis ipsis, quos elegerunt, gubernandi sunt. Sic Priores, Guardiani, Ministri, Commendatores, Provinciales, Generales eliguntur aut in conventibus, aut in Capi-

tulis provincialibus seu generalibus, aut illorum suffragiis, quibus in magistratuum creatione ius suffragii competit, prout Religionis cuiuslibet consuetudo fert et institutio. Ita praecepit s. Gregorius Papa in quodam Concilio Romano [1], et habet Polycarpus [2], Anselmus [3], Ivo [4]: idque refert Gratianus [5] et Iustinianus [6]. Sola Societas aliam diversamque sibi viam tenendam esse censuit. Nam si Praepositum Generalem excipias, qui suffragiis secretis creatur in generali Congregatione, quemadmodum in aliis Religionibus fieri solet, Superiores reliqui, Rectores, puta, Praepositi, Provinciales, Visitatores a Generali solo creantur, atque ita, ut quos Superiores constituit, eos, si opus sit, in ordinem redigere possit, ut constat ex Constitutionibus Societatis (part. IX. cap. 3.). Verum haec agendi ratio minus caute ac tute constituta esse videtur.

Primum, quia singularis est, nova, Religionum aliarum usibus contraria. Nam ex iure communi electio

1 In Append. ad s. Gregor. epistolas, num. IV. (ed. maur.); et Reg. epist. lib. VIII. ep. 15. *al.* lib. VII. indict. I. ep. 18. Mariniano episc. Ravennati.

2 Lib. III. tit. 15.

3 Lib. V. cap. 58.

4 Decret. part. VII. cap. 11.

5 Can. *Quam sit necessarium,* et can. *Abbatem cuilibet,* caus. XVIII. q. 2.

6 Authent. *de sanctiss. Episcopis,* collat. IX. cap. 34.

Abbatis ad Conventum suum pertinet 1. Secundo, quia videtur admodum difficile esse, Generalem posse certo eligere, qui ad Societatem regendam prudentiores sint ac dexteriores. Nam cum ipse sit unus, et Romae, ut plurimum, consistere cogatur, quî fieri potest, ut tot, et per tam multa et disiunctissima loca diffusas personas dignoscat; sciatque praeterea, quaenam earum praefici mereantur ac praeesse aliis? Tertio, quia Generalis in Superioribus legendis nullam vel certiorem, tutioremve regulam sequi potest, quam iudicia litterasque merita sociorum testantes, quae ad se perscribuntur a Provincialibus, aliisque intermediis Superioribus. Sed hi homines sunt, qui proinde decipi et decipere possunt; ad haec studere amicis suis, iis autem, qui amici non sunt, obtrectare, tametsi digniores regiminis fortasse sint. Quarto loco, quia videtur nimis rigide statutum esse, ut ad Collegium, Domum, Provinciam administrandam mittatur Rector, Praepositus, Provincialis, qui et a se regendos ignorent, et vicissim ab ipsis ignorentur. Experientia enim constat ignotos non ita adamari, ut cognitos: siquidem amor cognitione et victus consuetudine gignitur atque alitur. Praeterea antequam subditorum ingenia abditaque cordium comperta habeant, rei domesticae statum, civitatis mores, aliaque scitu necessaria addiscant, multa

1 Can. fin. caus. XVI. q. ult.; cap. 1. de electione; cap. *Cum dilectus,* de consuetud.

faciunt, quae postea infecta esse vellent. Quibus incommodis occurritur electione, quae per suffragia conficitur. Plerumque enim hoc modo persona eligitur, quae domum seu provinciam a se regendam probe noscit, nec minus ab ea noscitur; statimque ab inito magistratu potest tuto munere suo defungi, cum res personasque, quae eius regimini commissae sunt, bene perspectas habeat.

Ut satis obiectationibus istis faciamus, tria adnotanda sunt. Primum, hanc Societatis consuetudinem, quae nova ac insolens dicitur, novam non esse, sed antiquitus valde usurpatam. Etenim monasteria et Abbates quondam iurisdictioni suberant Episcoporum; a quibus proinde Abbates aliique monasteriorum Praelati prodebantur, ut e Concilio Toletano IV (cap. LI.) constat; nec prodebantur solum, sed officio etiam privabantur, si in eo gerendo negligentes ineptique fuisse comperirentur; ut e Concilio Triburiensi apparet: qui Concilii locus fertur a Gratiano [1], ab Ivone [2], et a Burchardo [3]. Idem invenies in Regula s. Benedicti (cap. LXIV.) et refertur can. *In ordinatione*, dist. LXI. Verum cum Episcopi non recte interdum hac potestate uterentur, ac pro lubidine non pro merito dignitate augerent vel privarent, quos vellent; nec in electioni-

1 Can. *Si quis Abbas*, caus. XVIII. q. 2.
2 Decr. part. VII. cap. 114.
3 Lib. VIII. cap. 96.

bus bonum, ut decebat, monasterii spectarent, sed studiis suis obsecundarent, ut idem Concilium Toletanum IV conqueritur; decretum est, ut Episcopis haec potestas adimeretur, ac monasterio cuivis copia fieret Praelatum optare sibi, quem magis idoneum iudicarent. Quamquam sunt, qui opinentur, freti videlicet antiquiorum textuum auctoritate, Episcopos non prodidisse Abbates, nisi forte quando monachi electores officio suo defuerunt; moremque ordinarium fuisse, ut monachi Abbatem quidem sibi eligerent, Episcopus vero electionem ratam haberet, ut eruitur ex canone praedicto *In ordinatione*. Secundum, quod considerare debemus, est, nullam regiminis vel electionis speciem extare, sive ad tempus, sive perpetua sit, quae vitiis suis non laboret; ex his vero minora maioribus praeoptanda esse: praeterea, si recti aestimatores esse velimus, conferenda simul esse commoda speciei unius cum alterius commodis, et item incommoda cum incommodis, non vero unius utilitates et bona cum malis alterius; hoc enim postremum in errorem deceptionemque inducere animum solet. Tertia denique res advertenda haec est; quod, si hoc negotium non totum simul et summatim obeamus, sed particulatim tractemus et diligentius introspiciamus, in hanc procul dubio sententiam ibimus, pro conservatione saltem Societatis nostrae, de qua una sermo nobis est (nam de aliis Religionibus loqui nec tempus suppetit, nec voluntas): longe satius esse, ut forma gubernationis in

ea servetur, quae hactenus servata est, utque Generalis Superiores alios nominet, eosque sibi obsequentes habeat, quam ut ipsi subditorum suffragiis eligantur. Quod quidem rationes sequentes evincunt.

Et primum pro certo nos habemus, Deum Dominum nostrum, qui Societatem instituit, et beatum Ignatium Parentem nostrum ad eam condendam optavit, huic formam veluti descripsisse, qua vellet, ut Societas eadem et Divinae Maiestati famularetur, et suae conservationi consuleret, sicut moniti quarti initio dictum est. Aliter enim quonam pacto fieri potuisset, ut homo militaris ac illiteratus opus adeo admirabile excogitaret, conficeretque Institutum tam novum, tamque cum aliis Religionibus consimile, si ad substantiam attendas, diversum, si accidentia spectes? Nobis vero, qui diu beati Parentis consuetudine usi sumus, certo constat Dominum nostrum ea saltem, quae in Instituto nostro potissima sunt, ei detexisse. Et quoniam inter praecipuas partes non in ultimis ponenda est Superiorum electio; pro indubio habemus, hanc etiam a Deo manifestatam fuisse famulo suo Ignatio: quam proinde maxima diligentia tueri ac custodire debemus, tamquam thesaurum manu Altissimi traditum nobis atque concreditum.

Secundo, scimus electiones eo more, quo in Societate peraguntur, approbatas et constitutas nominatim fuisse a Sede Apostolica, in Bullis Confirmationis So-

cietatis a Paulo III et Iulio item III editis [1], in quibus haec leguntur: « Proprii cuiusque gradus iudicium, « et officiorum discretio ac distributio tota sit in ma- « nu Praepositis Generalis. » Scimus insuper sacrum Concilium Tridentinum [2], salutarem ac piam censuisse hanc electionum rationem: cum enim totum Institutum approbet ac laudet, ex iuris regula CXIV, quae dicit: *In toto et pars continetur*, imo ex sensu ipso communi sequitur, ut idem Concilium potiores partes approbet ac laudet. Novissime autem Sanctitas Gregorii XIV in Constitutione [3], quam dedit anno MDXCI, IV Calend. Iulias in confirmationem Instituti Societatis, sic ait: « Electio vero Superiorum, tam Pro- « vincialium, et Visitatorum, quam quorumcumque « localium, tota sit penes Praepositum Generalem « iuxta Constitutiones easdem, prout penes ipsum es- « se, et conservari districte praecipimus, cum pote- « state illorum facultatem revocandi, restringendi, et « etiam augendi. »

Tertio advertimus quintum ac sexagesimum annum a Societate confirmata iam decurrere: quo non exigui temporis spatio haec Superiores nominandi potestas ad unum Generalem redacta constanter valuit: nec tamen unquam mira pax et tranquillitas inter socios

1 *Regimini; Exposcit debitum*, §. 4.
2 Sess. XXV. cap. 16. de Regular.
3 *Ecclesiae Catholicae*, §. 8.

esse destitit. Quin etiam Deus ac Dominus noster iis usus est ad ea inter infideles, haereticos, catholicos patranda, quae nemo ignorat, fructu atque incremento divinae gloriae haudquaquam spernendo. Igitur quaenam iusta ratio potest afferri, quare id diffingatur, quod Dei afflatu ac monitu statutum est, ab Apostolica Sede confirmatum, a sancto Concilio laudatum, ingentique fructu comprobatum, quem praedicta gubernationis atque electionis forma toti Ecclesiae peperit?

Notamus quarto, conservationi et prosperitati Religionum nihil obesse magis, quam ambitionem, et praestandi ceteris insanam cupiditatem, ut uno ore docent magistri ac fundatores omnes earumdem Religionum, atque in primis s. Basilius [1], et s. Bernardus, qui sic dicit [2]: « Ambitio, subtile malum, secretum « virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, « livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, « virtutum aerugo, tinea sanctitatis, excaecatrix cor- « dium. » Et alibi [3]: « Certe ambitio cum prorumpit « in impudentiam efficaciam perdit: et cum improbus « affectus se aperit, perit effectus. Ambitio, mater hy- « pocrisis, latebras amat et tenebras, lucis impatiens « est. Ambitio, spurcum vitium, in imo iacet: videt « tamen omne sublime, se videri ipsa refugit. Nec mi-

1 Constit. monast. cap. IX. et X. *al.* 10. et 11.
2 In psalm. *Qui habitat*, serm. 6. §. 4.
3 Epist. CXXVI. §. 5.

« rum. Optato namque necesse est careat, nisi caveat « arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus « apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. » Itaque ut tanto malo iter obstruatur, professi nostri voto se peculiari obstringunt, petituros numquam sive directe, seu per ambages in Societate honores, indicaturos etiam, si quem scirent eos appetere. Cumque maximi momenti res sit pestilentem hanc ambitionis plantam stirpitus e Religionibus avellere, nostra in Superioribus eligendis consuetudo efficacissime id praestat. Nam in nostris electionibus ne locus quidem esse potest conventionibus, promissis, largitionibus, aliisque ambitionis malis artibus, quae quidem non semper absunt a comitiis, in quibus Superiores per suffragia creantur. Ad haec cum ad unius solummodo voluntatem pertineat deferre honores, isque sit, quem omnium optimum tota Religio iudicavit, vix dubitationi relinquitur locus, quin talis vir homines velit eligere, qui in aliis regendis maximum Religionis bonum procurent.

Quinto loco, complures sancti homines asserunt, et magistra rerum experientia docet, multa contra fas admitti in electionibus, quae suffragiis conficiuntur. Haec s. Basilius [1] persequitur. Sed audi quid de his sentiat s. Ioannes Chrysostomus [2]: « Ito iam, ac publi- « ca festa spectato, ubi maxime ad dignitates Ecclesia-

1 Loc. nuper cit. cap. IX. *al.* 10.

2 De Sacerdotio, lib. III. §. 15.

« sticas electiones fieri mos est: ac tam multis sacer-
« dotem criminationibus impeti videbis, quanta est
« subditorum turba. Omnes enim, penes quos est hunc
« honorem conferre, in multas tunc scinduntur partes,
« ac neque mutuo, neque cum eo qui episcopatum sor-
« titus est, presbyterorum coetum consentire videas:
« sed unusquisque a suis partibus stat, alius hunc,
« alius illum eligens. Cuius rei causa haec est, quod
« non idem omnes respiciant, quod respicere debe-
« bant, nempe animi virtutem, sed aliae sunt huius
« conciliandi honoris causae: nimirum alius dicit: Hic
« eligatur, quia claro genere ortus; alius, quod opibus
« abundet, nec egeat alimentis ex Ecclesiae proventu
« quaesitis; alius quod ab adversariis ad nos transfu-
« gerit; ille sibi genere propinquum cooptat; hic adu-
« lantem sibi aliis vult anteponi; in eum vero qui sit
« idoneus, nemo vult respicere, neque animi dotes
« explorare. » Totum hoc est Chrysostomi, qui etiam consentientem habet s. Hieronymum [1]: et refertur can. *Moyses amicus Dei*, caus. VIII. q. 1. Nec minus commemorandus est s. Augustinus, qui scribit [2]: « Scio
« post obitus Episcoporum, per ambitiosos aut con-
« tentiosos solere Ecclesias perturbari; et quod saepe
« expertus sum et dolui, debeo quantum ad me atti-
« net, ne contingat, huic prospicere civitati. » Na-

1 In epist. ad Titum, cap. I. 5.
2 Epist. CCXIII. *al.* 110.

varrus etiam de hac materia disserit 1. Nos in Religione nostra experti scire non possumus, sed utique possunt Religiones aliae, apud quas hoc electionum genus valet, quid in earumdem confectione usuvenire soleat. Non equidem arbitror, tanta haec mala proficisci ex ipsa electionis forma, quae cum universalis sit, ed apud omnes fere Religiones recepta, bona ac sancta putanda est; sed certe proficisci ab hominum infirmitate ac nequitia, quae rebus per se bonis ad improba consilia perficienda abutitur. Scilicet nos misera Adami soboles, illa imperandi cupiditate illecti, quae in animis nostris altissime insidet, invertimus ac perturbamus res optime institutas, rectissimeque praeceptas.

Quis autem fando aequaverit pericula, quae comitantur atque sequuntur electiones, quae per suffragia fiunt? Et sane quam facile ac saepe solent in his se immiscere studia faventium, dissensiones, schismata, obtrectationes, calumniae, admurmurationes, munerum prava effusio, negotiationes, pacta illicita, simoniaca conventa? Ut praeteream occasionem, quae electis Superioribus obiicitur, studendi gratiamque iis persolvendi, a quibus punctum tulere: et contra eos deprimendi aut etiam expellendi, quos adversarios aut reapse passi sunt, aut tales fuisse suspicantur. Quia autem pro merito conquerar mortifera vulnera religio-

1 De Regular. comm. III. in cap. *Nullam*, 18. q. 2.

sae disciplinae impressa, dum Superior in erratis eorum connivet, effrenas cupiditates explet, iniquis postulationibus indulget, quorum opera ad honoris culmen evectus est, atque in eo sperat se perpetuo iisdem adiuvantibus permansurum esse? Nam ut scite admodum observavit s. Gregorius [1] (et refertur ab Ivone [2]; referturque item can. *Illud quidem* caus. VIII. q. 2.): « Si quorumdam patrocinio quisquam fue-
« rit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordina-
« tus, obedire, reverentia exigente, compellitur: sic-
« que fit ut et res illius minuantur Ecclesiae, et ordo
« ecclesiasticus non servetur. » Audiendus etiam est s. Basilius, qui admirabilia haec habet [3]: « Invidet
« qui eiusmodi est (cupidus fratribus praeficiendi) vi-
« ris claris, eosque calumniatur: imo etiam plerum-
« que eorum mortem exoptabit, ut hominibus, qui ad
« opus idonei sunt, deficientibus, suffragia ad se de-
« volvantur. Itidem penes quos est sortitio electioque,
« iis adulabitur, ob idque habebit animum servilem: at
« vero adversus inferiores, si adversentur, superbe ac
« insolenter invehitur. Dolos igitur consuet, turbis ac
« suspicionibus innumeris futurus est obnoxius, animi-
« que dissolvet tranquillitatem, praetereaque Deus pa-
« cis fugabitur, utpote cui locus non sit quiescendi. »

1 Reg. epist. lib. III. *al.* II. ep. 22.
2 Decr. part. V. cap. 129.
3 Constit. monast. cap. IX. *al.* 10.

Ita s. Basilius. Alia supersedeo recensere pericula ac damna, quae homines gnari ac pii deprehendunt in hoc genere electionis, quae per multorum suffragia initur. Nam, ut dixi, singulari Dei beneficio electiones nostrae ita constitutae sunt, ut a periculo consimilia patrandi immunes nos faciant. Verum cui placet ea noscere, Navarrum adeat; qui auctor summopere commendat usum in hac re Societatis: nam hoc modo, ait ipse, multa ac perniciosissima mala praecaventur, quae in electionum genere a nostris diverso quotidie complorare cogimur. Praeter Navarrum, alii sunt viri sapientissimi tum religiosis votis illigati, tum soluti, quibus forma electionum nostrarum visa est tam concinne ac prudenter excogitata, ut egomet audierim dicentes, eam non a beato Ignatio inventam, sed ei divinitus datam atque oblatam fuisse. Hinc est, quod Religiones nonnullae iam adimere coepere conventibus electiones Superiorum, et iudicio Definitorum, quos Capitulum nominaret, committere.

Sexto, historiarum monumentis docemur, in more quondam hoc positum fuisse, ut reges populorum suffragiis crearentur. Sic scribit Covarruvias [1]; sic legitur in Conciliis Toletanis V. (cap. III.), VIII. (cap. X.) ac XII. (cap. I.); sic tandem testatur Cicero [2]. Sed temporibus nostris Reges haereditariae successionis

1 Practicar. quaestion. cap. I. concl. 1. et 4.
2 De legibus, lib. III. cap. 3. et 4.

iure plerumque instituuntur; existimantibus videlicet reipublicae rectoribus longe minus periculosum esse, negotium tam magnum tantique momenti naturae transigendum committere, quam hominum arbitrio. Et quamquam huiusmodi Regum institutio hoc habeat incommodi, ut haud raro habenas regni capessat inexpertus ineptusque adolescens, imo etiam femina ineptior quoque, ut fere esse solet, ad regni administrationem; tamen iidem reipubblicae curatores hoc eligere ac perferre, tamquam malum longe inferius, maluerunt, quam regnum in extremam interitus aleam adducere, quemadmodum in Regum electione contraria studia voluntatesque in diversa tendentes saepe adduxerunt. Atque ob eamdem causam cum civitas, collegium, commune aliquod procuratorem rectoremque sibi volunt adsciscere, saepissime eorum nomina, qui publicae rei administrationem suscipere debent, sortis arbitrio credunt, tum ut turbae tumultusque vitentur, tum ut intelligatur fidendum magis esse fortunae, quam hominum affectionibus fortunam ipsam caecitate vincentibus. Nec in civili solum gubernatione, sed in ecclesiastica etiam forma electionum mutationem subiit. Scimus enim Episcopos fuisse solitos olim a clero eligi, et ab ea plerumque cleri parte vel ordine, ad quem ipsi pertinebant. Nunc vero in regnis et provinciis bene multis immutatam magna ex parte videmus pristinam electionum rationem. Non equidem nego, hoc principes voluisse, ut potestatem

suam amplificarent. Affirmo tamen numquam fortasse id evicturos fuisse, nisi prisca electionum forma tam pestiferos fructus progenuisset, quolibet Electorum propria commoda, non divinam gloriam quaerente, ut ait Stephanus Papa can. *Nosse tuam*, dist. LXIII. Quare constans apud omnes sanos opinio fuit, praestare, ut electiones a civili principe, sed minime cupido, pendeant, quam a multis electoribus clericis, sed cupidis, et suas amicorumque suorum, non publicas utilitates spectantibus.

Septimo, Societas sua electionum forma non modo damna evitat, quae paulo ante memoravimus, sed plurima bona consequitur utilia partim, partim necessaria. Etenim hoc modo Praepositi Generalis supremae auctoritati melius consulitur. Quae quidem supremi capitis auctoritas cum in alia quavis, tum maxime in gubernatione Societatis necessaria est, ut monent Constitutiones nostrae. Sic enim fit, ut et Superiores omnes a Generali, tamquam a capite membra, dependeant, et ipse pro arbitrio imperia dare vel adimere possit. Melius etiam prospicitur disciplinae religiosae, et in gubernando moderationi, curas in alios omnes Superiores Generali intendente, atque illud etiam atque etiam urgente, ut gubernatio suavis quidem sit, sed minime remissa; fortis, non vero rigida; utque Superiores nec nimia facilitate, nec immodica asperitate aequitatis fines excedant. Insuper uniformitas in electionibus servatur: quae certe deesset, si per suffra-

gia electiones fierent. Nam in Indicis regionibus, ubi nostri degunt, alii ab aliis disiunctissimi, non sine magna, ut patet, difficultate, laboribus, impensis, animarum sibi concreditarum detrimento in comitia ad Superiores eligendos congregari possent. Aliter igitur quam per suffragia expedienda res esset. Quod si hic, ubi vivimus, alius valeret electionum ritus, alius in Indiis, desideraretur profecto uniformitas, ac proinde illa apud nostros coniunctionis et caritatis copula, quae ab unitate proficiscitur.

Huc accedit alia summi momenti utilitas, quae facile patebit considerantibus ex una parte, Deum ac Dominum nostrum Societatem calamitosissimis hisce temporibus instituisse, ut Ecclesiae suae opitularetur in tot tamque remotis provinciis, inter gentes et moribus diversissimas et immanitate barbaras, obeundo vero ministeria difficilia admodum, praecelsa, varia: ex altera nos istius Societatis homines, si Instituti nostri spiritu movemur ac regimur, paratos semper esse oportere in quamlibet mundi plagam convolare, quam nobis aut Pontificum Sanctitas, aut Praepositus Generalis designarit. Haec cum ita sint, necessitas exoriri posset aliquando mittendi ipsos Superiores in illas expeditiones. Iam si isti per suffragia eligendi essent, haud mediocris sane molestia esset, si mitterentur, et rursus opus esset, ut Electores in comitia ire ad novum Superiorem creandum cogerentur ; si vero

non mitterentur, non leve inde fortasse proveniret damnum.

Praeterea Societas aliquas habet provincias novas et a pueritia, ut ita dicam, nondum egressas: socii vero ex iis provinciis conscripti nequeunt certe Religionis nostrae consuetudines, nec Instituti nostri leges ita tenere, ut eorum etiam probatissimi esse possint Superiores idonei. Igitur ex cultioribus adultioribusque provinciis, saltem in hisce principiis, eo mittendi sunt viri, qui purissimo Societatis spiritu rudes adhuc inexpertosque informent. Verum quî fieri hoc posset, si electiones per collegiorum aut provinciarum suffragia conficerentur? Nam in iis qui legitime eligi possent, non essent apti ob rationes modo allatas; qui vero essent, eligi nequirent, utpote ad alienam provinciam pertinentes. Unde fieret, ut ea collegia et provinciae summo illo beneficio privarentur, quo nunc gaudent; propterea quod per illud electionum genus a Societate adscitum Generalis noster omnium provinciarum necessitatibus prospicit, efficitque, ut provincia altera in alterius auxilium accurrat, tamquam vera, et amice coniurantia eiusdem corporis membra, ad maiorem Divinae Maiestatis gloriam, sanctaeque Ecclesiae incrementum. Quae duo Societatis finem constituunt.

CAPUT XXX.

Obiecta solvuntur.

Restat, ut consuetudinem nostram ab oppositarum rationum telis protegamus. Et ad primam dicimus, rationem electionum nostrarum non modo non esse novam, sed vetustiorem etiam illa, quae nunc in aliis Religionibus viget. Nam olim, sicuti dictum est, Episcopi Abbates nominabant, eosque, si opus esset, loco movebant. Quod si hanc electionis formam illa excepit, quae modo in plerisque Ordinibus tenet, Episcopi aliquot, ut diximus, causa fuere, qui potestate, quam obtinebant, non recte utebantur. Et quoniam nihil in eo absonum reperiebatur, quod Episcopus, qui nec monachus erat, nec ullo cum monachis speciali vinculo copulatus, Abbatem ipsis praeficeret ; multo minus absonum erit Generalem religiosi Ordinis, qui non solum unus est huiusce corporis, sed est etiam Parens et Princeps in Generali Congregatione suffragiis eiusdem Ordinis electus, Superiorem moderatoremque filiis ac subditis suis destinare : praesertim cum nihil decernat ante, quam gravissimorum Patrum, qui in provinciis degunt, sententiam audierit, negotiumque cum suis Assistentibus communicaverit. Sic enim, in Societate saltem, fieri solet. Atque hanc eamdem gubernationis formam aut in totum aut ma-

gna ex parte Franciscanos sodales tenuisse in primordiis saltem sui Ordinis, ex eo non temere coniicitur, quod in eorum annalibus, ubi sermo occurrit de fratre Elia, legimus, quod Minister Generalis primis illis temporibus Ministros Provinciales creabat, eosque, si ratio postularet, ab officio amovebat; item Ministri libere instituebant Custodes; Custodes Guardianos. Sed posito etiam quod in electionum materia Societas a consuetudine discedat aliarum Religionum, non ideo tamen reprehendi iure potest. Nam cum et in aliis rebus permultis, non in hac solummodo differat Societas a ceteris Religionibus; haec differentia Sanctae et Apostolicae Sedi placuit, quae eam approbavit; placuit Deo, qui eamdem instituit, quique pro diversa temporum necessitate diversas Religiones Institutaque in Ecclesiae suae praesidium submittit. Et quoniam in electionibus Regum, Episcoporum, Pontificum, pristino more aut penitus aut magna ex parte omisso, novus inductus est ad praecavenda ea mala, quae diximus; quis merito nos reprehenderit eo quod ab electionibus nostris ea mala avertere curamus, quae in alienis aut vidimus aut audivimus, vel quae a nostra imbecillitate timere possumus?

Ad secundam respondemus, melius quidem fore, quod Generalis noster testimonio potius oculorum suorum, quam alieno omnes suos filios cognosceret, maxime qui regendis aliis videntur esse aptiores: hoc tamen nec posse fieri, nec necessarium esse ad electio-

num negotium rite obeundum. Ad hoc enim satis est cognitio personarum non plena ac perfecta, sed qualem probatissimorum virorum testimonium ac fides parere potest. Et sane nec Pontifex pleniorem habet cognitionem, ut plurimum, de iis, quos Episcopos seu Cardinales designat, nec Reges de illis, quos vel Episcopos proponunt, vel duces, imperatores, suorum regnorum gubernatores, aulici Consilii praefectos creant. Nec tamen erit, credo, qui huiusmodi electiones, tamquam temere initas, vituperare audeat, cum, qui eas inierunt, non ante inierint, quam a probis, gravibus, locupletibus testibus edocti fuissent de electarum personarum merito ac dignitate. Age vero si universae Ecclesiae supremus Pastor, si Reges hac sola cognitionis face ducuntur in electionibus adeo gravibus tantaque prae se pericula ferentibus, quippe quibus humana ambitio solet se frequentissime immiscere; quisnam mirabitur, Societatem hoc eodem modo se gerere, maxime cum in electionibus suis minora appareant errandi pericula, minusque timendae sint humanae ambitionis artes?

Quod si quis ita ratiocinaretur: temporalis Principum gubernatio in quietem tranquillitatemque reipublicae tantummodo tendit, spiritualis vero Episcoporum rectam Ecclesiae constitutionem unice spectat: at religiosa gubernatio perfectionem Religiosorum sibi proponit. Unde patet hanc oportere esse paternam ac veluti domesticam; Superiores autem Ordinum magis,

quam provinciarum administratores aut Ecclesiarum Rectores, paternum regimen imitari debere; hoc est cognoscere et diligere subditos suos, et ab iis vicissim cognosci ac diligi. Si quis, inquam, ita ratiocinaretur, responderem verissima eum ex ore depromere; sed subiungerem, ad haec ipsa praestanda Societatem toto pectore incumbere. Etenim qui eliguntur Superiores, praeterquam quod complures annos in Societate egerunt, eorumque mores ac virtutes plerisque nostrorum notae sunt atque probatae; illud etiam additur, quod Generali nostro peculiari quodam modo exploratissimi sint. Ad Generalem enim triennio quoque litterae afferuntur ex unaquaque provincia nomine eorum, qui eligendi sunt, aetatem, studia litterarum obita, ingenium, mores, religiosae vitae tempus et qua virtutum laude, sociorumque satisfactione decursum continentes. Praeterea Generalem de istis personis coram et diligentissime edocet Procurator in Congregatione provinciali electus, qui ob eam causam tertio quoque anno a singulis provinciis Romam mittitur. Nec satis. Praeter haec omnia instituuntur peculiares examinationes, pluresque habentur consultationes de iis, quibus onus alios regendi videtur posse committi. Nam Rectores, Praepositi domibus, Provinciales, horumque consultores, aliique maturioris consilii patres cuiuscumque provinciae sententiam ferunt. Generalis vero, ad quem sententiae scriptae deferuntur, eas attente perlegit; reque Deo ac Domino nostro com-

mendata, et cum quatuor Assistentibus, quos ei Societas, tum in hac tum in aliis gravioribus gubernii curis, tamquam consultores adiutoresque assignat, deliberata ac serio discussa electiones suas peragit. Quas nemo non optime confectas dixerit, cum nihil in iis desideretur, ut tales sint. Habetur enim de viris eligendis notitia, quam maxime potest, certa atque perfecta: adest sincera voluntas studiumque cuiuslibet erroris declinandi. Generalis autem, qui eo modo, quo diximus, idest diligentissime edoctus fuit, quique principatum in Societate perpetuo obtinet, nullique ideo subditorum suorum obnoxius est, vacat etiam causa, quare privato vel amore vel odio moveatur, aliaque afficiatur cura, nisi ut gubernationem suam Deo primum deinde hominibus probet.

Haec, quae disputavimus, tertiae etiam obiectioni satisfaciunt. Et certe luce clarius apparet, quanto in errore versentur, qui putant, in manu esse solius Provincialis alios attollere, deprimere alios; ipsumque Superiores, quos velit in sua provincia, revera testimonialibus suis decernere. Etenim quamquam verum sit, Provincialem plurimum valere iudicio ac testimonio suo; tamen nihil aut parum proficeret, si dissentientes a se haberet insigniores prudentioresque ex sua provincia Patres, qui etiam ipsi sententias suas de electionibus faciendis Romam ad Generalem mittunt. Ceterum huiusce periculi vix metus esse potest. Siquidem diligentia nulla omittitur, ut Provinciales tales

eligantur, qui, tum in hac tum in aliis officii sui partibus implendis, splendida aequitatis religionisque documenta ceteris suppeditent. Adde, quod Provinciales, cum nulli subditorum, sed uni Generali subiaceant, multis quidem aguntur causis, cur Generali, a quo pendent, obsequi velint; nulli vero, cur subditis, quibus praesunt, indulgere desiderent.

Ad quartam rationem respondentes fatemur dubitari non posse, quin detrimentum aliquod ex eo oriri possit, quod Superiores renuncientur homines ignoti, ignorantesque tum personas, quas regere, tum res domus vel provinciae, cui praeesse debent. Verum illud nunquam, ut iam diximus, oblivisci debemus, nullam gubernationis formam exstare, quae in aliquibus non peccet; eam vero esse meliorem, quae minus deficiat. Quod si detrimentum, quod adversarii modo commemorabant, cum iis et plurimis et magnis conferatur, quae electiones voluntatibus multorum subiectae progignunt, statuemus profecto, modum, quo utitur Societas, sibi esse (sibi, inquam, nam de aliis non laboramus) tranquilliorem, tutioremque, et ab ambitione, ceterisque malis, quae supra retulimus, longe remotiorem. Praesertim cum qui in Societate Superiores creantur, quamvis non semper ad eamdem vel domum vel provinciam pertineant, tamen non ita novi incognitique accedunt, ut in aliis Religionibus contingeret. Primum quia tota Societas est veluti gens una eademque, non gens in plures diversasque familias diducta: adeo

ut quilibet socius quocumque accedat, ubi sunt Societatis domus, ad domum suam accedit, ibique tamquam carissimus filius paterna benevolentia excipitur, atque tractatur. Secundo quia magna inter socios licet disiunctos intercedit communicatio, per frequens ac mutuum litterarum commercium, in quibus res ad Dei gloriam gestae, nominaque eorum, qui gesserunt, ad sanctam aemulationem acuendam referuntur. Tertio quia quemadmodum in gubernatione nostra unitas formae ubique terrarum religiose servatur, ita fit, ut qui in una provincia laudabiliter officium aliquod exercuit, haud molto negotio illud in alia provincia pari cum laude exerceat. Tandem quia plerumque nulli potestas in alios defertur, nisi ei, qui sit probe cognitus, aetate gravis, multis religiosae militiae stipendiis commendatus, fama virtutis clarus; quique scientiam personarum rerumque sibi traditarum habeat si non perfectissimam, at quae satis sit; et si quid scitu necessarium ei desit, defectum intra paucos dies implere valeat. Atque haec de electionibus nostris dixisse sufficiat. Etenim consuetudinem modo nostram tueri nobis mens fuit, non vero de consuetudine agere aliorum Ordinum. Quos quidem, quemadmodum putamus, recte et secundum Institutum suum sibi in hac re consuluisse, ita dicimus Societatem illam adscivisse in eligendis Superioribus formam, quae sibi esset commodior, filiisque suis magis salutaris.

CAPUT XXXI.

Cur Praepositus Generalis, quamdiu vita manet, magistratu non abeat.

Sunt qui existiment Societatem egisse perperam imponendo sibi Praepositum Generalem cum perpetuo imperio, seu ad vitae exitum duraturo, ob incommoda nec levia nec pauca huiuscemodi imperiis insita: quae incommoda etiam in Societate maiora ac periculosiora fieri possunt, eo quod maiori polleat auctoritate et imperio Generalis noster, quam alii in Religionibus suis Generales. Itaque periculum imminet, ne tam summa haec potestas, nisi viro conferatur summa pariter probitate ac moderatione praedito, in tyrannidem abeat, subditi vero iniuste premantur, Religio ipsa fatiscat, labemque faciat. Quod maximum periculum certe averteretur, si Generalis ad certum tempus eligeretur, sciretque, se depositurum esse constituto tempore imperium, moremque alteri gesturum, cui modo praeest.

Ut bene intelligantur rationes, quare et beatus Parens noster Ignatius praeceperit in Constitutionibus suis, ne Generalis de officio prius, quam de vita decedat; et Societas religiosa fide servaverit, quae Parens ac Fundator suus sancte ac prudenter praescripserat; illud in primis admonendum esse censeo, nullum scitum in Instituto Societatis reperiri, quod attentius pluriesque agitatum ac deliberatum sit, quam hoc, de quo nunc

agimus. Nam in prima Congregatione generali Romae habita anno MDLVIII, in qua p. magist. Laynez renuntiatus est Praepositus Generalis; in illa, inquam, Congregatione iussu Pauli IV, obtinentis eo tempore Cathedram Petri, tum ante tum post Generalis creationem multoties serioque quaesitum est, utrum Generalis vitae duratione, an brevioribus temporis angustiis imperium suum concludere deberet. Voluitque Pontifex, ut, quae Patres in hac re sensissent decrevissentque, ad se referrentur. Congregatio itaque quaestione, ut diximus, diligentissime discussa, omnesque in partes versata, ac Deo Domino nostro plurimis precibus commendata, decrevit tandem, religiosissime esse custodiendum, quod Parens noster Ignatius in Constitutionibus suis sanxerat: idque Sanctitati Pauli IV non semel significavit. Novissime autem ad eamdem Sanctitatem misit epistolam litteris latinis exaratam, manuque ac nomine Electorum omnium subnotatam, excepto tamen Generali. Visum est enim illud dedecere, ut decretum subscriberet ille, cuius causa factum fuerat. Ut vero omnes intelligant, quam caute, consultoque hoc tanti momenti negotium peractum sit, afferam hic epistolam ipsam, eaque, quae in actis primae Congregationis hac super re consignata sunt 1. « Vi-
« gesima quarta Augusti propositum fuit ex parte
« Summi Pontificis, ut cogitaremus de Praeposito Ge-

1 Decretum XLVII.

« nerali nostro, an perpetuus esse deberet, ut dicitur « in primo capite Constitutionum IX. partis, et eius « Declaratione. Et visum est, nemine discrepante, o- « mnino perpetuum esse debere: et cum die sequenti « idem proponeretur, idem Congregatio sensit. De mo- « do autem loquendi Summo Pontifici, res commissa « est ipsi Praeposito Generali. Ut autem posset Suae « Sanctitati significare nostrae Societatis iudicium, « scripta fuit Epistola, quae iam subdetur, Summo « Pontifici, ab omnibus praeterquam ab ipso Prae- « posito subscripta. »

Beatissime Pater

Cum Reverendissimus Cardinalis Pacechus electioni nostrae Praepositi iussu Vestrae Sanctitatis interfuit; antequam ea fieret, Vestrae Beatitudinis mentem de qualitate personae, quam eligere deberemus, et animi propensionem, ut electus perpetuus esset potius, quam ad certum definitum tempus nobis significavit. Quanquam V. S. pro sua benignitate id nostrae Congregationi integrum relinquebat; nos omnes laetissimis animis significationem hanc voluntatis V. B. tanquam a Deo profectam accepimus, qui ut et nos idem sentiremus et optaremus faciebat. Postea ubi V. S. ad pedum oscula nos admittere, et tanta charitate ad divinum obsequium excitare et inflammare

dignata est; praeter caetera, eaque singularia, quae nobis in Domino liberalissime est elargita, electionem Praepositi, quem nobis perpetuum elegeramus, libentissime confirmavit. Qua de re quantas possumus Divinae Clementiae, et Vestrae Beatitudini gratias agimus. Caeterum his diebus Reverendissimus Cardinalis Tranensis nobis significavit, Vestram Sanctitatem etiam nunc de perpetuitate Praepositi aliquid dubii habere: proinde, ut ea de re cogitaremus, edixit, quod et fecimus, praemissis ad Deum orationibus. Et cum in Congregatione semel atque iterum id esset propositum, omnes summo consensu, nemine discrepante, iudicavimus multo convenientius esse nostrae Societati, ut noster Praepositus, quamdiu vixerit, non mutetur. Quamvis tamen haec ita sint, obedientiae filii sumus, et quidem paratissimi ad ea omnia praestanda, quae V. S. imperabit. Quia vero fieri potest, ut de nostro iudicio certior fieri V. S. fortasse velit, illud hic infra subscripsimus, humiliter qualecumque id est, iudicio V. S. subiicientes. III. Calend. Septembr. M.D.LVIII.

Videamus nunc quaenam argumenta Societati persuasere, ut Generalem sibi deligeret, qui perpetuo, non definito aliquo tempore, imperaret (ut dicitur in Constitutionibus, part. IX. cap. 1. et in Bulla [1] a

[1] *Licet debitum*, §. 1.

Paulo III, A. MDXLIX. edita, nec non in Bulla [1] Gregorii XIV). Porro argumenta sunt sequentia. Primum, huiusmodi perpetuitas consonat magis iuri communi. In hoc enim praecipitur, ut Abbates et Praelati monasteriorum perpetui sint [2]. Secundo, sancti Patriarchae ac Fundatores nonnullarum Religionum ita sanxerunt, atque, ut haec lex sancte servaretur, curarunt. Sic nostra etiam aetate videmus Generalem Carthusianorum, Dominicanorum, aliorumque esse perpetuos. Olim quoque perpetui fuere Ministri Generales s. Francisci : et s. Bonaventuram scimus toti Ordini imperitasse duodeviginti annos. Nec ipse solum, sed alii etiam ad plures annos ducatum produxere, ut scribit Corduba in caput VIII Regulae Parentis sui seraphici, quaestione prima. Tertio, gubernatio omnis, quae unius ratione ac voluntate perpetuo tenetur (cuius gubernationis exemplum Μοναρχία nobis suppeditat), tutior est, perfectior, stabilior, ut luculenter apparet in Episcopis, in summo Pontifice, in Regibus atque Principibus. Quarto, facilius est, unum dignum inveniri, qui generali Religionum administrationi praeponatur, quam plures. Neque enim qui Generalis ad triennium tantummodo eligitur, non minoribus animi dotibus virtutibusque excellere eum oportet, ad rectam gubernatio-

1 *Ecclesiae Catholicae*, §. 5; id ipsum, an. MDCVI. confirmavit Paulus V, Bulla *Quantum Religio*.

2 Alexander III in Concilio Lateran. cap. 10.

nem trieteride sua exercendam, quam perpetuum Generalem ad eamdem gubernationem toto vitae curriculo laudabiliter obeundam. Quinto loco, cum Societas per tot tamque dissitas terrarum orbis provincias dispersa sit ac disseminata; cumque ad eam personae pertineant ex tam multis tamque variis nationibus collectae; cum denique in ea negotia occurrant pertractanda numero et momento maxima; quonam pacto fieri posset, ut Generalis intra paucos annos statum universae Societatis animo ita comprehendat, ut eam rite scienterque administret, subditos vero in officio obsequioque sibi debito contineat? Illud sine dubio absurdum accideret, ut imperare desineret, cum aliqua iam personarum rerumque cognitione aspergi coepisset: videlicet officio tunc decederet, cum illud inire deberet. Sexto, ad bonum Societatis regimen magnopere refert, ut Generalis plurimum auctoritatis apud domesticos non minus, quam apud externos obtineat, ut in Constitutionibus dicitur. Neque ullum esse dubium potest, quin auctoritate plus valeat qui nulla, quam qui certa temporis mensura imperaturus est. Item dubitare non possumus, quin subditi maiorem reverentiam maiusque obsequium ei detulerint, quem sciunt nunquam gubernii habenas dimissurum esse. Denique Generalis hoc modo electus, nullo vel metu vel studio vel respectu aliisve curarum impedimentis retardabitur ad ea, quae e Societate esse iudicaverit, decernenda ac persolvenda. Nam ut dicitur can. *Visis*

litteris, caus. XVI. q. 2., et in Glossa refertur : « Hu-
« mani moris est illum vereri, cuius iudicio et volun-
« tate nunc erigitur, nunc deprimitur. » Septimo, cum ambitio pestis ac venenum Religionum sit (sic enim in Constitutionibus nostris vocatur), omni ope curandum est, ut omnis ei aditus obsepiatur. Quod quidem facilius et efficacius obtinetur, Generali per totam vitam, quam ad praefinitum tempus, summa rerum potiente. Namque hac ratione animi conquiescunt, alimenta arrogantiae demuntur, petitionum pactorumque occasiones tolluntur; nec facile quisquam reperietur, qui ad summum imperium eniti velit, dum vivit, qui illud habet, atque eo usque est habiturus, donec vitam spiritumque duxerit. Cuius quidem mors incerta cum sit, incerta etiam esse debet electio, quae eius mortem exceptura est. Octavo, cum electiones multorum suffragiis confectae ea damna importent, quae in superiori capite conquesti sumus, neque aliter, quam suffragantium consensione, creatio Generalium institui possit; communis boni ratio postulat, ut ad paucas admodum huiusmodi electiones redigantur, eam videlicet ob causam, ut perniciosa illa, quae diximus, effecta declinentur. Quamvis enim in formula electionis Generalis nostri id omne provisum sit, quod humani consilii vis providere poterat ad malas ambitionis artes eludendas; tamen nemo nos reprehendet, si nova contra infestum hostem auxilia advocemus. Atque auxilium absque dubio firmum est rara, quam maxime fieri potest,

Generalium electio. Nono, cum ex nostris Constitutionibus Generalis eligendus sit in Congregatione generali, cumque ad eam confluant ex singulis Europae provinciis Provinciales, quisque cum virorum pari in comitiis uniuscuiusque provinciae electo (quod quidem par ceteris, ut plurimum, virtute et prudentia praestat), perspicuum sane est, hoc non posse fieri, quin et ii, qui ad comitia conveniunt, multos labores, molestias, expensas suscipiant, sanitatisque ac vitae discrimen adeant; et provinciae ex talium virorum defectu plurimum detrimenti capiant; maxime vero si tempora infesta virtuti decurrant, haereticorumque lues ac procella Ecclesiae navi immineat. Quo sane tempore maxime necessaria fit eorum virorum praesentia, qui, tamquam periti gubernatores, possint clavo, ut ita dicam, scientiae, sanctitatis, prudentiaeque suae saevissimos haeretici furoris fluctus confringere. Haec autem omnia patenter ostendunt, Congregationes generales, quoad eius fieri potest, esse vitandas, ne quies Societatis, provinciarumque bonum periclitetur.

Sed quid valeat argumentum nobis oppositum, iam videamus. Dicimus igitur, nullam in terris extare gubernii formam a vitiis omnibus immunem: eam porro meliorem esse, quam minora et leviora urgent: minoribus autem et levioribus vitiis urgeri eam formam, quae Μοναρχία audit, si fides habenda est Platoni, Aristoteli, sancto Thomae, aliisque Doctoribus [1]. So-

1 Cf. Marianam, de rege et regis instit. lib. I. cap. 2.

cietatem vero, ut mala, quae in argumento ponuntur, exiret, talem gubernationis formam sibi delegisse, ut complecteretur quidquid laudabile habet tum unius, tum paucorum optimatium dominatio. Sic a priori dominationis specie habet Societas Principem seu Generalem perpetuum; a secunda desumpsit quatuor suos Assistentes, qui consilio Generalem iuvent, et in officio, si forte ab eo descisceret, contineant. Ex quo apparet, summam esse Generalis potestatem, si ea bene; nullam, si perperam utatur. Quin imo si officio suo graviter deesset, admonitusque non resipisceret, sed Societatem turbare obstinate pergeret; Generalis iste non modo in ordinem redigi potest, hoc est ab imperio amoveri, sed etiam e Societate extrudi, ut dicitur in parte nona Constitutionum, cap. IV. et V. Nec satis habuit Societas Generali attribuere tum Assistentes, qui ei in omnibus, quae gerit, invigilarent, tum Admonitorem qui eumdem, si in aliqua re delinqueret, commonefaceret; sed voluit etiam, ut in duabus rebus, in quas offendere posset, legem acciperet. Prima respicit Generalis victum, vestitum, commoda, luxum, immodicos sumptus, Collegiorumque redituum abalienationem. Secunda spectat ambitionem seu honorum maiorum appetitionem. Et ad primam quod attinet, sanxit Societas, ut Generalis in iis omnibus quae ad corporis cultum curamque referuntur, Assistentibus pareat: addiditque Generalem non modo alienare non posse

Collegiorum bona, sed huiusmodi alienationem si faceret, causam esse posse, quamobrem officio privaretur. Ad secundam quod spectat, ab ambitionis illecebris satis Generalem cohibuit eo voto, quo ipse spopondit se honores extra Societatem nec quaesiturum nec admissurum; nisi forte admittere cogeretur illius praecepto, cui obsequium obedientiamque vovit se praestiturum. Quod quidem votum professis omnibus Societatis commune est. Navarrus [1] Societatis usum valde commendat; sententiamque suam hanc esse ait, ut qui in Religionibus praesertim monasticis praesunt, perpetuo praesint. Etenim subiungit, perpetua imperia minorem, quam imperia triennio circumscripta, molestiarum molem importare.

CAPUT XXXII.

De conscientia Superioribus detegenda.

Inter ea, quae a nostris Constitutionibus impensius nobis commendantur, non est profecto in ultimis censenda manifestatio conscientiae Superioribus facienda; adeo ut nullam eos celemus affectionem pravam, nullamque offensam, si qua divinam Maiestatem laesimus. Quo fiat, ut Superiores nostri animarum nostrarum vulnera noscentes medelam iis afferre valeant.

1 De Regular. comm. III., in cap. *Nullam*, 18. q. 2. §. 3

Quocirca legimus in Examine (cap. IV. §§. 34. 35. 36): « Quicumque hanc Societatem in Domino sequi « volet, et in eadem ad maiorem Dei gloriam mane- « re, ... sub sigillo confessionis, vel secreti, vel « quacumque ratione ei placuerit, et ad maiorem ip- « sius consolationem fuerit, debeat conscientiam suam « magna cum humilitate, puritate, et charitate mani- « festare; re nulla, qua Dominum universorum offen- « derit, celata: et totius anteactae vitae rationem in- « tegram, vel certe rerum maioris momenti Superio- « ri, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Praepositis, « vel aliis ex inferioribus ille iniungeret, prout magis « convenire videretur, reddat. » Deinde (§. 38.) sub- ditur: « Et sexto quoque mense rationem hanc sui « quisque reddet. » Eadem videmus scripta in Con- stitutionibus (part. III. cap. I. §. 12. et part. VI. cap. I. §. 2). Itaque solemus tum professi, tum coa- diutores formati rationem reddere conscientiae in an- no semel, bis ceteri socii. Nec solum vitiorum nostro- rum, malarum affectionum, hostilium impressionum rationem reddimus, verum etiam virtutum, divinorum charismatum, aliarumque rerum omnium, quarum co- gnitio Superiorem iuvare possit ad subditorum ani- mas in via Domini dirigendas.

Haec nostra Constitutio aliquibus non arridet; et quare non arrideat, ratio triplex ab ipsis adducitur. Prima est, hanc Constitutionem imponere homini onus fere intolerandum, quale est haud dubie detegere ali-

cui aegritudines suas et miserias ; maxime vero Superiori, apud quem maiori esse in existimatione, quam apud alium quemque, eius interest magnopere. Siquidem Superior, qui subditos gubernat ac regit, eosque ad varia Ordinis munia exercenda designat, in iis muniis distribuendis nulla alia re magis, quam opinione ac nomine, quod de subditis habet, movetur. Secunda est, dari locum periculo, ne Superior, qui de subdito non bene opinatur, obliquis eum oculis intueatur, aut in iis muneribus adhibere abstineat, in quibus adhibuisset, aut in eas molestias angustiasque coniiciat, in quas numquam cogitasset coniicere, si eius latebras animi inexploratas habuisset. Tertia, quae a secunda sponte sua defluit, est, subditum ipsum in magnum mentiendi discrimen vocari. Hic enim a Superiore metuens ea, quae nuper memoravimus, dicet fortasse quae volet ; profundiora scilicet animi ulcera occultabit, leviora deteget ; finget virtutes, errata phaleratis verbis minuet, talem uno verbo se venditabit, qualis profecto non est.

Ad haec respondentes dicimus primo, nunquam obliviscendum esse finem, quem habet vel certe habere debet is, qui religiosum habitum indutus hoc veluti insigne ac tessera Crucifixum Dominum arctius complecti professus est. Hunc itaque finem si ob oculos ponamus, fatebimur non decere solum sed plane necessarium esse, ut Superiores perspectos habeant subditos suos *intus et in cute*, ut vulgo dicimus. Nam reli-

giosi hominis finis est ad evangelicae perfectionis culmen tendere, incompositos animi motus sedare, pravas anteactae vitae consuetudines deponere, proprium sui amorem exuere, arbitrio Superioris, tamquam ministri Dei, gubernandum se penitus tradere, Religioni deservire in iis omnibus, in quibus ipsa servitutem sibi exhiberi desiderat. Haec autem omnia requirunt ut subditus a Superiore suo penitus pernoscatur. Hoc enim modo subditus solidas veri religiosi virtutes exercet, humilitatem scilicet, suique ipsius contemptum ac repudiationem, cum patefacere medico abditiores foedioresque animae suae morbos insigni amoris proprii victoria non erubescit: et Superior pulcherrimam nanciscitur occasionem caritatis, pietatis, in primisque prudentiae exercendae. Sic enim edoctus, periculum abest, ne medicamenta suggerat aut contraria, aut leviora vehementiorave, quam opus sit; quemadmodum accidere solet medico aegroti morbum constitutionemque ignoranti. Hoc pariter modo Superior, tamquam peritus artifex, qui saxa loco quaeque suo apte disponit, subditos collocat in eo officio, quod melius unicuique conveniat, quo sint Religioni simul sibique utilitati et decori. Ideo Salomon dixit[1]: « Diligenter agnosce vul-
« tum pecoris tui; » sive ut hebraeus textus habet: « Agnoscendo agnosce, » et graecus: « Evidenter
« agnosces, » hoc est, ingenti cura et studio: quae

1 Prov. XXVII. 23.

omnia satis indicant summam et plenam esse oportere, quemadmodum pastoris de suis ovibus, sic Superioris de subditis suis cognitionem.

Quocirca religiosae vitae magistri omnes de hac veritate nos uno ore erudiunt. S. Basilius in Regulis fusius tractatis, interrog. XXVI, ait: « Unusquisque « autem eorum qui subditi sunt, si modo profectum « eximium velit facere, et in eius vitae quae ex Do- « mini nostri Iesu Christi praeceptis transigitur, firmo « et stabili statu versari, debet neque motum ullum ani- « mae occultum apud seipsum servare, neque verbum « ullum inconsiderate proferre, sed hisce fratribus, qui « infirmis benigne et humane curandis praefecti sunt, « cordis arcana aperire. » Additque (interr. XV.) adolescentes iam nunc, idest ab ineunte religiosa vita, interrogandos esse: « Ubi sit eorum animus, et quid in « mente versent. » Eadem tradit interrog. XLIV. et XLVI. Verum hanc materiam fusius persequitur Cassianus, a quo veluti a capite rivos suos duxerunt Religionum Fundatores, qui post eum floruere; in his praecipue s. Dominicus, qui eius Collationes semper habebat secum, easque attenta lectione meditabatur. Cassianus igitur scribit [1] prima spiritualis disciplinae elementa, quae veteres illi coenobitarum magistri novitiis suis explicabant, haec fuisse; ut quidquid in animi latebris conderent, id omne manifestum esse vel-

1 De Instit. renunt. lib. IV. cap. 9.

lent Superiori, nihil prorsus sive bonum sive malum importuno silentio prementes. Idque ob duas rationes praecipiebant. Primum, ut eos periclitarentur, viderentque, num ad Religionem accedebant erratorum anteactae vitae poenitentia tacti. Deinde, ut eosdem tartarei hostis insidiis eriperent, in quas procul dubio incidissent, si vitiosos animi habitus aegritudinesque medico, qui eas curare posset, detegere neglexissent. Quare idem Cassianus subtexit: « Instituuntur nullas « penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa « confusione celare; sed confestim ut exortae fuerint, « eas suo patefacere seniori. » Et paulo inferius: « Itaque fit ut in nullo circumvenire iuvenem callidus « inimicus, velut inexpertum ignarumque praevaleat, « nec ulla fraude decipere quem praevidet non sua sed « senioris discretione muniri, et suggestiones suas, « vel ignita iacula quaecumque in cor eius iniecerit, « ut seniorem celet non posse suaderi. Aliter quippe « subtilissimus diabolus illudere vel deiicere iuniorem « non poterit, nisi cum eum sive per arrogantiam, sive « per verecundiam, ad cogitationum suarum velamen « illexerit. Generale namque et evidens iudicium dia- « bolicae cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori « confundimur aperire. » Quae Cassiani verba mirifice consonant cum iis, quibus beatus Parens noster Ignatius usus est in regula decimatertia Exercitiorum, ubi regulas tradit, quibus malum a bono spiritu secernere valeamus. In qua quidem regula XIII, advocato ama-

sii cuiusdam exemplo, qui puellam honestis parentibus prognatam irretire parans, nihil cavet magis, quam ne suae insidiae puellae parentibus deprehendantur; aliter enim optata praeda potiundi spes omnis efflueret: « Ad eumdem modum, ait beatus Parens, obnixe sata-« git diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit ac « perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secre-« tas; indignatur vero maxime et gravissime cruciatur, « si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini « molimina sua detegantur. » Sed ad Cassianum redeuntes haec ab eo dicta eodem libro (cap. 39.) comperimus: « Humilitas vero his indiciis comprobatur: « primo si mortificatas in se habeat omnes voluntates; « secundo si non solum actuum suorum, verum etiam « cogitationum nihil suum celaverit seniorem; tertio si « nihil suae discretioni, sed iudicio eius universa com-« mittat, ac monita eius sitiens libenter auscultet etc.» Et in secunda collatione, capite decimo, affirmans nihil esse potius efficaciusque hoc remedio, ne monachus a daemone decipiatur ac prosternatur, profert haec verba: « Tamdiu enim suggestiones eius noxiae domi-« nantur in nobis, quamdiu celantur in corde. » In capite vero undecimo eiusdem collationis sic concludit: « Et ideo semper seniorum summa cautione sunt se-« ctanda vestigia, atque ad eos cuncta quae in nostris « cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine, de-« ferenda. » Climacus in quarto gradu, qui de obedientia inscribitur, narrat, se olim in monasterio quo-

dam vidisse monachum, qui tabellam gestabat e zona pendulam ea mente, ut in ea perscriberet « omnes « cogitationes suas, ut postea patri qui coenobio praesi- « debat, exponeret; quod et ab aliis quamplurimis fieri « conspexit, et hoc, ut accepit, ex imperio coenobiar- « chae. » Sanctus Abbas Isaias [1] in sexta ex illis orationibus, quas ad monachos habuit, hoc illis suppeditat consilium, ut animae maculas nullo verborum fuco obtegerent, sed puerili simplicitate et candore Superiori exponerent. S. Dorotheus in doctrina quinta [2] ait, daemonem, quem s. Macarius onustum ampullis conspexit, victorem quidem discessisse de quodam monacho, propterea quod praefidens iste iudicio suo consilia et monita aliorum respuebat; sed victum fuisse ab aliis monachis eo quod in spiritualibus pugnis Superiorem adibant, atque armis seu remediis ab ipso praebitis utebantur. « Quisquis (inquit) illius prae- « sensit insidias, accurrit illico, et cogitationes suas « quascumque latentes aperuit patri, et sic auxilium « invenit. » S. Benedictus in sua Regula cap. VII. sequentia habet: « Quintus humilitatis gradus est, si « omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel « mala a se absconse commissa, per humilem confes- « sionem Abbati non celaverit suo. » Et in capite XLVI. praecipit, ut qui culpas admiserit, Abbati, imo toti

1 In Biblioth. PP. tom. VII. edit. Colon. Agrip. an. 1618.
2 Ib. tom. IV.

monachorum conventui patefaciat, si leves fuerint; soli vero Abbati, aut spiritualium rerum praefecto, si graves et occultae. Cum istorum sanctorum hominum, quos citavimus, doctrina congruunt, quae docuerunt, sancti Bernardus, Dominicus, Franciscus, Bonaventura, aliique Religionum Institutores, vitaeque spiritualis magistri.

Nec solum commemorati modo doctores nos de hac veritate commonefactos esse voluerunt, verum etiam nonnulli ex sapientioribus ethnicis, quibus rationis lumen aliquanto purgatius affulsit. Plato in eo dialogo, quem a Gorgia nuncupavit, docuit hominem debere se, tamquam sontem, iudici sistere, qui poenas; et, tamquam aegrotum, medicum interrogare, qui pharmaca decernat. Plutarchus in eo opusculo, in quo disputat de animi morbis curandis, docet praesentissimum esse remedium detegere eos morum magistro. Et sane quicumque vel rerum spiritualium peritia, vel religiosae vitae antiquitate, vel virtutum exercitatione eminent, hoc etiam atque etiam monent inculcantque; ut scilicet Superiori nostro, veluti parenti optimo ac medico solerti vulnera aperiamus animae nostrae: hoc non unum sed multiplex remedium esse affirmant; hac una, addunt, medicina plagas curari, quae insanabiles esse videbantur. Atque haec est ratio, cur beatus Parens noster hoc idem nobis tantopere commendet, velitque, ut cor nostrum quasi in manibus praeferamus, cum rationem conscientiae Superioribus reddimus.

Ad primum ex obiectis argumentis respondentes dicimus, dubium non esse, quin naturae nostrae vitiatae molestissimum accidat miserias defectusque nostros alteri pandere, Superiori praesertim ob id, quod in argumento dicitur; sed subiungimus molestissimum aeque esse diligere inimicum, et responsare omnibus saeculi voluptatibus; molestissimum pariter ieiunium, verberationes, cilicia, silentium, paupertatem, obedientiam, ceterasque religiosae disciplinae socias asperitates; quin immo difficiles atque arduos esse omnes virtutum actus, eoque magis, quo sunt in se excellentiores. Verum, divina opitulante gratia, natura nostra ex sua pravitate atque infirmitate revalescit, resque aggreditur tot ac tales, quales humana per se virtus ne cogitare quidem posset. Et quoniam caelesti ope adiuti graviores difficultates evicimus, vinculaque confregimus, quibus mundo haerebamus; nihil est cur modo animis despondeamus, sed potius cur eodem divino Numine roborati inchoatum opus prosequamur, praesidiaque adhibeamus suaviora simul et efficaciora, quibus et propositum nostrum teneamus, et ab eo tuto dirigamur, qui nos Dei loco gubernat.

Ad secundum argumentum respondemus, Superiorem, qui vere Superior est, in subditorum suorum gubernatione proponere sibi facilitatem bonitatemque ipsius Domini, cuius minister est et vicarius. Solet pientissimus Dominus maioribus benevolentiae signis eos complecti, qui confidentius in divinae misericor-

diae sinum confugiunt, culpas suas agnoscunt, deflent, emendatiorisque vitae desiderio tenentur. Tantumque abest, ut misercors Dominus errantes a se proiiciat, eisque peccata exprobret, ut potius ea mandet oblivioni, laeteturque, si ita loqui fas est, peccata eadem remisisse, animamque illam charismatis suis ditasse, quae adeo parum, ut tam benevole tractaretur, promeruerat. Ad tantam vero Divinae Bonitatis excellentiam propius, quam fieri potest, accedere conantur boni Religionum Superiores, qui Divini Magistri exemplo instituti illos subditos impensius student diligere, qui maiori humilitatis dolorisque sensu affecti abdita cordium animaeque sordes plene ac sincere detegunt sibi, meliorisque vitae desideria concipiunt. Ipsi etiam auditas subditorum miserias oblivioni tradunt; et si quando earum reminiscuntur, ob id faciunt, ut bonorum omnium largitorem collaudent, et aequioribus oculis intueantur subditos, tanta fiducia sibi secreta animi committentes. Curant denique, caventque, ne ullum plane ex eorum vultu atque ore indicium prodeat de iis, quae audierunt, perinde quasi nihil audissent; quemadmodum beatum Parentem Ignatium fecisse memoriae prodidimus in vita eius [1], quam nos descripsimus. Quae cum ita sint, potest quidem subditus ab omni prorsus metu vacuus ad Superiorem accedere, eum consulere, cum eo res suas communicare. Quod

1 Lib. V. cap. 7.

ni faciat, manifesta res est, eum daemonis fraude circumveniri. In hanc vero incidit, vel quia Superiorem aliquem forte novit non ita, ut diximus, sed contra quam diximus, se gerentem 1; vel quia temere suspicatur Superiores inveniri posse, qui compertis subditorum vitiosis affectionibus, severi iudicis, quam boni parentis partes agere malint.

Ad tertium argumentum respondemus, nihil esse adeo bonum et sanctum, quo humana pravitas in malum abuti non possit. Ceterum in iis, quae ad bonum commune spectant, decernendis non tam esse attendendum ad id, quod aliquot maligni homines facere possunt; sed ad id, quod est in se res sancienda, praeterea ad bonum, quod ex eiusdem rei observantia communiter derivari potest. Aliter enim cum homines adeo scelesti reperiantur, qui verbo Dei, sacramentis, atque adeo ipso Divino Numine per immane sacrilegium abutantur, abstinendum esset ab usu rerum tam salutarium ac divinarum. Verum non ita est. Noluit benignissimus Dominus ob nonnullorum improbitatem non esse fons vitae, lucis, medicinae, salutis, redemptionis iis, qui ad caeleste convivium digne ac reverenter accedunt. Quocirca dixit s. Augustinus (et refertur can. *De occidendis*, caus. XXIII. q. 5.): « Absit ut ea quae pro-
« pter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid
« per haec praeter nostram voluntatem cuiquam mali

1 Cassianus, coll. II. cap. 12.

« acciderit, nobis imputetur. Alioqui nec ferramenta « domestica et agrestia sunt habenda, ne quis eis vel « se vel alterum interimat; nec arbor, aut restis, ne « quis se inde suspendat; nec fenestra facienda est, « ne per hanc se quisquam praecipitet. Quid plura « commemorem, cum ea commemorando finire non « possem? »

CAPUT XXXIII.

De confessione peccatorum Superiori facienda.

Sed dicet aliquis: esto, quod recta ac provida Religionum gubernatio expostulet, ut subditus remotis arbitris atque extra confessionem conscientiam suam Superiori manifestet, rationemque reddat animae suae: nulla tamen iusta causa apparet, cur subditi ad sacramentalem peccatorum confessionem Superiori faciendam obligentur; multoque minus apparet, quare hanc confessionem, et quidem generalem, instaurare debeant sexto quoque mense, qui nec professi sunt nec coadiutores formati; singulis annis, qui sunt. Audita enim in confessione occasio esse possent Superiori, cur hoc potius modo, quam illo subditos gubernaret. Nec Superiori solum, sed subdito etiam peccandi occasio praebetur. Fac enim, ut iste iubeatur aliquid aggredi voluntati suae permolestum; dicet, vel suspicabitur saltem, Superiorem confessione sua usum tale

onus sibi imposuisse, nulla sacramentalis sigilli ratione habita. Secundo, quid aliud est cogere Religiosum ad confessionem generalem certis temporibus peragendam, quam imperare, ut confessiones iteret, rursusque de iisdem peccatis se accuset? Atqui nulla lex esse potest, quae aliquem iubeat peccata iterum confiteri, quae semel ac legitime confessus est, ut uno ore affirmant s. Thomas [1], aliique doctores non pauci [2].

Antequam propositis dubiis respondeamus, explicandum est, quid in hac re faciendum praecipiat Societas. Duo autem praecipit. Primum ut novitius Religionem ingrediens rationem conscientiae suae reddat vel Superiori, vel alii, quem Superior ipsi assignaverit: faciat idem deinceps sexto quolibet mense ante professionem vel vota coadiutoris formati inita; semel in anno postquam vel professionem susceperit, vel inter coadiutores formatos adscriptus fuerit. Praecipit

1 Quodlib. I. q. 6. art. 12. ad 1.m et in Addition. sive Supplem. q. 8. art. 5. ad 4.m

2 Paludanus in 4.m dist. 17. q. 5. num. 6; Richardus art. 2. q. 8; s. Antoninus part. III. tit. 14. cap. 19. §. 4; Tabiena, *confessio II.* num. 3; Navarrus cap. *Fratres* de poenit. dist. 5. num. 30; et in Summa cap. 23. n. 38; et Benedictus XI in extravag. *Inter cunctas*, de privilegiis; Astensis part. II. tit. 18; Durandus dist. 17. q. 15; Almain q. 1; Silvester *confessio I.* q. 3; Bartholom. Medina in Summa lib. I. cap. 2. in princ.

secundo, ut peccata generaliter confiteatur sexto quoque mense vel quotannis, prout gradum susceperit, vel non, ut nuper dictum est. Verum neminem cogit ad confessionem cum Superiore peragendam. Quare legimus in regulis Rectoris 1 : « Efficiat, ut sibi vel aliis « ab ipso deputatis, statis temporibus ratio conscien- « tiae reddatur a suis, iuxta modum, qui in officio « Provincialis praescribitur, et instructionem ad red- « dendam conscientiae rationem : et aliquos praeterea « maturiores patres assignet, qui eorum confessiones « generales excipiant, nisi Provincialis tunc adsit. » Ex quibus verbis liquet a Rectore esse designandos aliquot ex gravioribus patribus, qui excipiant generales confessiones; ut sic possit unusquisque illum ex designatis confessoribus sibi eligere, quem magis idoneum sibi esse iudicaverit. Nisi forte eo tempore praesens adesset Provincialis. Tunc enim ab ipso, non a Rectore nominandi essent, qui generaliter se confitentibus praeberent aures, ut ex regula constat 131, quae agit de Provincialis officio. In ea enim Provinciali iniungitur, ut ipse per se rationem conscientiae a subditis suis exigat, et si non possit, alium, qui hoc munere defungatur, ipse sufficiat ; quem vero suffecerit, sit plerumque Collegii vel Domus Superior. Additur autem in modo citata regula, quod si eo tempore adsit Provincialis, quo vota instaurantur, et quo

1 Cap. III. reg. 22.

proinde generales confessiones persolvuntur, « ipse « (Provincialis scilicet) ad excipiendas confessiones « generales nostrorum, aliquos patres probatos et ma- « turiores designabit: eosque, qui sibi confiteri volent, « benigne audiet. » Perspicuum itaque est neminem obligari ad generalem peccatorum confessionem aut cum Provinciali aut cum Rectore, sed tantum cum aliquo ex designatis ad id patribus faciendam. Quod si quis sua sponte ac piae voluntatis impulsu piacularem confessionem cum Provinciali aut Rectore vellet conficere, nequaquam id facere vetatur; et reapse non pauci sunt, qui faciunt; sive quod illis commodius cedat rationem conscientiae simul et confessionem cum uno eodemque peragere; sive quod tectius tutiusque putent esse, ut revera est, rationem conscientiae Superiori reddere in ipsa sacramentali confessione, sive quod sperent se hoc modo melius in via Domini directum et adiutum iri; sive demum ob alias iustas et commendabiles causas, quibus pro suo quisque ingenio ac spiritu moveri potest. Ceterum quod diximus, hoc bene teneatur: confessionem generalem qui cum Superiore facit, eam non regulae praescriptione, sed voluntate sua facere. Quod quidem quo pacto improbari possit, non video; cum Societas in hac re multo lenius cum suis agat, quam ceterae Religiones, quae subditis suis obligationem imponunt peccata Praelato confitendi. Nam capitulum septimum Regulae s. Benedicti, in quo declaratio cogitationum actuumque ma-

lorum Abbati humiliter et candide facta ad quintum humilitatis gradum pertinere dicitur, hoc, inquam, capitulum a Turrecremata eamdem Regulam interpretante refertur ad confessionem sacramentalem, quam monachi apud Abbatem suum persolvebant. Smaragdus etiam in eadem Regula (cap. LXII.) verba de monachis faciens, qui sacris initiandi sunt, dicit: « Confessionem « omnium suorum debet Abbas cognoscere monacho- « rum, et tunc, quem ex omnibus elegerit esse di- « gnum, ordinari sibi iubeat diaconum vel presbyte- « rum. » Audiamus nunc Ugonem de s. Victore, qui [1] sic profatur: « In facienda autem confessione talis di- « scretio esse debet, ut quotidiana leviaque peccata « alterutrum coequalibus confiteamur, ut orationibus « pro invicem factis salvemur. Porro gravioris leprae « immunditiam sacerdoti, id est nostro summo Prae- « lato, scilicet Abbati pandere debemus, ut ad eius « arbitrium iustificari curemus. » Et fr. Iosephus a Seguntia ex Hieronyminorum Ordine sacerdos, in historia sui Ordinis ab eo praescripta haec tradit [2]: « Decreverunt primi nostri Parentes ut ii, qui in Or- « dinem recens admissi essent, bis saltem in hebdo- « mada peccata confiterentur, cum suo magistro semel, « semel cum Praelato. Neque hoc certe sanxerunt, ut « sacramentali confessione ad externam sui Ordinis

1 Institution. monast. serm. LIII. ante dimid.
2 Part. II. lib. II. cap. 30.

« gubernationem abuterentur ; esset enim nefas into-
« lerandum , atque divinae institutionis scelesta per-
« turbatio ; sed ut qui animas novitiorum regerent,
« scirent , quantum alumni sui in via Domini profice-
« rent, quantoque puritatis, orationis, mortificationis-
« que studio incitarentur. » Hanc etiam in monasteriis viguisse consuetudinem remotioribus saltem aetatibus, ex eo non obscure colligitur, quod in iis unus tantum aderat sacerdos sive presbyter, aut, ut eum vocat Cassianus, senior, quo cum omnes confessionem suam exigebant: ideoque dixit s. Augustinus cap. XI. suae Regulae: « Praeposito tamquam patri obediatur, multo
« magis presbytero , qui omnium vestrum curam ge-
« rit. » Praeterea eamdem consuetudinem Albertus Magnus in Dominicanorum Ordinem induxit, ut paulo infra dicetur. Propterea in Constitutionibus illius Ordinis haec leguntur [1] : « Declaramus quod fratres no-
« stri non possunt sua peccata , ulli Sacerdoti , etiam
« fratri Ordinis nostri, absque suorum Praelatorum li-
« centia confiteri. » Et sane cum Praelatus sit parochus subditorum suorum et pastor, aequitatis ratio postulat, ut eos penitus cognoscat, eorumque piaculares exaudiat confessiones. Et qui contrarium assereret, absurdum illud assereret, non convenire videlicet ut parochus, qua parochus est, confessionibus fidelium suae curae commissorum aures praeberet. Quare s. Bonaventura

1 Dist. I. cap. 14. lit. *c*.

in tractatu de sex alis seraphim cap. VII, in quo de Religiosorum Praelatis agit, sic dicit : « Ad statum debitum tenendum convenit, ut rector omnium subditorum, mores, conscientias, et vires perspicue agnoscat, ut secundum quod unicuique expedit, onus observantiae regularis imponat. » Et inferius : « Item ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, et de quibuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum praevidere et praecavere. » Et Benedictus XI, in Extravag. *Inter cunctas* 1, edicit Religiosos huic legi debere se subiicere, ut peccata confiteantur Praelato suo, prout cuiuslibet Ordinis ferunt Constitutiones ; additque Pontifex haec verba : « Ceterum licet, sicut praedicitur, de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre, districte iniungimus etc. » Ex quibus omnibus consequitur, regulam in ordine quocumque constitui posse, qua Religiosi obligentur peccata Praelato suo confiteri ; imo expedire interdum, ut sic faciant. Haec quamquam ita se habeant, Societas tamen huiusmodi Constitutione hactenus caret ; et si qui ex sociis animae noxas Superiori aperire velint in confessione, ii non vi coacti, sed propria voluntate permoti id faciunt, ut supra declaratum est.

1 Extat in Bullar. Ordinis FF. Praedic., tom. II.

Sed quoniam contendunt aliqui, generales confessiones, quae in more apud nos sunt, imperari non posse, nec repeti debere culparum accusationem, quae semel et accurate peracta est, animadvertimus; primum quod confessiones generales, etiamsi nullius legis necessitate expressae, sed sponte factae, conferunt, ut plurimum, facienti uberem meritorum caelestiumque charismatum segetem; propterea quod eas faciat et diligentiore praeparatione et penitiore doloris pudorisque sensu. Sic enim dicit s. Thomas [1], Silvester [2], Caietanus [3] et Medina [4]: idem antea docuerat s. Augustinus [5] (et refertur can. *Quem poenitet,* caus. XXXIII. q. 3. de poenit. dist. I.): « Erubescentia ipsa partem « habet remissionis. » Dixi *ut plurimum*: nam a confessionibus iterandis deterrendae sunt personae illae, quae scrupulorum aculeis exagitatae, malique daemonis terriculis vexatae, nunquam putant se rite confessas esse peccata, ideoque ad generales confessiones repetendas animum saepe convertunt. Sed hoc hominum genus non iteratione, ut dixi, confessionum, sed alio medicamento curandum est.

1 In 4.m dist. 17. quaest. 3. art. 4. quaestiunc. 5. ad 4.

2 Summ. *Confessio I.* q. 3.

3 Opuscul. tom. I. tract. V. de confessione q. 4.

4 De Confessione, tit. de facultate et fructu legitimam confessionem iterandi.

5 De vera et falsa poenitentia cap. X.

Verum saecularibus omissis, et sermone ad Religiosos rursus converso, audiamus quodnam monitum Religiosis suppeditet s. Bonaventura [1]: « Si potes « confiteri quotidie bene quidem, sin autem de tertio « in tertium diem saltem studeas confiteri, et studeas « generaliter annuatim confiteri. » Sed quia adversarii interpellare nos possent dicentes, non ad rem adductum esse praedictum s. Bonaventurae locum: sancti enim doctoris verba non ultra consilium se porrigunt; agi autem hic de praecepto; videlicet num praecipi alicui licite possit, ut bis peccata sua confiteatur; repondemus hoc non licite modo, sed laudabiliter et sancte praecipi Religiosis (de saecularibus enim non loquimur), Religiosis inquam illis, qui scientes volentesque huic regulae servandae sese subiecere. Primum, quia id complures doctores affirmant; Maior [2], exempli gratia, Adrianus [3], Medina [4], Navarrus [5], Gerson [6]: Secundo, quia haec regula Religionibus permultis communis est, aut saltem fuit in earum primordiis, tunc scilicet, cum amplior virtutum omnium luce corusca-

1 Regulae novitior. cap. III.

2 In 4.m dist. 17. quaest. 6.

3 In 4.m quaest. 5. de confessione, §. *Sed difficultas nostra.*

4 Tract. II. de confessione, de facultate et fructu reiterandi confessionem.

5 In cap. *Placuit* de poenit. dist. 6. num. 118.

6 Alphab. 25. lit. *F.*

bant. Carthusianis imposita olim lex fuerat (utrum lex adhuc teneat, ignoro) generalem confessionem obeundi apud novum quemque Praelatum: item cum peregre domum redibant; hoc tamen modo, ut confessionem inchoarent ab ultima, quam cum Praelato confecerant. Hoc postremum Hieronymini in praesens servant; quod quidem plane convenit cum doctrina s. Basilii [1] praecipientis, ut Religiosi a peregrinatione reversi rationem sui reddant, quemadmodum Apostolos reddidisse ex Actis [2] constat. In Cisterciensium Ordine Constitutio pariter est, quae monachos iubet generalem confessionem cum Abbate quotannis efficere: idemque ut Dominicani fratres efficerent Albertus Magnus decrevit, quemadmodum fr. Ferdinandus de Castillo narrat in Annalibus suis [3], ubi de Alberto loquens sic ait: « Ipse, Albertus scilicet, fuit princeps, « qui iusserit fratres sacramentalem confessionem cum « Priore Conventus semel in anno perficere, ut hac « ratione Pastor oves suas dignoscere valeret. Siqui- « dem si istae fortunae arbitrio permittantur, hoc est, « si nec Praelatus subditorum concientiam, moresque « cognoscere satagat, nec subditi salutari illo freno « cohibeantur, pudore videlicet detegendi Praelato in « poenitentiae sacramento admissas culpas; non levia

1 Regul. fus. tract. interrog. XLIV.
2 XI. XIV. XV.
3 Lib. III. cap. 46.

« hinc damna exoriri possent. Scio equidem in con-
« fessionibus sic peractis sua etiam damna inesse: ve-
« rum haec sine dubio sunt longe minora. Cumque in
« humanis rebus non omnia vitari queant incommoda,
« illud a nobis prudentiae virtus exposcit, ut minora
« semper eligamus. Quare hanc consuetudinem confi-
« tendi subinde statisque temporibus peccata Praelato
« usurpatam esse in Religionibus non paucis videmus;
« ut proinde dici debeat ad Religionum bonum et pru-
« denter excogitata, et sapienter imperata. » Hactenus fr. Ferdinandus. Tertio, quia aliquot summi Pontifices decretis suis firmarunt atque sanxerunt hanc Constitutionem. Inter Cisterciensium privilegia, tria in praesentem rem faciunt. Primum est numero XCV. a Pio II concessum anno MCCCCLIX pridie Nonas Augusti, Pontificatus anno primo, in quo de monasteriis *in commendam* alicui attributis disserens, sic (num. 7.) fatur: « Quamdiu monasteria vel loca ipsa in commendam
« tenebuntur, illorum monachi annualem dumtaxat
« faciant confessionem, et suum proprium eorum patri
« Visitatori, aut alicui ex quatuor primis revelent,
« seu tradant. » Secundum est numero CI, datum a Xysto IV anno MCCCCLXXV, IV Idus Martii, Pontificatus anno quinto, in quo Pontifex (num. 11.) sic inquit: « Et insuper, quod monachi, novitii, conversi
« et donati cuiuslibet ipsorum monasteriorum et lo-
« corum eiusdem Ordinis commendatorum, ut prae-
« fertur, semel in anno patri Abbati seu Commissariis

« praedictis de omnibus peccatis et excessibus per eos « et eorum quemlibet ab ultima confessione patri Ab- « bati seu Commissario praefatis facta, de commissis « et perpetratis confiteri integre debeant. » Tertium tandem privilegium est numero CIX, editum ab eodem Xysto anno MCCCCLXXXI, VI Calend. Iulias, Pontificatus anno decimo; in quo de omnibus Cisterciensis Ordinis Religiosis loquens verba haec signanter profert: videlicet quod virtute prudentissimae et maxime salutaris constitutionis, quae cum ipso Ordine nata ad praesentia usque tempora, hoc est, per trecentos continentes annos sancte custodita fuerat, tenentur praedicti Religiosi Praelato, vel alii, quem Praelatus loco suo nominaverit, confiteri quotannis culpas intra anni decursum commissas. Cumque alio suo Brevi quinquennium ante hoc, de quo loquimur, emisso concessisset iis omnibus, qui ad generale Capitulum se contulissent, facultatem eligendi sibi confessorem, qui eos a peccatis omnibus etiam reservatis absolveret, declarat denuo hac sua concessione, nequaquam sibi in animo esse eos eximere ab onere confessionem eorumdem peccatorum apud Praelatum suum iterandi: « Praefa- « tosque monachos ad confitendum semel in anno quo- « libet omnia peccata sua, ab ultima confessione il- « lorum Praelatis facta, iuxta formam dictorum statu- « torum, in omnibus et per omnia perinde adstrictos « fuisse et fore, ac si concessio praedicta a Nobis non « emanasset. » Iam vero cum haec regula et a tot tam-

que sanctis Fundatoribus Religionum constituta, et a Pontificibus confirmata fuerit, quis erit, qui tantum sibi arroget, ut reprehendere velit, quod homines sanctissimi instituerunt, et Christi Vicarii comprobarunt? Praesertim cum nemini vel imprudenti vel invito regula haec imponatur. Siquidem cum nos diximus, generales illas confessiones imperari posse non licite modo, sed sancte etiam Religiosis; eos homines denotare voluimus, quos minime fallebat hanc regulam extare in ea Religione, in quam cooptari poscebant, quique eamdem regulam observare sponte ac voluntarie professi sunt, ad maiora gratiarum lucra maioremque animae perfectionem acquirendam, ad quam perfectionem Religiosus quilibet eniti certe debet. In his itaque personis effatum illud valet: *Scienti ac volenti non fit iniuria*. Ceterum in Religionibus iis, in quibus praedicta Constitutio viget, Superiores semper habere prae oculis debent sapientissimum illud monitum, quod tradit s. Thomas [1] hisce verbis: « Peccaret sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri, quia multi sunt adeo infirmi « quod potius sine confessione morerentur, quam tali « sacerdoti confiterentur; unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem « sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, et per « consequens sibi ipsis. »

1 In 4.m dist. XVII. q. 3. art. 3. quaestiunc. 4. ad 6.

Nunc ad argumenta veniamus adversariorum. Dicimus ad primum, longe a Societate abesse periculum, quod ipsi obiiciunt. Nam nulla nos obligatio impellit ad peccata Superiori confitenda. Et si quis sua sponte ac boni spiritus instinctu id faciat, hic ostendit profecto ab illis suspicionibus, quae in argumento ponuntur, admittendis se alienissimum esse. Quamquam nec timores isti ac suspiciones, qnas adversarii opponunt, iusta causa esse possunt, quamobrem lex confitendi Superiori peccata in iis Religionibus abrogetur, in quibus constituta est. Siquidem lex haec sancta in se est, laudabilis, utilis ; timores vero ac pericula futilia sunt, nec probabili ulla ratione tenentur. Probe enim scient Superiores, sanctorum Ecclesiae doctorum ductum sequentes, quo pacto et quo tempore, cognitione, quam ex confessione hauserunt, uti possint ac debeant, non utique ad externam gubernationem, sed ad internum bonum Religionis atque adeo subditorum ipsorum: ita ut nec geratur aliquid, nec geri quis suspicetur, quod sigilli secretum, rem tantopere sacrosanctam ac inviolabilem, laedat. Atque hoc de Superioribus: ad subditos vero quod attinet, nemo erit, credo, animo tam perverso ac prave affecto, qui Superiorem suum talis sceleris velit insimulare, quale vix in solutissimo omnisque iuris immemori clerico credi posset. Ceterum ut in re tam gravi nulla negligeretur cura et cautio, voluit Pater noster Generalis Claudius Aquaviva, ut nemo nostrorum cognitione

per confessionem acquisita nullo prorsus modo uteretur, ne eo quidem, quo uti per doctores licet, quos citat Sotus [1], et Navarrus [2], et fusius p. Thomas Sanchez Societatis nostrae sacerdos [3] ; atque idem Generalis noster hoc edidit decretum : « Tametsi non de-
« sint Doctores qui sentiant, salvo sacramentalis con-
« fessionis sigillo, iustis de causis licere nonnunquam
« confessario (cum id fieri potest sine ulla revelatae
« confessionis suspicione) uti extra confessionem noti-
« tia per confessionem habita ; tamen quoniam haec do-
« ctrina, et eam exigit in tanta re circumspectionem,
« quam servare perdifficile sit, et interdum possit aliquo
« modo retardare subditorum libertatem, quam huius
« fori sanctitas, et nostrae Societatis Institutum requi-
« runt in seipsis, rebusque suis confessario aperiendis;
« idcirco visum est nobis in Domino statuere, sicut et
« severe statuimus, pro reverentia qua semper Socie-
« tas nostra coluit huius Sacramenti inviolabile sigil-
« lum et libertatem, ut omnes Superiores diligenter
« invigilent et caveant, ut vel ipsi vel nostrorum ali-
« quis, supradictam doctrinam unquam introducant,
« nec illam publice, aut privatim doceant, nec ea utan-
« tur ullo modo (nisi forte de poenitentis licentia); sed
« ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant con-

1 De ratione tegendi et detegendi secretum, membr. III. quaest. 4.

2 In cap. *Sacerdos,* de poenit. dist. 6. num. 135.

3 De matrim. tom. I. lib. III. disp. 16. q. 1.

« fessarii, ac si in confessione nihil penitus audivis-
« sent, sibique persuadeant, ut humanarum rerum
« regimen ab hoc Sacramento longissime distat, ita
« debere nullatenus ab eo pendere. Idib. Ianuar.
« M. D. XC. »

Ad secundam dicimus, sermonem hic esse de Religiosis, non autem de saecularibus. His enim certissimum est praeceptum imponi non posse peccata iterum confitendi, quae semel ac legitime confessi sunt, ut docet s. Thomas aliique theologi. Et sane ab hominibus arctius restringi non potest confessionis praeceptum, quod ad ius divinum pertinet, quam restrinxit Dominus, qui illud instituit. Sed prorsus contrario modo respondendum est, si de Religiosis agamus, tum quia longe magis, quam soluti fideles, tenentur christianam perfectionem sectari, praesidiaque usurpare, quae ad eam acquirendam valeant; tum maxime quia propriae voluntatis impulsu et vitae sanctioris desiderio onus in se receperunt illam, de qua nunc loquimur, Regulam caste integreque servandi. Quod ni faciant, in ea culpa poenaque necessario haerent, quas Regula eadem contra violatores suos statuit. Verum Superiores numquam illud obliviscantur, se esse parentes, subditos autem suos esse filios ; quos proinde benevolentia debent complecti, ac paterna auctoritate regere, non vero herili imperio, metu scilicet, minis, obiurgationibus terrere.

Doctrina hactenus explicata vera est, si res in se consideretur, et consuetudini attendatur, quae antea in Religionibus vigebat. At decursu temporis Sanctitas Clementis VIII, anno MDXCIV, VII Calend. Iun. decretum 1 in haec verba edidit: « Non liceat Superiori-« bus Regularium confessiones subditorum audire, ni-« si quando peccatum aliquod reservatum admiserint, « aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab « eis petierint. » Post nonnullas vero praescriptiones circa casuum reservationem datas adiungit Pontifex : « Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, « quicumque illi sint, observari mandavit, non ob-« stantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apo-« stolicis, ac cuiusvis Concilii, etiam generalis, De-« cretis, nec non consuetudinibus, etiam ab imme-« morabili tempore observatis, aut regulis in generali-« bus aut provincialibus Capitulis editis, Statutis et « Constitutionibus, etiam Apostolica auctoritate confir-« matis, privilegiis, indultis et concessionibus qui-« buscumque. » Atque in eodem hoc decreto haec verba subtexit : « Iam Superiores pro tempore exi-« stentes, quam confessarii qui postea ad superiori-« tatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissi-« me, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Con-« fessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem

1 *Sanctissimus Dominus*, §. 4. Exstat inter Ordinationes Generalium, cap. V.

« utantur. » Ex quibus verbis perspicuis satis eruitur, Superioribus Religionum a Pontifice iniungi, ne rebus, quas in confessione noverunt, ullo modo uti audeant extra confessionem; proinde erga subditum, exempli causa, cuius confessionem audierunt, sic se gerant, tamquam si non audissent. Atque hoc idem plane est, quod quatuor ante annis in Societate praeceperat Pater noster Generalis Claudius Aquaviva. Quod vero pontificium hoc decretum obligatorium sit, adnotarunt patres Franciscus Suarez [1], et Thomas Sanchez [2]: quorum uterque late hanc materiam explicant, citantque etiam auctores, qui sentiunt, confessorem posse uti notitia, quam ex confessione percepit, quique et casus et modum indicant, in quibus confessor potest. Ceterum qui plura scire velit, praedictos patres Franciscum Suarez et Thomam Sanchez adeat: quorum iudicio subiicio meum.

1 In 3. p. tom. IV. disp. XXXIII. sect. 7.
2 Loc. nuper cit.

CAPUT XXXIV.

De manifestandis Superiori aliorum defectibus, admonitione fraterna non ante adhibita.

Sed concedamus, dicet aliquis, quod ob rationes in superioribus capitibus allatas deceat, subditum Religiosum animae suae statum Superiori manifestare, tum ratione conscientiae suae reddenda, tum peccatis apud eumdem confitendis. Verum Constitutio illa, qua Societatis homines iubentur ad Superiorem deferre peccata gravia fratrum, non tentata prius fraterna atque evangelica correctione, nec clam praemonito, qui deliquit, nullo modo admitti posse videtur.

Primum, quia Christus Dominus noster praecepit, ne ad Ecclesiam deferatur peccatum alicuius, nisi prius remotis arbitris, deinde coram testibus de patrato crimine admoneatur 1. Et in cap. *Cum dilectus* de accusation. habentur haec verba : « Si vobis con-
« stiterit... praefatum Episcopum de iam dictis ex-
« cessibus non fuisse praemonitum ab iisdem,... a de-
« nunciatione repellatis eosdem. »

Secundo, fides secreti naturali iure servanda est. Igitur ab hac obligatione nulla solvi possumus ratione; nisi forte aut peccatum fratris alteri fratri sit fraudi,

1 Matth. XVIII. 15. 16. 17.

aut ordo teneatur, quem Christus Dominus secretorum legumque omnium potens praescripsit. Idque ex eo magis etiam apparet, quod si peccatum proximi nemini, etiamsi amicissimo, manifestari potest, ut docent s. Thomas [1], et Sotus [2] et Navarrus [3]; multo minus manifestari poterit Praelato, a quo graviorem subditus metuere potest animadversionem.

Tertio, Praelato inquirere non licet in peccatum occultum ab aliquo suo Religioso commissum, dummodo infamia absit: ergo ne subdito quidem licebit peccatum illud ei indicare.

Quarto, caritas, a qua correctio et reprehensio quaevis regulam ac normam desumere oportet, docet nos, solertium medicorum more, aegritudinibus fratrum nostrorum mederi minori, quam maxime fieri potest, eorum incommodo. Igitur si fratrum errata corrigere valeamus, absque ullo bonae existimationis, qua gaudent, detrimento, id praestare tenemur.

Quinto, affirmant complures Doctores non licere indicare Superiori peccatum alicuius fratris, si hic rediit ad se, resipuitque; vel si certa spes affulgeat, il-

1 Quodlib. XI. art. 13.

2 De ratione tegend. et deteg. secret., membr. II. q. 2. dub. 3.

3 Super cap. *Inter verba,* XI. q. 3. coroll. 59. num. 633. Hoc opus Navarri inscribitur: Commentaria aliquot . . . in utriusque fori praxi frequentissima, post eius obitum nuper reperta etc. Venet. apud Iuntas 1594.

lum propediem vitam esse emendaturum. Sanctus Thomas [1] de Religionibus loquens ait totum correctionis ordinem esse observandum, antequam peccatum fratris Superiori denuntietur. Adrianus [2] idem sentit: additque, ne tum quidem licere culpam alicuius Superiori significare, cum metus et periculum imminet, ne qui videtur resipuisse, recidat in eamdem culpam; nisi forte et periculum certissimum sit, et remedium a Superiore dandum necessarium. In eamdem sententiam abit Sylvester [3] dicens, sic omnino esse faciendum: « Si non esset probabile periculum de recidivo, « si esset aeque subditus, ut praelatus obviare posset. » Doctrinam hanc sequitur Summa Armilla [4]. Sotus et Corduba [5] observant crimen subditi Praelato denuntiari posse, si denuntiator certo praevideat, correctionem, quam ipse faceret, irritam esse futuram; aliter denuntiari non posse.

Sexto tandem, sic adversarii concludunt. Illud, quod Societas a suis postulat, ut videlicet iuri concedant fraternae correctionis, postulatio videtur esse nova admodum, difficillima, malorumque multorum funestum semen.

1 Quodlib. I. art. 16.

2 In 4.m pro sacram. confession. de fratern. correct.; et quodlib. quaest. XI. ad 4. diffic.

3 Summ. verb. *Denuntiatio*, §. 4.

4 Eod. verb. §. 2.

5 Relect. de tegendo secret. membr. 2. q. 2. conclus. 3. dub. 3.

Ut hanc supremi momenti difficultatem expediamus, probeque hanc Societatis Constitutionem intelligamus, primum declarandum nobis est, quid in hac re agat praecipiatque Societas; deinde summa aliquot capita examinanda sunt, ex quibus praedictae difficultatis perceptio ac solutio pendet.

Videndum igitur est, quid in primis agat Societas. Quid autem agat, hoc est. Paranti nomen Societati dare, primamque probationem agenti (quae ideo instituta est, ut Societatis candidati animum per dies aliquot colligant, pacateque considerent hinc negotii magnitudinem, quod obire aggrediuntur, inde suas vires, an huic perficiendo sufficiant) traditur Summarium Constitutionum ab eo servandarum: in quo regula sequens, quae numero nona est, continetur. « Ad « maiorem in spiritu profectum, et praecipue ad maio- « rem submissionem et humilitatem propriam, con- « tentus esse quisque debet, ut omnes errores et de- « fectus ipsius, et res quaecumque, quae notatae in « eo et observatae fuerint, Superioribus per quemvis, « qui extra confessionem eas acceperit, manifesten- « tur. » Quin imo hoc idem a candidato exigitur ante etiam, quam in tirocinium admittatur, quemadmodum in Examine cap. IV. §. 8. fieri praescribitur. Huius autem regulae praecipuus scopus est tironem ita comparare atque instruere, ut hic aequi bonique consulat, Superiori manifestari quaecumque ipse seu magna seu parva peccaverit, a quacumque persona, quae peccata

illa extra confessionem rescierit: ut sic comparatus animo humilitatem melius exerceat, modestiam, mortificationem, comprimatque quosvis irae simultatisque motus adversus eum, quem fortasse cognoverit sua crimina ad Superiorem detulisse. Nam licet verissimum sit, christianum quemlibet velle debere, ut proprii defectus Superiori suo detegantur, ob mandatum a Christo Domino in Evangelio nobis relictum; tamen perpauci inveniuntur, qui hoc mandatum non gravatim ferant, cum huius exsecutio adversus eos exerceatur. Idcirco beatus Parens noster hanc regulam statuit, voluitque, ut novitii interrogarentur, num parati contentique essent, ut sui defectus Superiori manifestarentur. Id autem voluit beatus Pater ad eum finem, ut tirones affecti sic animo adversus diaboli fraudes nequitiasque munirentur, quibus peti possent, cum errata sua ad Superiorem delata esse cognoscerent.

Hoc autem posito, affirmamus posse quemlibet iuri correctionis fraternae, quod possidet, concedere. Quod quidem rationibus, auctoritatibus, exemplisque comprobatur. Rationibus primum; quia unusquisque dominus est ac potens propriae famae; ad quam tuendam fraternae correctionis ordo institutus est. Christus enim, qui ordinem illum instituit, bonum hominis, qui corrigendus esset, sine dubio spectavit. Iam nullum est dubium, quin possit quisque ei rei nuncium remittere, quae in sui gratiam constituta est, ut constat ex cap. *Ad Apostolicam* de Regularibus. Quod si homo

peccatum suum, quantumvis grave ac clandestinum, potest Superiori suo licite significare; nulla ratio apparet, [cur non possit etiam facultatem alii impertire peccatum suum eidem Superiori significandi. Praeterea certum est, licere cuilibet renuntiare iuri naturali propriae vitae conservandae, nec a carcere publico, puta, evadendi, cum possit; etiamsi sciat, se iri mactatum, nisi aufugiat: quemadmodum fecisse accepimus saepe martyres Christi, qui cum e publicis vinculis eripere se possent, noluerunt tamen, ne forte caritas in fidelium pectoribus refrigesceret, vel aliqua infamiae macula religio Christi aspergeretur. Igitur si huic iuri potest quisquam renunciare, multo magis iuri renuntiare poterit famae suae tuendae, cuius ipse est verus Dominus, ob maiorem animae suae perfectionem, Religionisque suae utilitatem. Quod si Carthusianus, ut scribit Victoria [1], potest certae morti occurrere potius, quam carnes comedere, quarum esu sat probabiliter sanitatem recuperaret; idque eligit, ne unam ex praecipuis professionis suae regulis frangat; cur Religiosus renunciare iuri prohibebitur famae suae conservandae? Nec rationibus solum, sed auctoritatibus etiam propositio nostra firmatur multorum graviumque scriptorum, in quibus est s. Thomas [2] sic dicens: « (Cuiusque) sui arbitrii est detrimentum

1 Relect. IX. de temperantia.
2 2. 2. q. 73. art. 4. ad 1.

« suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum alio-
« rum. » Idem affirmant Adrianus [1], Sotus [2], Cor-
duba [3], aliique theologi complures. Novum huic do-
ctrinae firmamentum addit consideratio illa; quod,
iudice ordinario officium suum deserente, licet cuique
ad superiorem iudicem provocare, eumque adire, ut
ius suum obtineat [4]. Haec quamquam ita sint, imo ab
ipsa naturae lege suadeantur, nihilominus Religioso
non licet provocare, ut videre est in cap. *Ad nostram*,
et cap. *Reprehensibilis* de appellationibus. In Consti-
tutionibus s. Dominici, in eo loco ubi de Capitulo ge-
nerali agitur [5], habentur haec verba: « Declaramus,
« quod licet appellatio sit de iure naturali, unusquis-
« que potest iuri suo renuntiare, et eo ipso quod quis
« obedientiam sponte profitetur secundum constitutio-
« nes nostras, secundum quas, non licet appellare;
« ex hoc etiam renuntiat iuri sibi a natura competenti
« de appellatione, sicut et iuri possidendi aliquid ut
« proprium, et iuri ducendi uxorem, quibus natura
« omnes liberos fecit. » Hoc quidem modo citatur ab
Armilla superius decretum; sed in vulgatiore Consti-
tutionum s. Dominici libro hoc alio modo legitur [6]:

1 De restit. quaest. penult.
2 Relect. de tegend. secret. memb. I. quaest. 3.
3 Eod. loc.
4 Cf. Sotum, de iust. et iur. lib. V. q. 6. art. 3.
5 Dist. II. cap. VIII. §. 5. lit. *c*.
6 Dist. II. cap. VIII. num. 3.

« Appellationem intra nostrum Ordinem, sub intermi-
« natione anathematis fieri inhibemus, cum non ve-
« nerimus contendere, sed potius delicta corrigere ».
Et numero insequenti provocator ad carcerem damnatur per annos duodecim. P. Ferdinandus de Castillo frater Dominicanus, in secundo libro annalium suorum, capite tertio, verba faciens de illo Capitulo, quem suus Ordo Lutetiae Parisiorum celebravit anno MCCXXVIII, sic ait: « Ibi de appellationibus etiam
« deliberatio fuit; decretaeque sunt poenae gravissi-
« mae contra fratres appellare audentes. Nam, prose-
« quitur ipse, cum fratres religiosum statum am-
« plexi sint non utique ad lites intendendas, verum ad
« patientiam exercendam, exitialis profecto pestis in
« Religionem inveheretur, si ab ordinario Praelato,
« qui in fratrem peccantem animadvertit, ad superio-
« rem Praelatum per appellationem confugium esset.
« Cum enim talia subinde perpetrentur, quae reme-
« dium subitum ac praesens expostulant, nullamque
« moram patiantur, dato appellationibus loco, irreme-
« diabilis esset eorum curatio; siquidem sontes ap-
« pellando medicinam protraherent impedirentque,
« quae in praesens tantum utilis esset. » Pergit Ferdinandus hanc materiam prolixo sermone persequi, ostenditque posse quemquam iuri suo, et proinde appellandi iuri nuntium remittere. Addit postremo, appellationes a Bonifacio IX certis suis litteris sublatas fuisse anno MCCCII: item sublatas in generali Capi-

tulo Carcassonae habito anno MCCCXII; et in Constitutionibus a Sede Apostolica confirmatis anno MCCXXVIII, poena confixas excommunicationis *latae sententiae*. Huc usque fr. Ferdinandus. Et magister fr. Dominicus Bañes ex Ordine item Praedicatorum 1 loqui instituens de Religiosis, qui ex vi regulae tenentur renutiare iuri correctionis, haec dicit: « Ego non « video, quare non possint suo iuri renuntiare. Nam « cum unusquisque sit dominus suae famae, licitum « est illi pro suo bono spirituali illam amittere, apud « quem voluerit, secluso scandalo. Hoc enim (inquit) « non est dispensare in praecepto evangelico, aut po- « tius naturali servandi illum ordinem, sed est mutare « materiam praecepti. Nam tota ratio illius ordinis est, « ne fiat iniuria fratri corripiendo, infamando ipsum « plusquam oportet, ut corrigatur et emendetur. At « vero scienti et volenti non fit iniuria, quoniam ipse « dominus est propriae famae. » Hactenus hic auctor. Atque haec omnia satis superque ostendunt, licere iuri correctionis fraternae renuntiare.

Cum itaque huic iuri renuntiari possit, fuere nonnulli patres docti pariter ac graves, qui putarunt, nostros renuntiare tunc praedicto iuri, cum Societatem ingrediuntur, et regulam illam nonam, quam paulo ante retulimus, dicunt paratos esse servare: videlicet placere sibi, ut quaecumque ipsi deliquissent, supe-

1 In 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 2. conclus. 5. ad 7. argum.

riori deferantur a quocumque, qui ea extra confessionem rescivisset. Verum mea sententia est, quam tamen meliori subiicio, iuri fraternae correctionis in Societate non renuntiari. Primum, quia nulla extat constitutio, nulla declaratio, nulla regula, decretum Congregationis generalis nullum, quod eam rem iubeat. Iam cum res, de qua agitur, tam gravis sit, tamque praecipua, si voluntas Fundatoris totiusque Societatis fuisset, ut haec renunciatio perficeretur, hanc voluntatem suam aperte manifestassent, mentionemque huiusce renuntiationis fecissent; quemadmodum fecisse, paulo ante vidimus, Dominicanos fratres, qui disertissimis verbis coegerunt suos naturali iuri appellandi renuntiare. Nec certe putatur aliquis iuri suo concedere, nisi cessionem suam perspicue declaret. Secundo, quia complures vitae annos transegi cum beato Parente Ignatio, tribusque Generalibus, qui ei deinceps successere: totoque illo tempore numquam, ne verbum quidem, audivi, Societatem nona illa regula, quae tironibus proponitur, hoc velle, ut ipsi iuri fraternae correctionis renuntient. Tertio, quia praedicta regula, ut attente eam perlegenti patebit, illum alloquitur, qui ingressum petit in Societatem, eumque commonet animum suum ita conformare, ut ad maiorem humilitatis exercitationem ipse contentus sit, defectus suos Superiori manifestari a quolibet, qui eos extra confessionem cognovisset: non vero eum alloquitur, qui defectus illos ad Superiorem delaturus est;

nec formam illi praescribit, qua eosdem debeat deferre, num fraternam correctionem praemittat, num eam omittat; sed totum negotium Ordini remittit, quem Deus in Ecclesia sua instituit, et regulae, quam prudentia simul et caritas suggeret. Quare in eodem Constitutionum Summario post numerum nonum, in quo legitur memorata saepe regula, quae a nobis talem exigit animi dispositionem, ut contenti simus, Superiori errata nostra detegi; protinus in numero decimo alia adiicitur regula, quae docet nos modum, quo illa erratorum nostrorum manifestatio facienda sit, verbis sequentibus: « Boni etiam omnes consulant ab aliis « corrigi, et ad aliorum correctionem iuvare ac mani- « festare sese invicem sint parati, debito cum amore « et charitate, ad maiorem spiritus profectum: prae- « sertim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, « fuerit ita praescriptum aut interrogatum ad maio- « rem Dei gloriam. » E quibus verbis constat, hunc manifestandi modum remitti primum caritati; ait enim Regula: *debito cum amore et caritate;* secundum, voluntati Superioris; prosequitur enim regula: *praesertim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum, aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam.* Quarto, quia ut licite persolvamus id quod praecipit Societas, necessarium non est iuri renunciare fraternae correctionis. Quod vero ita sit, rationes insequentes ostendent.

Prima est, quia non Societas solum, sed reliquae etiam Religiones hanc in agendo normam sequuntur, ut, si Superior homo sit perfectionis evangelicae vere studiosus, prudens, benignus, uno verbo fidelis Christi minister atque imitator; contra qui peccavit, nihil de emendatione cogitet; imo rationabilis sit metus, ne in peccata relabatur, atque inde grave aliquod nocumentum vel privato alicui, vel toti corpori immineat; possint in hoc rerum statu crimina peccantis fratris Superiori manifestari, ut hic, qui pater est ac pastor, morbidam ovem sanitati restituat. Nec vero in hoc casu necesse est, ut manifestationem praecedat fraterna correctio. Immo scimus Religiones nonnullas hanc expresse regulam sibi decrevisse, ut Praelato defectus fratrum significentur. Smaragdus Abbas cap. XXIII. de Regula s. Benedicti decretum profert Abbatum Pauli ac Stephani, quod sic se habet: « Si quis alterum in qua-
« cumque parte viderit illicitum quidquam vel sermone
« vel opere facientem, et Priori distulerit publicare,
« cognoscat se esse nutritorem peccati et per omnia ae-
« qualem peccanti, quia et animae suae et illius est,
« quem tegit, purissimus inimicus. » Et cap. XXIV. dicit: « Si quis eum, qui districtionem monasterii non
« ferens, fugam meditari agnoverit, et non statim pro-
« diderit, perditionis illius participem non dubitet se
« esse; et tamdiu est a conventu fratrum sequestran-
« dus, quamdiu ille valeat revocari. » Et in Constitutionibus sancti Dominici, dist. I. cap. XVII. num. III.

habentur haec verba: « Ne autem vitia occultentur, « Praelato suo (quilibet frater) denuntiet quod viderit, « vel audierit. » Et in cap. XVIII. eiusdem distinctionis, in quo agitur de graviori culpa, haec sub num. VI. leguntur: « Si quis antem tale quid extra monasterium « commiserit, frater qui cum eo est studeat eius excessum Praelato quantocius corrigendum intimare. » In Constitutionibus Minorum, quae a Guilielmo Farinario digestae sunt, et approbatae in generali Capitulo habito, dum adhuc in terris ageret s. Bonaventura (cap. VII. §. 4), sequentia continentur: « Teneantur fratres per obedientiam exeuntes, in reditu suo « secrete Guardiano excessus notabiles intimare. Quod « si unus frater excessus alterius sciverit per duas « vias utpote per confessionem, et alium modum, non « propter hoc minus tenetur Guardiano dicere, quia « hoc nullo modo sigillo confessionis praeiudicat, quin « potius, si taceret, inobedientiae genus incurreret. » Et paulo post subiicitur ibidem: « Oppositum dogmatizare sententia totius Capituli generalis definitur « esse doctrinam non sanam sed pestiferam, quae cedere potest in detrimentum Ordinis et praeiudicium « regularis disciplinae. » Hic vero locum habet, quod scite adnotavit fr. Antonius de Corduba [1]: videlicet putandum non esse, tot, tamque sapientes ac sanctos viros rem praecepisse, quae a forma, quam Christus

1 Exposit. Regulae s. Franc. cap. X. q. 1.

in Evangelio praescripsit, dissentiret. Addam postremo, quod in tractatu nuncupato *Serena conscientia* 1 comperi factum fuisse a s. Bonaventura. Voluit vir Dei, ut doctrina huic, quam huc usque explanavimus, contraria, a sua Religione exularet, eique, qui eam traderent, libri magisteriumque adimerentur; et, si in proposito perseveraret, in carcerem detruderetur.

Secunda ratio est, quia Religiosus (de Religiosis enim, non de saecularibus sermo heic est) non ita studiose famae suae inservire debet, ut saecularis: nisi forte eius iactura exsisteret Religioni suae perniciosa, proximorumque saluti. Etenim Religiosi fama multo magis ad Religionem, quam ad se pertinet, adeo ut si Religiosus iniuriam aliquam patiatur, non possit privata auctoritate cum, a quo illam accepit, in iure persequi; has enim partes sibi vindicat monasterium, in quo vivit Religiosus, et cuius propria est Religiosorum suorum fama, ut ait Navarrus 2. Quod si Religiosus idem e monasterio absens in ius aliquem vocet, hic non iam suo, sed monasterii nomine id praestare censendus est, ut dicunt Panormitanus, Imola, et Felinus in cap. *Cum dilecta* de rescript. Huc accedit, quod damna, quae Religiosus sibi imminere ex eo timet, quod errata sua in notitiam deve-

1 Quaest. 86. et 100; ubi refertur quoque textus Farinarii modo cit.

2 De Regular. comm. II. in cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. num. 64.

niant Superioris, levia admodum sint, ac nullius aestimationis. Hac enim notitia Superior ad sanitatem subditi tamquam pius medicus, non ad punitionem, tamquam severus iudex, uti desiderat. Praeterea qui vitae perfectioris statum professi sunt, ii videntur quodammodo, ac tacite saltem, se obligasse ad ea omnia non modo non recusanda, sed alacri etiam animo suscipienda, quae efficacius perfectioni vitae acquirendae conferant: praesertim vero si haec perfectionis adiumenta consona sint cum Instituto, quod ipsi amplexi sunt. Atqui haec, de qua agimus, defectuum manifestatio Superiori facta mirifice cum Instituto Societatis consonat.

Tertia ratio est, quia multi sunt auctores, iique cordati, qui asserunt, id non posse modo, sed omnino debere fieri. Sic enim sentit s. Thomas, qui licet in *quodlibet* I. art. 16, dicat, aliena peccata non ante denuntianda esse Praelato, quam evangelica praeeat admonitio; tamen in *quodlibet* XI, artic. extremo declarat, istiusmodi denuntiationem fieri tunc posse cum Praelatus persona sit pietati dedita, ac prudetiae laude spectata; tunc enim: « Non dicit Ecclesiae, quia non « dicit ei sicut Praelato, sed sicut personae proficien- « ti ad correctionem proximi et emendam. » Concluditque s. Doctor, omnia huiusce generis negotia sola caritatis norma exigenda esse, illudque omnino faciendum quod caritati congruentius esse videbitur. Se-

quuntur eamdem doctrinam Sylvester [1], Tabiensis [2], s. Antoninus [3], Gabriel Biel [4]. Et sanctus Bonaventura [5] in illud Lucae XVII. 3. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum,* adnotat: « Ex quo datur « forma quod praelato qui vult prodesse, etiam nul- « la praecedente correctione, potest et debet culpa « proximi accusari extra iudicium si sit occulta: et in « iudicio, si habeatur probatio certa. » Eidem doctrinae adhaerent Rosella [6] et Richardus, qui dicit [7]: « Non tamen propter fratris correctionem factam per « secretam monitionem, teneor desistere a secreta de- « nunciatione praelato fienda, quia valet ad praecaven- « dum fratri a recidivo, nec est in famae fratris prae- « iudicium, si talis est praelatus qualis esse debet. » Atque ad secundum argumentum respondens, ubi disputat, utrum correctionis fraternae ordinem servare debeant Religiosi, monet: « Circa regulares personas « non est tanta necessitas hunc ordinem observandi. » Summa Astensis [8] Gualterum producens, virum auctoritate et scientia insignem, qui, ut Tritemius testatur,

1 Summ. verb. *Correctio*, q. 7.
2 Summ. verb. eod. §. 2.
3 Part. II. tit. IX. cap. 6. §. 4.
4 Canon. Missae, lect. LXXIV. litt. V.
5 Exposit. in Luc. XVII.
6 Summ. verb. *Inquisitio*, in princ.
7 In 4. dist. XIX. art. 3. q. 1.
8 Lib. II. tit. LXVII. art. 6.

abhinc trecentis annis monumenta doctrinae suae exarabat; contra ordinem fraternae correctionis morem opponit Religiosorum, qui ab eo ordine abscedunt, atque haec inter alia pronuntiat: « Huiusmodi forma « denunciationis, et inquisitionis, et ordo non sunt « usquequaque servanda circa regulares personas. » Hoc idem eruitur e postremis verbis Innocentii III, cap. *Qualiter et quando*, 2. de accusationibus: ubi Pontifex, ordine commemorato in accusatione, inquisitione, denunciatione servando, sic concludit: « Hunc « tamen ordinem circa regulares personas non credi- « mus usquequaque servandum, quae, cum causa re- « quirit, facilius et liberius a suis possint administra- « tionibus amoveri. » Non fallebat Pontificem, in Religionibus id, quod ipse praeceperat, minime custodiri; nam in iis ut in Religiosum aliquem inquireretur, necesse non erat, ut infamia praecederet, sicut in foro civili necesse est; nec denunciationem Praelato factam praeverteret, oportebat fraterna admonitio. Ceterum res plena severitatis videbatur esse Pontifici totque tamque sanctarum Congregationum usum condemnare. Hinc est quod in earum gratiam addidit citata nuper verba, quibus omnia remittit usibus et Constitutionibus cuiusvis Religionis. Quare Gualterus supra memoratus subiungit: « Et ideo modus cuiuslibet « Religionis est approbandus, si non est plane contra « Deum, et charitatem fraternam. » Praeterea idem Astensis iudicio fretus alterius sapientissimi doctoris

observat, in hac materia magis ad finem correctionis esse attendendum, qui in peccati emendatione consistit, quam ad ordinem, quo correctio facienda est. Idcirco si spes probabilior adsit, alterius potius, quam meam admonitionem revocaturam esse sontem ad meliorem frugem; huius peccatum ego sine dubio manifestare possum illi, quem ego aptiorem me ipso esse existimo ad hoc misericors officium persolvendum. Gerson [1] eadem verba allegat additque: « Item pec-
« catum, de quo frater peccans fuit secrete correptus
« seu admonitus, et de quo se emendavit, potest dici
« Praelato praecipienti per obedientiam. » Et quamvis Astensis et Gersonis sententia, utpote universalis, in universis valeat, in Religiosis tamen multo magis valet, tum quia Superior non tam iudex, quam pater est, tum ob ea insuper, quae in secunda ratione subiecimus. Angelus [2], eidem huic sententiae subscribit, affirmatque Doctores fere omnes Franciscani Ordinis, ad quem Angelus pertinebat, in hoc convenire, quod, etiamsi frater redierit ad se, eius tamen culpa Superiori manifestanda sit, praesertim si Superior hoc scire velle significet. Postremo fr. Bernardinus de Arevalo [3], hunc morem, quem ipse laudat, Religionibus attribuit, in quibus plerisque, nulla admonitione prae-

1 Part. II. tract. *de correptione proximi.*
2 Summ. angelic. verb. *Denunciatio,* §. 10.
3 Tractat. de correct. fratern. concl. III.

cedente, denuntiatio peccatorum Superiori facienda praescribitur, ut in prima ratione vidimus, adductis ss. Dominici et Francisci Constitutionibus.

Quarta ratio est, quia, si de haeresibus proditionibusque agatur, necessarium non est ordini stare correctionis fraternae. Iam si Christo in universum loquente, licet eius verba circumscribere ac limitare, et in regula, quae generalis est, exceptionem aliquam inserere; quidnam, quaeso, vetabit id in Religionibus fieri? Si aliquis dicendo instet, hoc concedi in Religionis reique publicae tutelam, pro quarum conservatione maior certe severitas adhibenda est; respondebo, hoc verum esse, aequitatique maxime convenire, ut huiusmodi severitas adhibeatur; sed simul reponam, maximum etiam Religionibus periculum impendere, neglectum scilicet incuriamque religiosae disciplinae, regularumque observantiae, quae Religionum ipsarum nervi ac spiritus sunt, nisi in iis debitae severitatis usus pervigeat. Nam Religiosus, qui labitur (fingamus eum non consuetudine labi, sed casu et improviso aliquo aestuantis animi impulsu), hic aegre admodum se recipiet, et a relabendo se continebit, nisi interventu hoc fiat Superioris, ut dicit Caietanus 1. Qui auctor postquam docuit, compertum alicuius criminis non debere indicare conscios, si nulla eos adhuc infamia perculerit; nec debere insuper, si delicti patratio

1 Opusculor. tom. I. tract. XXXI. respons. 5. ad 1.m

proxima quidem non sit, periculum tamen sit, ne patretur in posterum, dummodo (atque hoc bene notandum est) spes subsit, correctionem ad eorum emendationem profuturam esse, haec Caietanus subtexit: « Quod non facile credendum est de religiosis, praesertim huiusmodi sceleribus irretitis: sed dubitandum potius videtur, quod fingent se emendare. Et propterea tutius in huiusmodi casibus praelato potenti per se vel alium, et volenti salvare, non perdere oves suas, et curam famae proximorum soli-« to habere, ut pastorem decet, complices sive non « complices tales reo notos revelare. » Sic ille. Et quamvis de peccato proxime admittendo hic auctor loquatur, dubium non est, eadem de iterati lapsus periculo dici posse. Etenim si quis habitu atque inveterata animi pravitate peccat, difficillima esse solet istius curatio; si vero naturae fragilitate, adimantur ei occasiones oportet: quas nemo certe melius aptiusque amovebit, quam praelatus, si de subditi infirmitate edoctus sit; si vero non sit, non modo occasiones istas amovere non poterit, sed interdum in eas periclitantem subditum coniiciet eam, ut dixi, ob causam, quia subditi ignorat aegritudinem. Huc accedit, quod peccatum Religiosi toti Religioni plerumque obest ob infamiam, quam didita in vulgus peccati notitia parit. Hoc enim vulgares homines habent proprium, ut si improbum deprehendant Religiosum aliquem, ceteros etiam improbos esse perverse interpretentur,

ut ait s. Augustinus [1], et s. Bonaventura [2]. Gravissimo huic damno adde aliud non minus grave, quod aliunde Religioni accedit. Solet enim saepissime Deus totum Religionis corpus affligere ac divexare pro noxa licet occulta privati alicuius, ut observavit s. Basilius [3], producto Achani exemplo, de quo dixit Deus [4]: « Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare « coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc « contaminatus est scelere. » Atque idem Deus dixerat antea Iosue: « Non ero ultra vobiscum, donec con- « teratis eum, qui huius sceleris reus est. » Quare qui aliunde, quam ex sacramentali confessione peccata gravia atque occulta suorum fratrum noverunt, ea non dubitent Superiori indicare, ut opportune iis medicamenta adhibeat. Nec enim id facere caritatis ordine prohibentur, immo doctrina Sanctorum, quos ante produximus, vehementer incitantur. Quod ni faciant, videant etiam atque etiam, quid importunissimo silentio suo obtineant; nimirum ut noceant saluti fratris, cuius peccatum occultant; noceant praeterea toti communitati, quam universam pro culpa unius afflictam esse a

1 Epist. LXXVIII. *al.* 137. §. 6.

2 Determinat. quaest. circ. Regul. s. Franc. q. XVI.

3 Homil. 8. *in divites avaros*, iuxta ed. antiq.; in ed. maur. homil. VIII. *in famem et siccitat.* §. 3. collat. Regul. brev. tract. interr. XLVII; et serm. VII. *de peccato*, §. 8. in Append.

4 Iosue VII. 13.

Deo saepissimè videmus. Idcirco s. Basilius dixit: « Nemo sit ergo, qui peccato alterius latebras quae- « rat, ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi « conciliet. » Et s. Augustinus in sua Regula: « Nec « vos iudicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. « Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros « quos indicando corrigere potestis, tacendo perire « permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in « corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari: « nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer « indicaretur? Quanto ergo potius eum debes manife- « stare, ne deterius putrescat in corde? » Audiatur etiam s. Gregorius, ab Umberto citatus [1] super Regulam s. Augustini, sic inquiens: « Qui proximi ma- « la conspiciunt, et silentio premunt, quasi conspectis « vulneribus usum medicaminis subtrahunt: et eo « mortis auctores sunt, quo vulnus, quod curare pote- « rant, nolunt. » Et alibi: « Quaecumque loquendo « corrigi possunt, silentium consensum esse pertime- « scamus. » Et iterum: « Tot occidimus, quot ad « mortem ire tepidi et tacentes videmus. »

Quinta ratio est, quia si haec, de qua loquimur, denunciatio ante correctionem fraternam prohibita esset, sequeretur, ut omnibus fere denunciationibus obstrueretur in Religionibus locus. Nemo enim esset fa-

1 Cap. XCV: in Biblioth. PP. tom. XXV. pag. 614. ed. Lugdun. 1677.

cie adeo perfricta, ut clanculum ac misericorditer a fratre aliquo admonitus de culpa a se admissa, non polliceretur poenitentiam se acturum, moresque in melius conversurum. Quod si promissorum oblitus ad vomitum, ut aiunt, rediret, is enimvero omni ope curaret, ut peccatum, quod iterasset, lateret omnino admonitorem suum, ne forte denunciationem, ad quam in secundo hoc casu teneretur, Superiori faceret. Sequitur igitur, ut si haereticus et perduellis optimo iure indicantur, quamquam gravissimum sit damnum, quod hac denuntiatione famae vitaeque eorum infertur, poterit aequali iure, secreta correctione omissa, indicari Religiosus Praelato, cum et Praelatus parentem in hisce negotiis agat, et damnum, quo reus afficitur, levissimum sit, maxima contra utilitas, quae toti Religioni comparatur.

Sexta ratio est, quia fratris correctio ad eius emendationem dirigitur. Ideo si nulla spes sit, correctionem profuturam esse fini, quem respicit, fratris scilicet emendationi, iam desinit corrigendi obligatio, ut patet. Atque haec est ratio, quare multi ab hoc correctionis praecepto, quod affirmativum vocant, implendo liberentur. Verum si quis existimaret, quod alius maiori auctoritate ac dexteritate vir illud obtinere posset, quod ipse non potest; videlicet, quod sontem Religiosum consiliis adhortationibusque ad meliorem frugem reducere valeret; tunc, si quis, inquam, sic existimaret, deberet profecto hac remedii opportunitate uti, erran-

temque fratrem ministerio idonei huiusce viri admonere. At si hic idem existimet, neminem alium defungi melius posse hoc officio, quam Superiorem, tum quia est etiam pater, tum quia plurimum valet auctoritate; tunc Superiorem ipsum primo loco convenire fas est, eumque de fratris culpa certiorem facere, ut ait Abulensis [1], et ante eum s. Thomas [2]. Et cum subditus quivis possit ac debeat sic existimare, atque sentire, praesertim si Praelatus sit, qualem esse oportet, optime facit, si ambagibus omissis recta Superiorem vel potius parentem adit, eique peccatum fratris manifestat, ut ipse errantem tutius ac efficacius in aequitatis viam reducat, periculaque ac damna probabiliter in posterum eventura antevertat.

Septima ratio est, quia haec denunciandi ratio toti Religioni, cuius commune bonum privati cuiusvis bono praeponendum est, maximopere conducit. Cum enim subditi sciant, defectus suos, nulla secretae correctionis ratione habita, manifestari posse Superiori, hac scientia, veluti maximo freno, in officio continentur; atque ex hac Religiosorum continentia quantus in Religionem bonorum cumulus redundet, nemo non videt. Praeterea si hoc denunciationis genus absit a Religionibus, difficulter impediri potest ad peccata reversio. Siquidem Superior subditi sui imbecillitatem igno-

1 In Matth. XVIII. quaest. XCVIII.
2 Quodlib. XI. art. 13.

rans ea etiam ignorat, quae illi ad peccandum occasioni atque incitamento esse possunt. Adde, quod inter officia Superioris propria, illud sine dubio praecipuum est, ut mala praeveniat, arceat a subditis peccandi pericula, eosque ad virtutem formet ac provehat.

Octava et postrema ratio est, quod si cuiuscumque Religionis auctores consideremus, tum eos qui nostrae opinioni favent, tum eos, qui adversantur, inveniemus, illos quidem, qui a nobis sunt, gravitate, litteratura, sanctitate eminere, studioque ingenti flagrare, ut regularum observantia in suo robore constantissime permaneat; illos autem, qui contra nos stant, iuvenes, ut plurimum, esse, ac iuvenilia sapere; molliorem scilicet liberioremque vitam appetere, severiorem perfectioremque respuere, privatisque commodis, non autem Religionis communi bono adduci ad oppugnandam eam, quam nos tuemur, sententiam. Atque hinc etiam dignosci licet, utra opinio certior sit, tutior, salutarior.

Rationes, quas attulimus, licet ad omnes Religiones communiter faciant, maxime tamen faciunt ad nostram ob maiora, quae in ea insunt, peccandi pericula, nisi Superior vigilantiam in subditos suos intendat. Quemadmodum enim ex Instituto nostro debemus cum proximis conversari, ut eos Christo lucrifaciamus, aures fidelium confessionibus praebere, morientibus subsidia religionis ministrare, aliisque permultis ac diversissimis ministeriis perfungi; in quibus quot quan-

taeque ad peccandum illecebrae reperiantur, ignorat nemo ; sic omnino decet, ut Superior plenam subditorum suorum experientiam habeat, ne forte in discrimen se demergendi eos adducat, quos natandi peritissimos putabat, cum imperitissimi sint. Praeterea illa ad Societatis gubernationem tam necessaria subditorum Superioribus suis obtemperatio postulat hoc idem : maxime vero postulat bonum Societatis nomen atque existimatio, qua imbui fideles fas est, ut hi conscientias suas nostris detegere non dubitent, animasque suas iis secure committere, qui nihil aliud curare aut quaerere debent, quam animabus sibi commissis divitias salutis impertire. Et ideo necesse est, ut e stirpibus evellatur quidquid huic Societatis bono nomini officere queat, et ministeriorum nostrorum puritatem sanctitatemque offendere.

Haec, quae hactenus diximus, omnia ad caritatis normam constituta sunt, cum caritas, regula ac mensura omnium actionum nostrarum sit, vel certe esse debeat. Haec autem virtus docet nos famae primum fratris consulere, si id absque eius animae aut Religionis detrimento effici queat ; sin minus, commune bonum peculiari anteferre [1], salutemque atque animam fratris multo pluris facere, quam eius honorem, ceteraque externa bona. Siquidem quod maius est, minori semper est praeponendum, privataque res com-

1 Cap. *Licet* de Regular.

muni posthabenda. Secundum hanc eamdem caritatis regulam peragitur denuntiatio illa, de qua supra locuti sumus. Praescribitur enim, ut haec Praelato fiat, qui parentis potius, quam iudicis partes exsequi velit; et qui sit homo prudens, benignus, cautus, uno verbo pater. Et si talis sit, qualem esse decet, hic profecto meliore, quam fieri potest, modo subditi simul et Religionis suae solidae utilitati prospiciet.

Romae abhinc non multis annis expulsus fuit e Societate sacerdos quidam, postquam in eius cura operam oleumque perdere Superiores animadverterunt. Hic ut iniuriam, quam accepisse putaverat, ulcisceretur, in lucem edidit summam casuum conscientiae, quos a p. Toleto audierat. In hac summa temerarius scriptor acriter carpebat regulam illam Societatis, in qua nobis praecipitur, ut ad Superiorem deferamus defectus fratrum, correctione fraterna posthabita. Id cum ad aures accidisset Gregorii XIII, voluit hic Pontifex, ut ad se Societatis regula afferretur. Quam cum attentissime perlegisset, expendisseque, eam tamquam columen esse religiosae vitae ac disciplinae pronuntiavit: in primis vero laudavit amplissime verba illa [1]: *debito cum amore et caritate*. Quare iussit e praedicta summa expungi partem illam, quae regulam nostram oppugnat, tamquam doctrinam falsam ac perniciosam.

1 Summar. reg. 10.

Sed iam tempus nos monet, ut ad contraria argumenta respondeamus. Ad primum negamus fraternae correctionis praeceptum in illis Christi verbis inniti: « Si peccaverit in te frater tuus. » Nam licet verum sit, quod ab aliquibus veterum Doctorum illa verba in hunc sensum citentur, et in his a s. Thoma 2. 2. q. XXXIII; tamen sancti Chrysostomus [1], Basilius [2], Hilarius [3], Ambrosius [4], Augustinus [5], Gregorius [6], Hieronymus et ipse s. Thomas, quem sequitur Caietanus, in Matth. XVIII, Armacanus [7], Innocentius III, cap. *Novit ille* de iudiciis, et cap. *Cum ex iniuncto* de haereticis, Theophilactus et utraque Glossa in eadem verba Matthaei, sic eadem Christi verba accipiunt, ut haec significent peccatum, quod in eum ipsum, qui denuntiat, committitur: itaque dictum illud: *Si peccaverint in te* . . . , idem valet ac *si peccaverit contra te*. Hisce verbis ita intellectis liquet, eum, qui laeditur, minime praecepto teneri admonere prius violatorem suum, sed

1 In Matth. homil. LX. *al.* LXI; et homil. LXX. ad popul. antioch. iuxta ed. Paris. 1581. In ed. maurin. extat *in epist. ad Hebraeos cap. II. hom.* IV. §. 6.

2 Reg. brev. tract. interr. CCXXXII. et fus. tract. interr. IX.

3 In Matth. cap. XVIII. §. 7.

4 In cap. XVII. Lucae, lib. VIII. §. 21.

5 Serm. LXXXII. *al.* 16. de verbis Domini.

6 Reg. epist. lib. V. ep. 18. *al.* lib. IV. ep. 38.

7 Summ. in quaest. Armenor. lib. VII. cap. 9.

posse protinus ac recta adire iudicem, iusque suum ab eo repetere. Praedicta igitur evangelica verba, si in eum sensum, quem modo explicavimus, sumantur, nullam praecepti vim, sed tantum consilii rationem continent. Aliunde vero fraternae correctionis praeceptum desumitur, scilicet a iure naturali, atque a caritatis lege, quae nos iubet ita emendationem fratris procurare, ut damnum quodvis, quam maxime fieri potest ab eo avertamus, modumque in medicina porrigenda adhibeamus, quem meliorem ac convenientiorem esse iudicaverimus.

Quod vero Christus Dominus in saepe citato loco loqui voluerit de peccato, quod directe nos petit, aperte constat, ni fallor, ex capite XVII. sancti Lucae: « Si « peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poe- « nitentiam egerit, dimitte illi; » et ex capite XVIII. sancti Matthaei, ubi Petrus postquam audivit: « Si pec- « caverit in te frater tuus etc. » Dominum sciscitatur: « Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? » Non tamen hinc sequitur, ut nos a correctione fraterna temperare debeamus in alienis iniuriis. Nam licet Dominus noster de iniuriis, quas ipsi accepimus, loquatur, non tamen illas, quas alii patiuntur, exclusisse dicendus est. Quas fortasse divinus Magister non commemoravit, quia commemorare supervacaneum fuit. Siquidem cum iniuriae nobis, non vero aliis illatae soleant in pectoribus nostris irarum aestus concitare; qui moderate in suis offensionibus se gerit, multo mo-

deratius se geret in alienis. Quod si nihilominus quis in dicendo perstet, correctionis fraternae praeceptum in Christi Domini nostri verbis fundari, interpretans voculas *in te*, veluti si diceretur *sciente te;* respondeo cum Astense et Gersone 1, in aliquibus praeceptis formam verborum ita sancte esse servandam, tamquam si forma esset sacramentorum, in aliquibus contra ad sensum magis in verbis contentum, quam ad verba ipsa esse attendendum: huiusmodi autem esse correctionis praeceptum, quod ad fratris emendationem obtinendam tendit. Quocirca in eo corrigendo rationem illam sequi debemus, quae accommodatior ad id esse videbitur, magis intuentes finem praecepti, quam verba, quibus praeceptum exprimitur.

Ad caput *Cum dilectus* contra nos productum dicimus, sermonem esse in eo capite de publica et forensi denunciatione, in qua, ut plurimum, correctio privata fratris praecedere debet: nos vero loqui de mitissima illa denunciatione, quae Superiori fit tamquam parenti.

Ad secundum argumentum respondemus, illud quidem ab insita naturae lege nos habere, ut secretum custodiamus; habere tamen sub ea conditione, ne secreti conservatio in perniciem vertatur vel privati alicuius, vel totius communitatis, vel tandem animae fratris, in cuius gratiam secretum servatur. Si enim

1 Locis sup. cit.

huiusmodi damna adessent, tunc non contra naturae ius, sed e iure prorsus naturali esset secretum patefacere. Quemadmodum dicendus esset secundum naturae legis praescripta agere, qui non manifestaret quidem alteri, quamvis amicissimo, alienum peccatum, si haec manifestatio nihil ad emendationem conferret; manifestaret autem alii, quamvis ignoto, si hic peccantis emendationem promovere valeret. Quod si huic ob causam, quam diximus, manifestari potest peccatum alterius, multo magis poterit manifestari Superiori, qui ob rationes ante expositas putandus est maxime salutare ac idoneum allaturus esse malo remedium.

Ad tertium respondemus, non posse quidem Praelatum iudicum ritu iuridicam instituere quaestionem, nec in occultum subditi sui peccatum inquirere, praesertim si famae subditi nulla ignominiae nota impressa sit: quo in casu etiam nemini scienti peccatum illius occultum manifestare licet. At si Praelatus non iam iudicem, sed patrem se esse meminerit, velitque suorum mores ac vitam cognoscere, non quidem forensi strepitu et forma iudiciali, sed caute ac prudenter, desiderio nimirum impulsus vulneribus filiorum internis medendi, id non licite modo, sed sancte etiam efficere potest. Cui etiam et licite et sancte a quocumque denuntiantur peccata filiorum suorum atque defectus, nulla praecedentis correctionis ratione habita. Atque hic mos viguit semper, vigebitque posthac inter personas, quae vere

metuunt Deum, atque in perfectionis semita student proficere.

Ad quartum respondemus, verum quidem esse, quod caritas norma sit, oporteat, ad quam et haec, quae diximus, et cetera, quae in argumento dicuntur, exigi debent. Verum eadem caritatis virtus nos edocet pluris aestimare communitatis, quam privati alicuius bonum; pluris conscientiam fratris, quam famam; pluris reversionem istius ad meliorem mentem, plurisque divinae amicitiae ab eo recuperatae pretiosissimum munus, quam quaevis alia bona in opinione hominum sita.

Ad quintum dicimus, a s. Thoma agi de denunciatione, quae fit Praelato, tamquam iudici tum in loco adducto, tum in 2. 2. quaest. XXXIII. art. 7. ad 4.^{m} et 5.^{m}; ubi ait, Religiosum, ante quam Praelato denuntiet peccatum fratris, debere eum praemonere, non pensi habentem praeceptum quodvis, quod prohiberet hunc ordinem servari. Verum haec omnia intelligenda sunt de publica et iuridica, non vero de secreta ac paterna denunciatione, ut e primis verbis apparet in corpore articuli positis: « Respondeo. Dicen« dum quod circa publicam denunciationem peccato« rum distinguendum est. » Et e postremis responsionis ad 4.^{m}, ubi dicit s. Doctor: « Contra praeceptum « Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fra« tris publicaret. » Dubium igitur esse non potest, quin s. Thomas de publica hic agat, non vero de illa

misericordi ac paterna denunciatione, de qua nos agimus. De hac agit s. Doctor in *quodlibet* XI. art. 13., atque ita, ut eius sententia nostrae mirum in modum faveat. Ait enim, in hoc correctionis negotio perpendi oportere conditiones tum subditi tum Praelati; et, si spes sit, quod frater admonitionem meam auditurus sit, moresque correcturus, debere me admonitoris officium praestare; si vero videatur Praelatus feliciore successu emendationi fratris consulturus, propterea quod sit vir pius, prudens, comis, spiritualis; tunc plane mihi licere defectum fratris ad Praelatum nulla praemissa admonitione deferre. Additque: « Et tunc non dicit « Ecclesiae, quia non dicit ei sicut Praelato, sed si- « cut personae proficienti ad correctionem proximi « et emendam; » quemadmodom et nos supra diximus. Consimili modo explicandi sunt auctores, qui in hoc quinto argumento ab adversariis adducuntur. Unde opiniones ambae, quae oppositae esse et pugnare secum videntur, tales profecto non sunt, si ita, ut nos declaravimus, explicentur. Altera enim de denunciatione loquitur, quae fit Praelato, ut iudici; altera vero denunciationem respicit, quae ad Praelatum, tamquam ad parentem defertur.

Ad sextum et postremum argumentum responsum hoc esto: Societatem a se non abdicare ius fraternae correctionis, ut affirmant: nisi dicendum sit nos hoc ius repudiare, cum proponimus iis qui Societatem ingrediuntur nonam regulam, quam supra retulimus et

saepius tempore tirocinii in mentem revocamus, scilicet oportere « quemque contentum esse, ut omnes errores et defectus ipsius, et res quaecumque, quae « notatae in eo et observatae fuerint, Superioribus « per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, « manifestentur, » prout declaratum est. Quamvis vero Societas aperte hoc iure cederet, nil novi esset nec durius, quam quod praestat Ordo s. Dominici, cum repudiat naturale ius appellationis, et alia quae ad idem quaestionis caput referuntur.

P. Magister Alphonsus Salmeron, vir Societatis nostrae apprime doctus, unusque Sociorum, quos beatus Parens noster Ignatius sibi primum adiunxit, in quarto libro commentariorum suorum super Evangeliis, postquam examinavit eorum sententiam, qui affirmant ex Matth. cap. XVIII. praeceptum nobis imponi correctionis fraternae, ostendit Salmeron (part. III. tract. II.) nullum in evangelicis illis verbis contineri praeceptum; sed sermonem ibi esse de iniuriis, quae nobismetipsis, non vero aliis, inferuntur. Quod si praeceptum re vera continerent, nosque eum ordinem semper et ad amussim servare deberemus, quem verba Salvatoris nostri (Matth. XVIII.) praescribunt; illud saepe fieret, ut hoc praeceptum esset plus aequo onerosum, obscurum, animabus religiosioribus offendiculum, et interdum etiam gravissimorum malorum funesta occasio. Nam haereticorum multi, si antequam eorum nomina ad Sancti Officii tribunal deferrentur, admonendi

essent, hoc tantummodo obtineretur, ut ipsi tectius venenum suum perfunderent; non vero ut perfundere cessarent. Item in religiosis familiis multa admitterentur foeda, contagiosa peccata, cum incredibili earumdem Religionum damno, si ante secretam correctionem manifestari Superiori tamquam patri non possent. Eadem mala comploranda essent in gubernatione tum ecclesiastica, tum civili; et magistratus ad coercendos improborum conatus praesentissimo adiumento carerent. Denique Salmeron tres regulas statuit, quas in fraternae correctionis usu prae oculis semper habere fas est. Primum, ut bonum commune pluris a nobis pendatur, quam privatum. Secundo, ut fratris animae bonum eiusdem famae ac bonae opinioni anteferatur. Tertio, ut duabus hisce rebus in tuto, ut ita dicam, collocatis, plurima habeatur ratio honoris atque existimationis, qua gaudet frater. Ad hoc enim praestandum officium Deus, naturae lex, caritas compellit.

CAPUT XXXV.

De casibus reservatis.

Casus etiam in Societate nostra reservati, a quibus subditi absolvi nequeunt nisi a Superiore, aut ab eo, quem ipse delegat, materiam Societatis criminandae adversariis praebent. Dicunt enim reservari in So-

cietate peccata omnia letalia, actu consummata, externa et cognita: sed huiusmodi reservationem rem esse rigoris plenam, et iugum humanae infirmitati vix tolerabile. Quantumvis enim Congregatio aliqua sanctitatis laude florescat, hoc semper tamen usuvenire videmus, ut, ubi sunt multi, nonnulli ibi inveniantur infirmi, nec satis Deum metuentes.

Ut consuetudinem hanc nostram tueamur, atque ab omni difficultate expediamus, dico primum, a nemine Societatem iure posse reprehendi eo quod casus habeat reservatos: omnes enim religiosi Ordines habent; habent Episcopi in suis dioecesibus; habet summus Pontifex in tota Ecclesia. Constat enim aliquot exstare insignioris improbitatis casus, a quibus nemo potest liberare, nisi Pontificis Sanctitas, aut is, quem eadem Sanctitas ad id delegarit. Atque, ut rectissime observavit Concilium Tridentinum [1], hoc necessarium fuit ad audaciores coercendos, ne videlicet isti ferocientium equorum instar per omnia scelera perrumperent. Dico secundum, quod ad rectum iudicium de casuum reservatione ferendum in Religiones inducta, statui, in quo Religiones ipsae versantur, attendendum est. Nam si in iis studium Deo serviendi, regulasque observandi caleat, plures et de rebus minus seriis reservari possunt casus. Nam si perfectionis desiderium, solidaeque pietatis spiritus corpus Religio-

1 Sess. XIV. cap. 7.

nis informet ac regat, quodvis onus tunc facile ac leve fit ferentibus : at si desit haec Sancti Spiritus unctio, hoc est, si disciplinae rigor divinaeque caritatis ardor languescat, tunc sane expedit, ne plura reserventur in sic affecta Religione, nec alia, quam quae robustiorem malitiam continent. Dico tertio, quod ad rite iudicandum, num recte, nec ne, constitutum sit, quod Societas in reservatione casuum decrevit, primum investigare debemus, quid ipsa in hac re agat, idque conferre cum eo, quod aliae faciunt Religiones.

In Constitutionibus nostris 1 legimus, confessorem domus noscere oportere casus Superiori reservatos : deinde verba haec sequuntur : « Illi autem reserva- « buntur, quos ab eo cognosci necessarium videbitur, « aut valde conveniens, quo melius et remedium adhi- « bere possit, et suae curae commissos praeservare « ab omnibus, quae nocitura sunt. » Nihil aliud praeterea Constitutiones nostrae specialius continent de casibus reservatis. Apud nos autem solemne hoc est, ut solus Praepositus Generalis declarare possit hos casus, aut eos augere vel minuere. Sic scimus eos a beato Parente nostro Ignatio reservatos fuisse ; et a Patre Magistro Laynez, qui Patri nostro in generali Societatis administratione successit, enucleatius declaratos, atque recusos. Secunda vero generalis Congregatio eosdem approbavit, ut videre licet

1 Part. III. cap. I. §. 11.

in quarto canone illius Congregationis, in qua statutum fuit, solum Praepositum Generalem, excluso penitus omni alio, qui infra Generalem sit, Superiore, reservare posse in Societate casus. Unde apparet in hac reservatorum casuum materia Societatem lenius agere, quam complures alias Religiones. In istis enim non solum Priores, Magistri, aut Ministri generales, verum etiam Provinciales, immo Superiores loci reservationem casuum subditis indicere possunt. Ad haec in eorumdem casuum reservatione rigiditate maiori utuntur, quam apud nos assolet. Huiusce rei documento sint *definitiones* Congregationis s. Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis. In his (cap. XVII.) Abbati Conceditur ius reservandi casus: si quis alterius sodalis cellam ingrediatur; vel si populari alicui praebeat aliquid absque Abbatis consensu; vel significet alieno Abbatis, Monasterii, Ordinis non evulganda; vel si tradat aut accipiat sine Abbatis permissu litteras apertas vel obsignatas. Constitutiones pariter Carthusianorum reservant mortale quodvis peccatum opere externo commissum, idque multo severius quam Societas faciat, ut ex Gersone [1] apparet, Constitutionem referente, in qua dicta reservatio hisce verbis praecipitur. « Non dicitur quod omnis mortalis culpa sit « Maiori reservata in foro confessionis, sed quod gra-

1 Tom. II. part. I. de Statuto Carthus. pag. 461. edit. Antwerp. 1706.

« vis culpa. » Et Ugo a sancto Victore ait [1]: « In fa-
« cienda autem confessione talis discretio esse debet,
« ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequa-
« libus confiteamur, ut orationibus pro invicem factis
« salvemur. Porro gravioris leprae immunditiam sa-
« cerdoti, id est nostro summo Praelato, scilicet Ab-
« bati pandere debemus, ut ad eius arbitrium iustifi-
« cari curemus. » Regula s. Francisci in capite septimo praescribit, ut fratres, mortifera aliqua culpa commaculati, Provincialem adeant. Et quamquam culpae genus non indicetur, tamen in apposita praedictae regulae explanatione hoc habetur: Provincialem cum suo Provinciali Capitulo reservare posse illa peccata, quae ipsi digna hac poena esse videbuntur. Novae Constitutiones Ordinis fratrum eremitarum s. Augustini, Salmanticensibus typis impressae anno dominico MDLXXXXI, ubi de casibus agunt reservatis [2], sequentia continent: « Casus vero, a quibus nullus confessor aliquem fra-
« trem Ordinis nostri absolvere potest, sine speciali
« Prioris licentia, hi sunt, videlicet: furtum de re no-
« tabili; sive res ablata communis sit, sive alicuius
« usui deputata: voluntarius omnis lapsus carnis:
« coniuratio omnis et conspiratio: simonia tam in dan-
« te, quam in accipiente: percussio ex animo delibe-
« rato facta: incendium: et si quem contigerit sine

1 Institut. monast. serm. LIII.
2 Part. I. cap. 8.

« licentia extra loci septa de nocte exire: apostasiam « committere, vel alicui persuadere: et quaecumque « alia, vel Prior Generalis vel Provincialis, aut etiam « localis (de consensu tamen patrum consilii sui Con- « ventus) sibi reservanda duxerit. A quibus si quis « alium absolverit absque licentia reservantis, praeter- « quam quod absolutio nulla erit, absolvens ipse, ac « si crimen illud commisisset, puniatur, si fuerit suo- « met ore de eo convictus. » Quod quidem, ut patet, plus habet rigoris, quam quod Societas in hac re sanxit: nam apud Augustinianos Superior loci alicuius aliquot sibi potest reservare casus; apud nos nulli alii Superiorum id licet facere, quam soli Praeposito Generali. Eamdem in reservatione casuum disciplinam ac severitatem vigere accepi apud Caelestinos in Galliis degentes, quorum eximiam in suarum regularum observantia fidem verissima fama concelebrat. Enimvero longe a veritate aberraret, qui diceret, huiusmodi reservationibus offendicula conscientiis parari: cum potius dicendum sit, constitutas eas a sanctissimis viris fuisse ob eam causam, ut infirmiores salutari hoc metu ac pudore a peccando se continerent. Quod si aliquis humanae fragilitalis documentum aliquod ederet, foedeque laberetur, huic profecto dextera comiter esset porrigenda, ut a lapsu se relevaret. Postulat enim caritas, ut ante oculos mentis nostrae versetur semper correctio ac emendatio fratris, Religionis ipsius conservatio, divinae gloriae in omnibus incrementum.

Atque hic est agendi modus ; quem in casibus reservandis tum Societas tum aliae Religiones ab initiis usque suis tenuere, lora, ut ita dicam, nunc adducentes, modo remittentes in hoc reservationis negotio, prout uniuscuiusque Instituti ratio, subditorum conditio, maior minorve necessitatis vis suadebat. Sed anno MDXCIII, VII. Cal. Iun. Sanctitas Clementis VIII decretum Religionibus omnibus commune edidit [1], in quo sequentia reservat : « Veneficia, incantationes, sortilegia. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio. Nocturna ac furtiva e Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto. Falsificatio manus aut sigilli officialium Monasterii aut Conventus. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiusque personae. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Supe-

1 Extat apud Novarium, Summar. Bullar. part. II. comment. 35.

« rioribus ad inferiores et ab inferioribus ad Superio-
« res. Si quod aliud praeterea peccatum grave pro
« Religionis conservatione, aut pro conscientiae puri-
« tate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam
« generalis Capituli in toto Ordine, aut provincialis in
« provincia matura discussione et consensu. » Hoc mo-
do se habet Pontificium decretum. Ad cuius mentem
in Congregatione generali quinta Societatis nostrae
(Decr. LI.) reservati sunt casus, qui sequuntur: « Pri-
« mo, periurium et falsum testimonium in iudicio vel
« extra. Secundo, furtum, et usurpatio seu appropria-
« tio alicuius rei contra votum paupertatis, in ea quan-
« titate, quae efficiat peccatum mortale. Tertio, lapsus
« carnis voluntarius, et quidquid est contra votum
« castitatis, quod quidem in actum externum prodeat.
« Quarto, inobedientia expressa, qua quis asserit se
« nolle parere. Quinto, seditio in Superiorem, et divi-
« sio a capite, in grave nocumentum Societatis. Sexto,
« detractio famae, bonaequae existimationis aliorum,
« et discordiarum seminatio inter fratres. Septimo, im-
« pedimentum excludens a Societate reticuisse in exa-
« mine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod
« incommodum oriri possit. Octavo, acceptio, seu mis-
« sio litterarum absque licentia expressa, quae scilicet
« acceptio, et missio contineat rationem peccati mor-
« talis. Ab his casibus non licet, absque expressa li-
« centia Superioris Domus vel Collegii, absolvere; cum
« nempe manifeste sunt peccata mortalia et in actum

« externum prodeuntia. » Isti sunt casus in Societate nostra reservati, auctoritate et edicto Congregationis generalis quintae. Quae nunc post decretum Sanctitatis Clementis VIII sola potest in Societate casus reservare; non vero potest Congregatio nostra provincialis: quamquam apud alias Religiones potestas haec provincialibus conventibus concessa sit. Quod si quis dicat, Superiores Societatis aegre admodum ad hoc adduci, ut subdito, qui aliquo casu reservato irretitus sit, copiam faciant sacramentalis confessionis cum alio sacerdote peragendae, ut reservati criminis absolutionem ab eo obtineat; respondeo, non bene ab eo, qui talia obiicit, Superiores nostros cognosci. Etenim quando istiusmodi necessitas adesset (quam tamen summa Domini bonitate fieri speramus aut numquam, aut perraro adfuturam esse), non ignorant Superiores nostri esse etiam patres, illaque medicina sic uti, non ut venenum aegrotanti subdito infundant, sed ut sanitati eum restituant, vel a morbi periculo defendant, vel saltem, ubi istius complorata sit salus, ut a putris unius membri contagione reliquum Religionis corpus tueantur. Quamobrem haec regula videtur a Superioribus nostris esse servanda: ut ex qua parte in subditorum regimine numquam dormitent, nec habenas e manibus elabi patiantur: ne forte homines nostri relicti sibi inter tot tamque periculosas ministeriorum, quae ipsi exercent, occasiones lapsent, ruinamque faciant; ex altera vero parte non ita duriter ac aspere

se gerant, ut subditi angustiis ac moerore animi conficiantur. Quin si eveniat, ut Religiosus aliquis, quae humana infirmitas est, misere cadat, ne tum quidem paternae caritatis suavitatisque immemores esse debent Superiores. Probabilis enim spes est, ut tanta bonitate permotus, qui peccavit, consilia et monita Superioris vel potius patris sui perficiat, animum viresque a lapsu ipso resumat, caveatque sibi in posterum a praeteritis casibus renovandis. Ceterum cum Religio nostra nec longe absit ab incunabulis suis, et desiderio perfectionis suae (sic Deo minimam familiam suam benigne intuente) teneatur, cumque ea Superiorum sit cum subditis suis gubernatio, qualis esse solet parentum cum filiis; hinc fit, ut hoc reservationis negotium non ita nobis, ut fortasse aliorum Ordinum Religiosis, molestiam ingerat.

CAPUT XXXVI.

Cur nostri in foris concionentur.

Nonnulli Societatem incusant eo quod habeat conciones per compita et plateas; dicuntque, id ab ea fieri non aliam ob causam, nisi quod novitatem in omnibus affectet, renuatque se ad alias Religiones conformare. Cumque templa et multa et perampla condita sint eo consilio, ut illuc fideles confluant, ibique commode, decenter, sine strepitu divinum verbum ex-

audiant, nos egregio illo nostro invento eos inde deducimus atque avocamus ; verbaque ad populum facientes in locis publicis, clamorumque ac tumultus plenis, aerem verberamus nullumque fructum percipimus: siquidem ne audiatur quidem, quod ipsi dicimus. Accedit, quod, qui circumstant, saltem bona pars, ad omnia alia quam ad concionatorem animum advertant; et si advertunt, id hoc animo faciunt, ut ei illudant, et tamquam circulatorem, blateronemque aliquem contemnant. Unde fit, ut verbum Dei auro gemmisque pretiosius, ut loquitur Propheta [1], tamquam merx despicatissima vituperetur.

Ad haec respondemus ; primum, quidquid Societas gerere aggreditur, id omne non sine Apostolicae Sedis auctoritate gerere ; a qua facultatem accepit non in templis modo concionandi, verum etiam in viis, plateis, quocumque in loco, ut ex privilegiis Litterisque apostolicis constat, et maxime ex illis, quas Paulus III dedit III. Non. Iunias anno MDXLV ; in quibus sic dicitur : « Cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, et per « vestrae Societatis Praepositum, pro tempore exi- « stentem, deputatus fuerit, in quibusvis Ecclesiis et « locis ac plateis communibus seu publicis, et alias « ubique locorum, clero et populo verbum Dei prae- « dicandi, proponendi et interpretandi... plenam et li- « beram facultatem auctoritate Apostolica per prae-

1 Psal. XVIII. 11.

« sentes ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplaci-
« tum concedimus. »

Respondemus secundo, hoc eodem privilegio donatos fuisse fratres Dominicanos et Franciscales a Clemente V, in Clementina *Dudum* de sepulturis; et a Benedicto XI in extravag. *Inter cunctas* de privilegiis; et a Xysto IV, ut in Compendio privilegiorum Mendicantibus concessorum videre est [1]; idem pariter privilegium Carmelitas sodales obtinuisse a Ioanne XXII, uti referunt Cardinalis Zabarella [2], et Ioannes Andreas [3]. Manifestum itaque est, novum non esse hoc privilegium, nec eius usum; sed ad omnes aeque Mendicantes pertinere. Iam Societas Mendicantium Religio est, quemadmodum Pius V declaravit. Sed eamdem rem prolatis aliquot exemplis confirmare operae pretium duco. Memoriae proditum est, s. Franciscum alumnosque suos in viis ac foris fuisse solitos circumstantem plebeculam ad poenitentiam agendam cohortari: idem Dominicanos sodales fecisse primis saltem Religionis suae temporibus. S. Petrum Christi martyrem, accepimus, concionantem olim in foro impetrasse a Deo orationibus suis, ut sol, qui aestivis ardoribus divexabat maxime auditores suos, ex improviso densis nubibus obduceretur [4]. S. Antonio, cui

1 Verb. *Praedicatores* etc. §§. 8. 10.
2 In dict. Clementin. *Dudum*, §. *Ab olim*.
3 In cap. *Constitutionem* de Regular. in 6.
4 S. Antoninus Chronic. part. III. tit. XXIII. cap. VI. 4.

a Padua urbe cognomen inditum, ibi erigebatur suggestus, ut refert s. Antoninus [1] ubicumque animos ad culturam paratos inveniret, ut caelestis doctrinae semen spargeret. Addit s. Antoninus [2], sanctos Petrum martyrem et Vincentium Ferreri praedicandi munus in frequentioribus urbium foris, et per agros etiam pluries obiisse. Scribit fr. Ferdinandus de Castillo [3], quod nuper memoratus s. Petrus, quoties Caesenam itabat, primum omnium ducebatur in maximum forum, ut ibi suggestu, quem cives iam ante composuerant, conscenso, pabulum divini verbi cupidissimo populo suppeditaret. Idem factitatum esse et a s. Malachia testatur s. Bernardus, et ab ipso s. Bernardo tradit eius vitae narrator [4]. Neque enim ulla extat lex vel divina vel humana, quae id prohibeat: cumque haec ratio concionandi per se mala non sit, modo convenienter ac pro decore fiat, a nemine reprehendi iure potest. Quin imo e vitis sanctorum hominum, quas nuper memoravimus, discimus Christum Dominum nostrum, ut ostenderet quantum sibi conciones extra templa habitae placerent, miraculis subinde editis luculenter comprobasse.

Respondemus tertio, Christum Dominum apud s. Lucam [5] reprobos sic loquentes inducere, magna illa u-

1 Ibid. tit. XIV. cap. III. §. 3.
2 Ibid. tit. XXIII. cap. VIII. §. 4.
3 Histor. de s. Domingo y de su Orden, part. II. cap. 34.
4 Lib. III. cap. 3.
5 XIII. 26.

niversalis iudicii die: « Domine, manducavimus co-
« ram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. »
S. Ioannes Baptista, in solitudine ac deserto loco, poe-
nitentiam regnumque Dei iam iam adventurum homi-
nibus eo concurrentibus nuntiabat [1]. Esdra pulpitum
in foro extruxit, ibique Dei legem populo explanavit [2].
Ieremiae autem dixit Dominus: « Vade et sta in porta
« filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda
« et egrediuntur, et in cunctis portis Ierusalem; et
« dices ad eos: Audite verbum Domini [3].» Nec Iere-
miae solum, sed etiam aliis Prophetis id facere Domi-
nus praecepit. Sed quid dicat Abulensis (super II. Pa-
ralipom. XV. q. 5.) audiamus: « Apud Hebraeos erat
« unicum templum, in quo fiebant omnes ministratio-
« nes sacrae, et non licebat extra illud aliquid sacrum
« fieri. Praedicationem autem fieri licebat in quocun-
« que loco. » Et Christus Dominus discipulis suis
praecepit [4]: « Quod dico vobis in tenebris, dicite in
« lumine; et quod in aure auditis, praedicate super
« tecta: » id est in omni loco ubi conveniunt homines,
quemadmodum locum istum interpretantur Beda, Li-
ranus, et Caietanus. Ipse etiam Dominus noster non-
ne in monte, in navi, in maris littore praedicavit?
Nonne exemplum Divini Magistri secuti sunt san-

1 Matth. III. 1.
2 II. Esdr. VIII.
3 Ierem. XVII. 19. 20.
4 Matth. X. 27.

cti Paulus, Petrus, aliique Apostoli, uti in suis actis s. Lucas memorat? Prophetae quoque, ut iam diximus, videntur divina oracula in publicum edidisse. Legimus enim Prophetam Amos dixisse [1]: « Odio « habuerunt corripientem in porta: et loquentem per- « fecte abominati sunt. » Observavit s. Hieronymus, loqui hoc loco Amos de Prophetis illis, qui ad populum dicebant iuxta urbium portas, ubi sedebant Iudices populares controversias disceptantes, et quo proinde ingens hominum vis coibat; conquerique, quod Prophetae isti non modo non audirentur, sed probris etiam contumeliisque acciperentur. Ideo dixit Salomon [2]: « Sapientia foris praedicat, in plateis dat vo- « cem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus « portarum urbis profert verba sua. » Quod si quis obiiceret, Christum Dominum nostrum, et Apostolos extra templa quidem concionatos fuisse, sed id necessitate fecisse; non enim aderant adhuc ea tempestate templa ad praedicationem verbi Dei destinata; responderem, rationem adductam nihil conficere. Nam quemadmodum ex eo, quod templa idcirco condita sint, ut in iis fructus labiorum nostrorum Deo offeramus, non sequitur, nos orare ubicumque non posse; aliter enim Apostolus non dixisset [3]: « Volo vos orare in omni lo-

1 V. 10.
2 Prov. I. 20. 21.
3 I. Tim. II. 8.

co, » ita quamquam Ecclesiae extructae sint ad sacras conciones habendas, non sequitur tamen, ut nobis hoc munere extra Ecclesias defungi non liceat. Praesertim cum Cardinalis Hosius, ille vir aeque sanctus ac doctus, explicans illa verba. *Domus mea domus orationis vocabitur;* attendite, ait [1]: « Domus mea, dicit Do« minus, domus orationis vocabitur: non praedicatio« nis aut auditionis. » Porro Sanctorum exempla, Ordinumque Religiosorum, maxime sanctorum Dominici et Francisci, qui puerascentibus adhuc Religionibus suis, hoc est, quando pietatis caritatisque fervor vigere maxime solet, divinum verbum per plateas et compita nunciabant, ostendunt, hoc non licite modo, sed laudabiliter fieri posse. Certiores nos facit Nicephorus [2], antiquitus hunc morem valuisse tum Romae tum alibi, ut Evangelium fidelibus explanaretur non in templis quidem, sed aliis in locis ad ministerii huius exercitium designatis. Atque haec videntur satis posse facere primo novitatis argumento, quod nobis opponebatur.

Ad decorem vero divini verbi, contra quem nos in foris concionantes facere adversarii asserebant, dico, oratores nostros concionari plerumque in Ecclesiis, ut aliae faciunt Religiones; concionari tamen interdum in frequentioribus urbium locis, ut viam veritatis edo-

1 Confession. cathol. fidei cap. XC.
2 Ecclesiastic. histor. lib. XII. cap. 34.

ceant illos, qui ad sacras conciones, quae in templis habentur, aut nunquam, aut fere nunquam conveniunt, illecti nimirum vehementi fluxarum rerum desiderio, nullo aeternarum. Igitur ut eos nostri e mortifero somno excitent, de christiani hominis officiis commoneant, atque magno animarum Pastori tamquam errantes oves restituant; nostri inquam eo se conferunt, ubi isti versantur, et sic vitae aeternae verba invitis etiam dispensant, evangelicum illud animo volventes [1]: « Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut im- « pleatur domus mea. » Et sane quotidiana fere experientia nos docet, admirabiles prorsus fructus ex populari hoc praedicationis genere prodire. Fuere enim homines profligati ac perditi, animaeque et Dei plane obliti, qui a circumforaneis istis concionatoribus salutari terrore percussi mutarunt mores, dignosque poenitentiae fructus edidere, experti scilicet divinum verbum « omni gladio ancipiti, ut ait Apostolus [2], pe- « netrabilius esse. » Nec video, quomodo eloquium Domini in iis, quae diximus, locis nuntiatum decore suo atque existimatione fraudetur. Si enim hoc esset, ipse etiam Dominus decorem atque existimationem suam amittere dicendus esset, quando pro sua immensa benignitate deferri patitur per vias sordidioresque urbium viculos, ad tugurium vetulae alicuius ignobilis,

1 Luc. XIV. 23.
2 Hebr. IV. 12.

ut ei morienti viaticum se ipse praebeat, ad aeternitatis iter conficiendum. Verum hoc dicere nemini hactenus venit in mentem.

CAPUT XXXVII.

Sacratarum virginum cura spiritualis a nostris suscipienda non est.

Mirantur aliqui, Societatem, quae ad tot tamque varia ministeria caritatisque opera zelum suum extendit, monialium animas ex officio dirigendi curam suscipere noluisse, proinde nec ad obedientiam sibi exhibendam eas adducere, nec sacramentales earum confessiones excipere, ordinarie saltem, ut habetur in sexta parte Constitutionum, cap. III. §. 5. Ratio vero, cur id mirentur, haec est; quod Religiones complures regendarum monialium provinciam non abnuant; quodque hoc praecelsae caritatis sit opus; eo enim tendit, ut lectissimae Christi sponsae Deique famulae a semita non aberrent perfectionis, et in vitae instituto, quod professae sunt, constanter atque hilari animo perseverent. Nec quia feminae sunt hoc beneficio carere debent; quin immo, quia tales, exquisitiore cura excolendae sunt; tum quia naturalis earum infirmitas maiori eget auxilio, tum quia facilius ad pietatem informantur, et dociliora habentes ingenia promptius confessorum admonitionibus aures accommodant: ut

fortasse prosit magis huic oneri humeros subiicere, quam culturam suscipere certorum hominum, quorum pectora silicem ipsam duritie evincunt.

Ad haec breviter respondentes dicimus, Societatem hanc ideo curam declinasse, quia in Ecclesia Dei suppetunt abunde, qui in hoc ministerium magno cum fructu et laude incumbunt: se, ut in Constitutionibus est, optare vacuam ab hoc munere esse; ut ad alia se possit ministeria convertere, in quibus obeundis desunt potius operarii, quam abundant; utque liberius atque expeditius peragrare valeat diversas mundi plagas, prout vel necessitas animarumque salus poposcerit, vel Apostolica Sedes iusserit. Praeter hanc alia extat ratio, quae Societatem ab ineunda hac cura deterruit. Haec autem fuit, ut omnes, quantum fieri posset, a filiis suis averteret occasiones conversandi cum mulieribus, quae ab eis in animae negotiis penderent. Nam si conversatio cum omni feminarum genere periculosa est, cum sacris virginibus multo evadit periculosior. Ideo s. Franciscus, si unum excipias monasterium s. Damiani, ubi Clara sanctissima illa columba agebat, numquam monasteriorum directionem assumere passus est: et quia fr. Philippus, cognomine Longus eiusque socius, illud effecerat, ut fratribus sui Ordinis spiritualis monialium gubernatio demandaretur, famulus Dei Franciscus hominem vehementer hisce verbis increpuit: Nae perperam egisti, Philippe; quînam tibi venit in mentem ruinam Ordinis mei moli-

ri? Postea vero dicitur, monialium directionem disciplinae religiosae non parum offecisse, nec mediocres molestias dissensionesque in Ordinem ingessisse: citanturque verba, quae super hac re scripsit fr. Bernardinus de Fossa sic dicens: Cura ac directio monialium bona res est per se, nec meritorum expers, sed laboriosissima, et, quod magis est, periculorum plena [1]. Idem beatus Franciscus vetuit Regulae capite undecimo, fratres suos sacratarum virginum monasteria ingredi. Addunt vero huiusce Regulae interpretes, sanctissimi Patriarchae id vetantis mentem hanc fuisse, ut sui non solum monasteria non intrarent, sed ne ad ea quidem accederent cum monialibus collocuturi. Sic sentiunt s. Bonaventura [2] et Corduba [3]. Sic definierunt Gregorius IX, Nicolaus III, cap. *Exiit* de verb. signific. in 6. §. *Denique*, et Martinus V in Constitutione *Cum generale*, cap. XI. Regulae. Tandem sic eam regulam explicat Petrus Ioannes [4]. Item Dominicani fratres, quod magis mireris, revocarunt a Matritensi virginum monasterio illos sodalium suorum, qui earumdem virginum confessiones audiebant; idque facere non dubitarunt vivo et spirante s. Patriarcha Dominico, qui monasterium illud fundaverat, fratres-

1 Chronic. s. Franc. part. II. cap. 16; et part. III. cap. 39. Apud Waddingum, Annal. Minor. anno 1219. §. XLVII.

2 Exposit. in Regul. fratrum Minor. cap. XI.

3 Item, quaest. II.

4 Item, cap. XI.; extat. in *Speculo Minorum*, part. III.

que suos excipiendis monialium confessionibus optaverat. Visum est nimirum gravissimis illis viris, nimis permolestum esse, et fortasse etiam perniciosum religioso homini hoc ministerium; satiusque esse, ut Capellani hoc munere defungerentur [1]. Et in Constitutionibus eiusdem Dominicani Ordinis verba haec leguntur [2]: « In virtute sanctae obedientiae, et sub ex-« communicationis poena districte prohibemus, ne ali-« quis fratrum nostrorum laboret, vel procuret de « caetero, ut cura vel custodia monialium, seu qua-« rumlibet aliarum mulierum fratribus nostris commit-« tatur, nisi de licentia Magistri Ordinis speciali. »

Concilium Hispalense II (actione XI.) quamquam in hac re lenius agat, permittatque monachis virginum monasteria curare, ita tamen permittit, ut ii maximam in lubrico hoc negotio circumspectionem adhibeant [3]. Illud heic non est omittendum, quod non solum a monialibus gubernandis abstinere debemus, verum etiam ab omnibus plane mulieribus; nec ullo modo sinere, ut nobis eae obedientiam exhibeant. Hoc ex regula undevicesima sacerdotum constat. Id ipsum Minoribus fuisse praescriptum, apparet ex Constitutionibus Guillelmi Farinerii Ministri Generalis; sic enim dici-

1 Histor. de s. Domingo y de su Ord. Lib. I. cap. 42.

2 Dist. II. cap. I. num. 4.

3 Refertur can. *In decima*, caus. XVIII. q. 2; et ab Ivone part. VII. cap. 71. et a Burchardo lib. VIII. cap. 53.

tur in *Speculo Minorum* 1: « Nullus frater a muliere « votum continentiae requirat, seu oblatum recipiat; « aut ad faciendum sibi obedientiam inducat. » Quod vero initio capitis dicebant, monialium curam opus esse caritatis, non inde videtur consequi, ut Societas exercere illam debeat, cum caritatis opera et numero propemodum carentia sint, nec fieri possit, ut aliqua Religio complecti omnia valeat. Fac enim, ut complecti velit: quid fieret? Illud profecto, ut unum caritatis opus exercere parans ab alterius exercitatione prohiberetur, et minoribus minusque necessariis officiis satisfacere volens maiora saepe et Instituto suo convenientiora munia negligere cogeretur. Et quoniam conciones ad populum habere, confessiones fidelium audire, aliaque in animarum salutem laboriosissima ministeria obire Instituti nostri potissima pars sunt, ut saepe in tractatu huius operis dictum est; nec sub Societatis obedientia institui potest monialium Ordo, ad quem hoc Instituti genus pertinere queat; conveniens admodum fuit, Societatem a monialibus dirigendis animum avertere. Quaenam, quaeso, prudentia esset minora maioribus praeferre; et propria ac praecipua Instituti nostri negligere, curare aliena? praesertim cum aliae sint personae, si numerum spectes, multae, si dotes, piae, prudentes, doctae, quae monialium gubernationi satisfacere egregie valeant.

1 Part. III. fol. 215, seu cap. VI. Constit. Fariner.

CAPUT XXXVIII.

De recreatione, quae in Societate agi solet.

Inter alia, quae propria sunt Societatis nostrae, illud etiam recensetur, quod socii nostri quotidie spatio unius horae statim a prandio, et alterius horae post coenam; item qualibet sexta feria post vespertinum ientaculum per semihoram animos honeste ac sancte mutuis colloquiis relaxare solent; quemadmodum regulae sexta et quinquagesima Praepositi, ac quinta et quinquagesima Rectoris praecipiunt. Huius consuetudinis, quae beato Ignatio adhuc vivo coepit, eiusque iussu invaluit, sita esse videtur ratio in tertia parte Constitutionum, cap. II. §. 4. litt. *D.* ubi interdicitur, ne socii regulariter statim a prandio, aestivo maxime tempore, mentem seriorum studiorum occupatione fatigent. Hanc consuetudinem severiores nescio qui censores improbant, rationibus sequentibus adducti.

Prima ratio est, consuetudinem istam novam esse, nec ab aliis Religionibus usurpatam. Secunda, quia haec quotidianae conversationi collocutionique assignata tempora molle quiddam et delicatum praeseferunt, aut certe a vitae vere religiosae rigiditate alienum. Tertia, quia etiamsi iusta ratio adesset huiusmodi recreationem

praescribendi, tamen illa duo diei tempora praedicta recreationi peragendae assignata inconsulto videntur esse assignata. Docemur enim a Sanctis, maiorem a nobis adhibendam esse animae nostrae custodiam tum ipso reficiendi corporis tempore, tum statim a corpore refecto, quam alio quovis tempore, ob periculum, quod tunc maxime animae imminet semet per externa effundendi, frenumque cupiditatibus dandi. Atque hac de causa a sanctis Religionum Patriarchis institutum fuit, ut Religiosis ad mensam assidentibus anagnostes esset, qui utile ac pium opus clara et edita voce perlegeret: nimirum ut non solum alimentum animae praeberetur, dum suum corpori praebebatur, verum etiam ut omnes garrulitatis occasiones praeciderentur, ut loquitur Cassianus [1] et Smaragdus Abbas [2]. Praeterea Concilium III. Toletanum cap. VII. sanxit, ut haec lectio ad mensam Clericorum haberetur, addiditque hanc decreti sui rationem: « Per hoc enim et ani- « mae aedificantur ad bonum, et fabulae non necessa- « riae prohibentur. » Decretum hoc refert Gratianus can. *Pro reverentia* dist. XLIV. Quae autem de tempore edendi dicta sunt, eadem faciunt ad tempus, quod esum proxime sequitur. Nam tunc, ut ait Ugo a s. Victore [3]: « Lingua, quae omni tempore prona ad pec-

1 De instit. renunt. lib. IV. cap. 17.
2 In Regul. s. Benedicti cap. XXXVIII.
3 Institution. novitior. cap. XVIII.

« catum labitur, periculosius cum per crapulam inflam-
« mata fuerit, ad loquendum relaxatur. » Idem confir-
matur etiam ex Regula s. Pachomii 1, in qua haec ha-
bentur: « Si egressus fueris a cibo, non loquaris in
« redeundo, donec ad locum tuum pervenias. » S. Be-
nedictus capite octavo et quadragesimo suae Regu-
lae sic ait : « Surgentes a mensa pausent in lectis
« suis cum omni silentio : aut forte qui voluerit lege-
« re, sibi sic legat, ut alium non inquietet. » Eadem
fere repetuntur in capite duodequadragesimo Regulae
monialium, quae citatur quidem sub nomine s. Hie-
ronymi, sed ad alium auctorem pertinet.

Ut bene intelligatur ratio, quare Societas statis diei
horis honestam hanc animorum recreationem suis non
modo concesserit, sed etiam praescripserit, quatuor
sunt animadvertenda.

Primum, non esse novam hanc Societatis consuetu-
dinem, nec adeo apud veteres insolentem, ut aliqui
autumant. Nam Aegyptii monachi (ut s. Hieronymus
testatur ad Eustochium scribens 2, eique monachorum
Aegypti sua aetate florentium instituta declarans) hora
diei nona in quemdam locum solebant coire, ubi ad
virtutum exercitationem apposita concione excitaban-
tur. Qua confecta curatum ibant corpora quaeque cum

1 Cap. XXXIV. *al.* 14.
2 Epist. XXII. §. 35.

Patre suo decuria. Pransi postquam largitori omnium Deo gratias debitas egissent, non iam ad laborem se statim convertebant, sed sanctis et ad vesperam usque productis colloquiis se invicem in Domino recreabant.

Advertendum est secundo, eam esse hominis conditionem, dum in praesenti mortali vitae curriculo versatur, ut semper laborare non possit, sed laborem necesse habeat intermittere, defessasque vires certa quiete otioque reficere. Habent enim vires tum animi tum corporis definitum quemdam modum. Quo quidem modo ac mensura labor etiam determinari oportet. Aliter enim fieret, ut vires citius vel serius senescerent deficerentque, prout maior minorve laborum moles susciperetur, quemadmodum s. Thomas observavit [1]. Addit idem sanctus Doctor, quod quemadmodum corpus, cum nimio labore defatigatum est, quiete indiget, hoc est cessatione a laboribus; ita animus gravium studiorum occupatione defessus quiete sua indiget, remissione videlicet, et aliquantula a seriis curis vacatione. Idem monet Cassianus [2]. Et s. Basilius [3] necesse esse existimat, aliquod tempus ad recreandum animos a monachis assumi; etenim « id est in causa, inquit, cur iterum veluti convale-

1 2. 2. quaest. 168. art. 2.
2 Collat. XXIV. cap. 20.
3 Constit. monast. cap. VII. *al.* 8.

« scamus, ac paululum respiremus, alacriterque ad « certamina pro pietate subeunda veniamus. » Ideo vates cecinit :

« Interpone tuis interdum gaudia curis. »

Nam ut scite vates alter notavit :

« Quod caret alterna requie, durabile non est. »

Huc pertinet, quod de sancto Ioanne Evangelista narrant [1] ; qui cum aliquod defessae menti solatium conquireret, simpliciter cum simplici avicula lusitare coepit. Rem demiranti cuidam s. Ioanni familiari, qui forte tunc arcum gestabat, causamque, cur id faceret, quaerenti respondit hoc modo Ioannes : Quandoquidem arcum gestas, o amice, arcum intendere ne gravere. Intendit ille, sed paulo post laxavit. Non ita quidem, subiecit Ioannes, arcum intendas volo, sed ita, ut semper protensus perseveret. Nequaquam, ait ille, hoc faciam ; accideret enim, ut arcus perdiu tensus diffringeretur. Optime, inquit Ioannes ; sed quod de arcu fore dixisti, idem puta futurum esse de mente, quae occupationibus assiduis distineatur. Immo ipse Christus Dominus exemplum huius

1 S. Thom. loc. cit. ex Cassiani coll. cit. cap. 21.

rei dare nobis voluit. Dixit enim Apostolis suis, ut est apud s. Marcum VI. 31: « Venite seorsum in « desertum locum, et requiescite pusillum. » Quare s. Basilius, ut notavimus, admonet aequum atque adeo necessarium esse, ut aliquas diei particulas honestae animi relaxationi reservemus. Breviculae enim istiusmodi induciae lassitudini recreandae taedioque mentis discutiendo mirabiliter conferunt; et ad novos labores suscipiendos promptos alacresque nos faciunt. Addit Abrahamus Abbas, ut est in Cassiano [1], non leve sanitatis, et quod magis est, pietatis amittendae periculum iis impendere, qui in spiritualibus exercitationibus nulla utuntur intermissione. Ex hac doctrina illa enata est consuetudo, iam apud Ordines cunctos communis, qua constitutum est, ut certa vacationis honestaeque oblectationis spatia Religiosis iis concedantur, qui gravibus diutinisque per annum occupationibus detinentur. Atque ut id commodius obtineri posset, Religiosi Ordines suburbana, aliaque voluptaria loca comparanda sibi esse existimarunt. Quod consilium laudavit Clemens V. Clementin. *Exivi* §. *Sane* de verb. signif. his ferme usus verbis: aequissimum esse, ut Religiones eae, quae litterarum studiis, contemplationi, aliisque laboriosis exercitationibus operantur, amoenam aliquam possessionem teneant, in qua aliquan-

1 Collat. cit. cap. 20.

tulum temporis ab assiduis curis requiescant, detritasque vires reficiant. At inter eas Religiones nemo Societatem non recensebit; quae ideo alumnis suis, quotidiana animorum viriumque contentione paene enectis, villulas paravit, in quibus aliquantisper a gravissimis laboribus respirarent. Sciunt omnes, quale vitae genus, quam durum, asperum, et ab omni hominum non modo externorum, sed domesticorum etiam consortio secretum tolerent monachi Carthusiani. Nihilominus isti, Anachoritae potius quam Coenobitae, diebus dominicis festisque ex regulae praescripto ad prandendum simul conveniunt, simulque ab hora nona ad vesperam usque suavissimis sanctisque invicem colloquiis exhilarant animum ac recreant, ut Cartusianus scribit 1.

Tertio notandum est, caritatem animorumque coniunctionem ali atque foveri convictu, familiarique fratrum amicorumque consuetudine: refrigescere contra ac dissolvi sublata hac caritatis altrice, videlicet mutua inter se fratrum communicatione atque commercio. Quocirca dixit Aristoteles 2:

« Foedus amicitiae diuturna silentia solvunt. »

1 De laude vitae solitar. art. II.

2 Ethic. lib. VIII. cap. 5. *al.* 6.

Πολλὰς δὴ φιλίας ἀπρεσηγορία διέλυσεν.

S. Clemens epistola ad Iacobum sic eum ad caritatem fovendam hortatur (§. IX): « Cuius caritatis, « et recipiendae et habendae maximum erit fomen- « tum, si frequenter inter vosmetipsos communem « cibum vestrum mensamque faciatis. Et in quan- « tum unusquisque praevalet, crebrius panes ac sa- « les suos cum suis fratribus sumat. » Haec perlegenti subibit facile quaedam veluti imago exordientis Ecclesiae. Etenim prima illa aetate fideles, ut Tertullianus ait [1], communi mensa utebantur, aliique cum aliis, tamquam unius eiusdemque familiae essent, una vescebantur. Et quia ex usu illorum conviviorum charitatis flamma nutriebatur, atque in dies magis augebatur, ea placuit appellari graeco vocabulo ἀγάπας: quae vox dilectionem sonat, ut explicat Tertullianus et Cassianus [2]. De hoc more ac nomine mentio fit in Constitutionibus Apostolicis [3]. Quae cum ita sint, Societas illud apprime in votis habens, ut filii sui una sint anima unumque cor, hanc quietis horam, seu recreationem, ut nos dicimus, constituit: ut scilicet patres fratresque contubernales, in unum stata hora coeuntes, atque inter se utilia ac iucunda conferentes arctiori caritatis vinculo copularentur. Sic enim

1 Apologetic. cap. XXXIX.
2 Collat. XVI. cap. 14.
3 Lib. II. cap. 28.

ego ex ore ipso beati Parentis Ignatii accepi; qui insuper addidit, aliam etiam ob causam recreationem illam esse oportere: nimirum ut defessae mentes corporaque modica illa requie refecta alacrius intermissa munia resumerent.

Quarto animadvertendum est, Societatis homines ad agendum cum proximis ratione Instituti sui teneri, ut saepe iam diximus: porro hoc agendi cum proximis negotium difficillimam esse artem, ideoque habere regulas suas nec paucas, nec faciles; quae si observentur, utilis sine dubio erit conversatio nostra cum proximis; perniciosa potius, si negligantur. Et quoniam praedictae regulae usu magis, quam alia ratione addiscuntur, nemo non videt, quam scite provisum sit, ut nostri intra domesticos parietes sese in hac arte exercerent ante, quam in publicum ad eam profitendam prodirent. Et sane in hac umbratili schola discunt nostri tempora, quibus tacere vel loqui, interrogare vel respondere debeant. Solent enim, sic a beato Parente nostro edocti, praeterita facta vel dicta in mentem revocare, eaque diligentissime excutere, et si colloquendo omnia rite processerint, gratias Deo agere; si quid peccarint, id notare, dolere, erratique emendationem proponere. Sic parati, et virtutibus εὐτραπελίας, caritatis, religiosaeque prudentiae, tamquam idoneis armis instructi rem publice gerere incipiunt, conversarique cum proximis non sine magno, ut plurimum,

successu, animarumque lucro. Quod si de tempore loquamur recreationi nostrae attributo, nullum arbitror statui potuisse eo opportunius, quod revera statutum est, si duas illas rationes consideremus, ob quas recreationem introductam fuisse diximus. Prima ratio est, ut a studiis interquiescamus. Iam nullum tempus inveneris ad id magis idoneum, quam horas, quae prandium coenamque proxime sequuntur. Siquidem hoc tempus minus idoneum est temporibus reliquis ad studia, orationem, ceteraque huiusmodi. Atque ut optime observavit Cassianus 1: « Recens escae perceptio... « tenuem levemque sensum inveniri non sinit. » Et certe sanitati suae pessime consuleret, qui tali tempore mentem seriis laboriosisque studiis appelleret. Altera ratio est, ut fraternae caritatis fervor mutuo in omnium pectoribus augeatur. Verum ad id assequendum nullum aliud commodius tempus reperiri potest. Nam reliquum diei ad sua quisque munia incumbit, aliusque alio vocatur. Contra duabus illis horis, quae prandium coenamque excipiunt, omnes plerumque vacui sunt, cessantque a labore; ideoque facilius convenire possunt in aliquem locum ad colloquendum, animumque honesta conversatione levandum. Certe apud nos singula Collegia ac Domus designatum locum habent, quo ad recreationem praedictis horis

1 Collat. II. cap. ult.

agendam patres fratresque convenire solent, non sine magno caritatis fraternae incremento; nam, ut egregie docet s. Basilius [1], in communi colloquio communis amicitia et fraterna caritas conservatur, ex privato privatae sodalitates oriuntur, quae communi fratrum dilectioni maxime solent adversari.

Ad contraria argumenta facilis est responsio. Ad primum itaque respondemus, hanc nostram consuetudinem non esse adeo novam, ut dicunt. Hanc eamdem usurpatam esse ab Aegyptiis monachis, paulo ante s. Hieronymi auctoritate freti docuimus. Verum fac esse novam. Non inde certe sequeretur, ut notabilis esset et reprehendenda. Siquidem multae res novae esse possunt, quae non minus laudabiles et bonae sint, quam veteres. Et cum Societas aliqua habeat sui propria tantummodo, nec cum aliis communia; nil aliud sequeretur, nisi ut hac consuetudine, si nova esset, proprietatem suam augeret. Ad secundum argumentum concedimus etiam nos, custodiendum esse silentium modestiamque omni tempore, sed praecipue dum prandetur, et statim a prandio ob periculum, cuius in hoc argumento fit mentio. Sed in Societate memorato periculo non est locus, tum quia ad mensam fit spiritualis lectio, ut in aliis fieri solet Religionibus, tum quia

1 Constit. monast. cap. XXIX. *al* 30; et serm. ascet. (*al.* Instit. monast.) II.

in recreatione, quae sequitur, ita res geritur, ut colloquiis moderatio praesit et caritas, adnitentibus omnibus, ut conversatio illa honesta animi refectio evadat, non immodica relaxatio; neve libertas verborum in dissidia contentionesque excidat, quemadmodum efficere nos docent s. Ambrosius 1 et s. Basilius, qui sic disserit 2. « Si opus aliquando fuerit oblectamen-« to verborum, ut tristitia paululum remittatur, sit ser-« mo vester refertus spirituali lepore, et evangelico « sale conditus; ut gratum interni cuiusdam ac sa-« pientis consilii afferat odorem, dupliciterque audi-« torem exhilaret, et animi relaxatione et prudentiae « gratia. » Eadem fere leguntur in loco s. Thomae superius citato. De hac tam commendabili recreationem transigendi ratione peculiaris regula nobis tradita est; tum quidam rerum ordo, de quibus utiliter loqui possumus in recreatione; Superioresque curant, ut quod sancte constitutum est, sancte etiam observetur.

1 De officiis ministror. lib. I. cap. 20.
2 Constit. monast. cap. XII. *al.* 13.

CAPUT XXXIX.

Cur Societas pueros grammaticam edoceat.

Inter ea, quae Societas in bonum reipublicae complexa est, non in ultimis certe ponenda est cura ab ea suscepta tradendi pueris rudimenta grammaticae, publiceque scholas iis aperiendi. Id displicet nonnullis ob quatuor praecipue rationes. Prima est, quia nulla alia Religio hoc munus exercet. Secunda est, quia huiusmodi cura abhorrere videtur a religiosa gravitate. Tertia, quia res est plena fastidii molestiaeque ac sollicitudinis cogere, docere, regere puerorum turbam, qui naturaliter leves sunt, inquieti, garruli, laboris impatientes ita, ut ne genitores quidem eos domi continere possint. Quo fit, ut iuvenes nostri in iis informandis occupati vitam maxime exercitam ducant, vires atterant, sanitatemque amittant. Nec satis: cum eorum complures ingenio valeant et in scientiarum stadio proficere plurimum possent, id facere prohibentur, puerilibus videlicet nulliusque momenti tricis hisce detenti. Quarta, quia s. Gregorius 1 acriter castigat Desiderium Episcopum, propterea quod grammaticam nescio quos edoceret, carminaque poetarum explana-

1 Reg. epist. lib. XI. ep. 54. *al.* lib. IX. ep. 48.

ret. Habetur severa haec s. Doctoris admonitio can. *Cum multa*, dist. LXXXVI.

Hanc materiam fuse persecuti sumus in eo opusculo, in quo vitam beati Ignatii perscripsimus. Vide libri tertii extremum caput. In hac igitur quaestione non diu immorabimur, satis habentes quatuor res tantum breviter attingere.

Primum, quod omnes legumlatores gravesque homines, qui de recta reipublicae gubernatione egerunt, primum ac precipuum recte huius gubernationis fundamentum hoc iactant; bonam scilicet iuventutis educationem, idoneamque institutionem. Ex hac affirmant dimanare, tamquam e fonte, omnia bona, quae maxime fortunare rempublicam possunt.

Secundo, quod non solum philosophi ac gentiles de hac veritate certiores nos faciunt, verum etiam multi Ecclesiae Doctores, multaque Concilia. Complures etiam sunt leges tum civiles tum canonicae, quae curam adhibendam inculcant in iis magistris eligendis, qui boni sint, idonei, docti, tales uno verbo, qui disciplinas bene doceant, probosque mores instillent. Agunt praeterea de minervali magistris assignando, de scholis in Ecclesiis et monasteriis habendis, de Seminariis instituendis, deque ceteris, quae ad hanc materiam pertinent, quemadmodum in citato loco vitae beati Ignatii cernere licet.

Tertio, quod Societas hoc suo excolendae iuventutis ministerio nihil novi induxit, sed exemplum secuta est,

quod reliquerunt sanctissimi gravissimique antiquitatis homines, multaeque item Religiones eo maxime tempore, quo maxime in Ecclesia Dei floruerunt. Pantaenus philosophus praestantissimus, Clemens Alexandrinus homo doctissimus et Origenis magister, ipseque Origenes tenuere gymnasia, ut scribit Eusebius [1], disciplinasque tradidere. De Protogene viro sanctissimo, totque mirandarum rerum effectore, narrat Theodoretus [2], quod ipse etiam ludum aperuit, eoque humilitatis ac patientiae devenit, ut puerorum manum ad litteras condendas duceret. S. Ioannes Chrysostomus [3] refert, quemdam Anachoritam sanctum hominem tanti puerorum institutionem fecisse, ut solitudini ceteroquin dulcissimae valediceret, oppidumque frequens peteret, ubi et scholam aperiret et in puerorum cultura adlaboraret. Quod quidem munus diu patientissimeque exercuit. Idem laboriosissimum munus toleravit, ut Conradus Nicosthenes in suo theatro perhibet, Patroclus Bituriensis homo sanctitate et miraculorum fama clarissimus. Qui bene longum solitariae vitae iam spatium emensus rationem iniit, sic a Spiritu Sancto afflatus, patriam repetendi, ut ibi prima litterarum rudimenta pueris explanaret. Sed scitu dignissimum est, quod de Cassiano Bressano-

1 Eccl. histor. lib. V. cap. 10. et 11; et lib. VI. cap. 30.
2 Item lib. IV. cap. 15. *al.* 16.
3 Advers. oppugnator. vitae monast. lib. III. §. 11.

nensi Antistite et glorioso Christi martyre acta martyrii sui commemorant. Per vim eiectus Cassianus Bressanone, Alamannicae regionis oppido, Ecclesiam sibi commissam deserere, alioque se convertere coactus fuit. Romam primo contendere instituit: sed ad Forum Cornelii (Imolam hodie vocant) cum pervenisset, mutavit consilium, nec iam amplius Romam petere, sed in hac urbe consistere statuit. Hic vero non indignum se Antistite esse existimavit scholam aperire, primasque pueris litteras explicare. Sed processu temporis christianus esse Cassianus compertus, a magistratibus christiani nominis hostibus infensissimis comprehenditur; vinctusque traditur enecandus pueris illis quos sedulo erudiebat. Crudelissimum invicti martyris supplicium dignis carminibus prosecutus est Prudentius; meminit etiam Cardinalis Baronius in adnotationibus suis ad martyrologium romanum, die XIII. Augusti, recolendo sancti martyris triumpho dicata. S. Basilius regulas scripsit, quibus monachi utentes pueros urbanos rite erudirent [1]. S. Benedictus adolescentulos in monasteria sua recipiebat, eosque litteraria ac pia educatione imbui curabat. Atque, ut ex sancti Patriarchae vita constat, haec sua institutio per multas insequentes aetates in suo Ordine tenuit. Nam s. Thomas Aquinas, qui ab interitu s. Benedicti

1 Reg. brev. tract. interr. CCXCII, et fus. tract. interr. XV.

septingentis ferme post annis natus est, prima doctrinae pietatisque rudimenta posuit apud sodales Cassinates, sic dictos a monte Cassino, ubi monasterium iacet, caput Benedictini Ordinis, et sanctissimi Patriarchae tumulo praenobile. In universum vero affirmari id potest: monachos Benedictinos, quo tempore maxime floruere, aperuisse Collegia, eaque docuisse, quae in praesens Societas docet, ut ait Trithemius Abbas illius Ordinis, in Annalibus monasterii Hirsaugiensis [1]. Idem a Canonicis Regularibus factitatum esse, eruitur ex Concilio Aquisgranensi (cap. CXXXV.), sub Ludovico Imperatore. Sedente vero Stephano V Dominicani Patres, sicuti refert fr. Ferdinandus de Castillo [2], in generalibus conventibus sanxerunt, ut quocumque gentium mitterentur fratres, qui elementa litterarum et evangelicae legis enuclearent pueris, iisque praeberent exemplum cuiusdam libri, quem ipsi ob eam causam dedita opera composuerant. Nostra etiam aetate nonnullae in Belgio Religiones sunt, quae grammaticae gymnasia publice habent: quae quidem gymnasia antiquitus in monasteriis habebantur, quemadmodum constat ex quarto eorum canonum, qui sextae Synodo Constantinopolitanae tribuuntur [3], et ex aliarum Synodorum decretis [4]. No-

1 Ad annum DCCCXC.

2 Histor. de s. Domingo etc. lib. II. cap. 70.

3 Apud Mansi, tom. XI. col. 1007.

4 Cf. Suarez, de Religion. tract. X. lib. V. cap. 5. §. 9.

stra item memoria Augustiniani fratres docuere publice litteraturae primordia, in aliquibus Hispaniarum oppidis, quorum vulgaria nomina sunt *Albacete, Chinchon, Talavera*. Sed quod in hac re caput est, ni iudicii mei tenuitas me fallit, illud esse arbitror, quod maximus Ecclesiae doctor s. Hieronymus, totius mundi lumen atque oraculum, non dubitavit, cum in Bethlea urbe ageret, aliquot equitum filios ad humanitatem informare, iisque explanare oratores, poetas, historicos ; ut scilicet illecebris istis delinitos ad Christi sequelam perduceret, quemadmodum Marianus Victorius in eius vita adnotavit, et nos in opere, quod Flos Sanctorum nuncupatum a nobis est, scripsimus ad festum diem s. Doctoris, qui incidit pridie cal. Octobr. Quod si attente consideremus scopum huic occupationi propositum, hanc honestissimam, et rationi maxime consentaneam esse iudicabimus. Etenim eo tendit, ut puerilem aetatem primum moribus probis, bonis deinde litteris imbuat. Et ad puerorum mores rite effingendos quod attinet, nemo, credo, erit qui contendat, vel hoc opus religioso homine indignum esse, vel alios esse posse meliores morum magistros iis, qui professione vitae ad perfectionis fastigium enituntur. Nihil enim vehementius discipulos permovet, quam vita praeceptoris; qui quanto erit sanctior atque perfectior, tanto facilius ac potentius in teneris puerorum animis virtutis formam imprimet amoremque

honestatis. Quare Boethius [1] pronuntiavit nihil discipulis perniciosius esse, quam vitam magistri minime laudandam. Et Cardinales, declarandis Concilii Tridentini dubiis praefecti, in decisione CCXXXI, quam simul congregati emiserunt, sic loquuntur: « Ante omnia in Seminario conducendos est grammati-« cus et musicus peritus, qui pueros instituat, quorum « si reperiantur Iesuitae, ceteris anteponendi sunt. » Ob eamdem hanc rationem in Conciliis Lateranensibus sub Alexandro III [2] et Innocentio III [3], et demum in Concilio Tridentino [4], nec non in Synodis Moguntina [5], Mediolanensi I [6] et in iure civili [7] decernitur, ut diligentissime inquiratur in vitam doctrinamque eorum, qui ad pueros erudiendos eligendi sunt. Satis enim dici nequit, quanti referat, ut mores eorum sint probatissimi, sanaque doctrina. Quoad alteram vero partem, quae est de litteris tradendis, hoc dicere satis sit. Ecclesiam Dei omni tempore vindicasse sibi hanc curam tamquam rem suam, eamque plurimi fecisse; ideoque

1 De disciplina scholar. cap. VI.

2 Cap. XVIII.

3 Cap. XI. et refertur cap. *Quia nonnullis* de magistr.

4 Sess. V. cap. 1. de reform. et Sess. XXIII. cap. 18.

5 Cap. LXV.

6 Part. I. cap. 2.

7 *L. magistros* C. de professorib. et medicis, et. *l. Grammaticos* de professorib. urbis.

iniuria asseri indignam esse, quae ab hominibus religiosis exerceatur.

Quarta demum res advertenda tempora sunt, quae nunc delabuntur, virtuti pietatique calamitosissima: quibus, si unquam alias, maxime necessaria est salubris adolescentiae institutio. Nec ad id probandum longa oratione opus est. Evidentissima probatio sunt depravati Catholicorum mores, reipublicae corruptela, foedissima tot haeresum colluvio, quae undique nos premunt, Ecclesiamque Dei pessumdant. Itaque ut pueri sincero catholicae doctrinae lacte enutriantur, castisque moribus imbuantur, quamprimum admovenda operi manus, suscipienda scilicet a teneris unguiculis puerorum cura, ut tenelli eorum animi, more recentis testae, servent diu castimoniae pietatisque odorem, quem primo imbiberunt. Atque hoc est, quod Societas laboriosissimo hoc suo ministerio quaerit. Et haud scio, an ulla alia re maius servitium divinae Maiestati ipsa exhibuerit, quam litteraria adolescentis aetatis educatione.

Ad opposita argumenta iam respondeamus. Ad primi solutionem satis erit commemorare, quod iam supra dictum est: multas nempe priscis temporibus Religiones fuisse, aliquas nostra aetate esse, quae illud idem solent praestare, quod praestat Societas. Ad secundum dicimus, munus explicandi pueris ipsa etiam rudimenta grammaticae minime professionem

religiosam dedecere, cum sancti ac praeclari homines hoc fungi officio dedignati non sint. Ad tertium fatemur, rem esse non mediocris laboris ac taedii regere ac continere tantam puerorum vim, quanta plerumque scholas nostras frequentat: verum laborem hunc abunde compensari gloria, quae sic supremo omnium Domino paratur. Et si ludimagistri capite atque animo defatigentur, num capite atque animo recreantur concionatores, confessores, professores, quique alia Societatis munia obeunt? Adde, quod si multi inter mundanos homines sanitatem in certam ruinam adducere non dubitant, ad paucos obolos acquirendos; magnum certe non erit, aliquod sanitati ipsi incommodum afferre ad caelorum regnum assequendum. Si quis vero hanc ideo improbet occupationem, quod, cum multi ad altiora studia provehi possent, nomenque ac decus tum sibi tum Religioni colligere, grammaticalibus contra hisce nugis nullo satis digno tanti laboris pretio detinentur; hic, qui ita loquitur, consideret etiam atque etiam, Deum mercede donare non tam ea, quae in hominum aestimatione praecelsa sunt, quam ea, quae promptiori obsequio maiorique humilitate ac caritate in gloriam Dei geruntur: consideret etiam, non semper illud melius atque utilius esse, quod est nobilius ac grandius. Ad quartum respondemus, s. Gregorium optimo iure ac merito castigare Desiderium Episcopum; quia cum praecipuum

Episcopi munus sit praedicare atque explicare Evangelium, Desiderius hoc suum ac proprium munus negligebat ; explanabat contra grammaticam, poetarumque versus declarabat. Idcirco sanctus Doctor causam significans doloris, quo premebatur ob praedicti Episcopi perniciosissimam negligentiam, sic inquit: « Quia « in uno se ore cum Iovis laudibus Christi laudes non « capiunt. Et quam grave nefandumque sit Episcopis « canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse con- « sidera. » Id ipsum s. Hieronymus [1] ad Damasum Papam scribens, de filio prodigo, reprehendit hisce verbis : « Sacerdotes Dei, omissis Evangeliis et Pro- « phetis, videmus comoedias legere, amatoria Bucoli- « corum versuum verba canere, tenere Virgilium, et id « quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere « voluptatis. » Quae quidem verba sunt canon *Sacerdotes Dei*, dist. XXXVII.

1 Epist. XX. *al.* 146. §. 13.

CAPUT XL.

Num Societas velit esse doctrinae regula, quam sui sequantur, et a qua discedere non audeant.

Aliqui Societatem notant in eo, quod velit esse doctrinae regula, ad quam socii in profitendis scientiis opiniones suas conformare debeant. Ut huic obiectioni apposite respondeamus, duo sunt accurate perpendenda. Primum, quid re vera Societas praecipiat: secundo, quare id praecipiat. Atque his duabus rebus rite intellectis patebit, quam futili nitatur fundamento haec verius obiurgatio, quam oppositio.

Ad primum quod attinet, in generali Examine Societatis, ubi de iis agitur, quae ingressum in Societatem petentibus proponi debent, haec habentur in capite III. §. 11: « Interrogetur an habuerit, vel habeat « conceptus aliquos vel opiniones ab iis differentes, « quae communius ab Ecclesia et doctoribus ab ea- « dem approbatis tenentur: et si quando huiusmodi opi- « niones animum subierint, num paratus sit ad iudi- « cium suum submittendum sentiendumque, ut fuerit « constitutum in Societate de huiusmodi rebus sentire « oportere. » Verba haec hominibus proponuntur, qui Societatem petunt sive scientiarum stadium iam emensi, sive emensuri. Atque in eorumdem verborum declaratione praescribitur forma ab iis servanda, qui

huiusce rei disceptatores esse debent; illudque adiicitur, istarum opinionum a communibus differentium iudices esse posse non solum graves doctosque Societatis homines, verum etiam externos doctores. Praeterea in Constitutionibus (part. III. cap. I. §. 18.) dicitur: « Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, « dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinae igitur « differentes non admittantur etc. » Hunc autem locum declarationes, littera *O*, sic explicant: « Novae opinio- « nes admittendae non sunt; et si quis aliquid sentiret, « quod discreparet ab eo, quod Ecclesia et eius docto- « res communiter sentiunt; suum sensum definitioni « ipsius Societatis debet subiicere, ut in Examine de- « claratum est. In opinionibus etiam, in quibus ca- « tholici doctores variant inter se, vel contrarii sunt, « ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est. » Atque haec quidem res est primo loco advertenda.

Secunda res, quam pari attentione adnotare debemus, haec est: aliqua exsistere catholica dogmata ab Ecclesia sic definita, ut vehementissime erraret, qui ab eorum veritate contraria opinione recederet. Iam vero tum de dogmatis istis, tum de iis omnibus, quae *absque praeiudicio fidei* teneri ac defendi nequeunt, Societas nihil disputat vel ambigit; sed iis pronissima voluntate plenissimoque iudicio adhaeret, admittens, propugnans, et tanquam certissimam tutissimamque regulam sequens quidquid admittit, docet, sancit catholica Ecclesia. Neque id satis habet: optat etiam,

imo plane vult, ut, quo animo ipsa est erga decisiones Ecclesiae, eodem sint et filii sui, intellectum videlicet in obsequium fidei penitus submittentes. Quisnam autem dicet, Societatem, dum id a suis exigit, velle se regulam constituere, cui socii in iis, quae credere ac docere debent, se accommodent? Nemo sanus id dicet profecto; dicet potius, Societatis mentem hac sua praescriptione fuisse, ut sui a periculo privati propriique iudicii saepissime fallacis liberarentur, et contra sequerentur Societatis commune iudicium, utpote tutius, Ecclesiaeque iudicio ac decisionibus longe congruentius.

Aliud praeter istas exstat veritatum genus, quas tamen Ecclesia non definivit, hoc est, non ita certas esse declaravit, ut qui contra sentiret, vel haeresi laborare, vel in manifesto errore versari putandus esset. Iam vero in istiusmodi veritatum genere quidam habetur diversarum opinionum veluti conflictus. Harum porro duplex est species. Altera est opinionum illarum, in quas doctores communi paene consensu conveniunt; quamquam aliqui non desint, qui aliud tenentes iter singulares profitentur opiniones: quae tamen nec falsae dici possunt nec fidei contrariae, tametsi ab opinione communi discrepent atque decedant. Altera species est opinionum, quas non communiter doctores sequuntur; sed alii alia opinantes uni sententiae alter, alter contrariae adhaerent: ita tamen, ut istae licet diversae sententiae satis solidis firma-

mentis teneantur, et unaquaeque probabilis sit ac defendi possit. De duabus istis opinionum speciebus loquitur Constitutio nostra atque Examen; de priore quidem in illis verbis: « An habuerit vel habeat conceptus « aliquos vet opiniones ab iis differentes, quae com- « munius ab Ecclesia et doctoribus ab eadem appro- « batis tenentur. » Et: « Si quis aliquid sentiret, quod « discreparet ab eo, quod Ecclesia et eius doctores « communiter sentiunt. » De secunda autem specie cum dicit: « In opinionibus etiam in quibus catholici « doctores variant inter se, vel contrarii sunt, ut con- « formitas etiam in Societate sit, curandum est. »

Priorem hanc veritatum sive opinionum speciem sapientissimo consilio optavit sibi Societas. Iudicavit enim summopere sibi expedire, ut non solum a se exularet quidquid sanctae fidei nostrae adversaretur, verum etiam ut doctrina, quam profiteretur, communissima esset, sanissima, tutissima, ut Constitutiones nostrae loquuntur. Quocirca fas est, nostros omnes iudicium suum totius Societatis iudicio submittere; quae profecto satius iis diiudicare poterit, quaenam opiniones sint communes, quae non. Sic fiet, ut ipsi illud complectantur ac teneant, quod complectitur ac tenet Societas, vitentque praeterea novas, singulares, speciosasque opiniones, quae pacis concordiaeque amabile vinculum discindunt, Societatis doctrinam in suspicionem adducunt, finem vero, qui in animarum sanctificatione positus est, foede pervertunt.

Etenim cum non pauci inveniantur, qui falsissima opinione decepti putent, novas singularesque doctrinas solas demum esse, quae famam pariant doctorum hominum; contra vulgaris servilisque ingenii esse, aliorum vestigiis inhaerere, eorum placita sequi, nec alia dicere, quam quae ipsi ante dixerunt; haud difficile sane est, tot inter doctos homines, qui vivunt in Societate, et in posterum vivent, aliqua prodire posse liberiora et humanae gloriolae avida ingenia, quae, omissa communioris solidiorisque doctrinae trita et publica semita, in tramites novae doctrinae se coniiciant, perplexos periculososque. Quapropter necessarium fuit, ut in Societate regula esset, qua leviora haec ingenia, si forte adessent, coercerentur; scirentque ii, qui aut litteris iam imbuti aut imbuendi Societatem petunt, debere se iudicio proprio responsare, si opinionibus delectarentur singularibus atque extraordinariis; ne forte pro auxilio utilique opera, quam Societati debent, ingens ei damnum inferant. Ideo sub ipsum in Societatem ingressum de hac re serio monentur; ut nemo, cum occasio se se dederit, ignorantiam possit praetexere, utque ii maxime, quorum ingenium telluri opimae quidem, sed male cultae consimile, insalubria speciosarum opinionum germina emittit, ea decidant ac deserant, seque communi tutaeque doctrinae, quam Societas sequitur, conformare studeant.

Sed ad secundum opinionum genus quod pertinet, cum scilicet agitur de opinionibus, quae sunt aeque

probabiles, aut quae solidis saltem rationum momentis fulciuntur, coercere ingenia non oportet ita, ut libertas eis adimatur alterutram sequendi sententiam, cum utraque optime defendi possit. Verum in hac etiam opinionum specie uniformitas inter socios nostros quaerenda est, quae animorum concordiam mirifice fovet; haec autem concordia Societatem tuetur atque conservat. Non tamen haec uniformitas ea diligentia et cura servanda est, qua servandam esse diximus in opinionibus communibus. Et ideo in Constitutione dicitur: *quoad eius fieri possit.* In declaratione vero: *ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est.* Et sane id curat Societas; atque haec cura iusta est ac sancta, neque ullo modo reprehendi iure potest. Primum, quia necesse est, ut quod tutius est in doctrina, id firmiter teneatur, et ut ingeniis licentioribus frenum veluti quoddam iniiciatur in re tanti momenti. Secundo, quia doctrinae uniformitas arctiore etiam vinculo animos copulat. Tertio, quia Dominicani Ordinis Constitutiones [1] vetant sententias propugnari, quae doctrinae s. Thomae contrariae sint, amoventque ab officio et dignitate lectoris, qui Constitutioni huic parere detrectat. Quod sane decretum multo severius est, quam id, quod in tali re Societas praecipit. Quarto, quia publica litteratorum hominum Collegia, atque adeo privati doctores quotidie fere de opinionum qualita-

1 Dist. II. cap. 14.

te disceptant; statuuntque, quaenam communis sit, quae falsa, quae temeraria, quae vera, quae minus, vel magis probabilis aut tuta. Age vero si istis id licet, cur non licebit Societati declarare, quaenam doctrina suo fini aptior ac convenientior sit, cum benigno Numine favente iis hominibus non careat, qui possint id sapientissime diiudicare? Quinto, quia Concilium Tridentinum (Session IV.) praescribit, ut nullus Religiosus libros edat typis impressos, quin prius Superiorum suorum iudicio subiiciat, qui, quid agendum sit, statuent *iuxta formam suarum* quisque *ordinationum*. Quo decreto videtur Concilium aperte significare, superiores posse imo debere de doctrina iudicare, quam subditi sui libris editis profitentur. Atque hoc re vera est fieri regulam doctrinae subditorum, non in rebus fidei, sed in aliis, uti diximus. Praestant idem Religiones, quae Religiosos suos iubent certum ac peculiarem auctorem sequi. Sic Dominicani, ut nuper diximus, s. Thomam sequuntur, Franciscani Scotum, Augustiniani Aegidium Romanum, alii alios. Atque hoc modo satisfactum esse arbitror obtrectationi, qua petitur ex hac parte Societas.

CONCLUSIO OPERIS.

Haec sunt praecipua, quae Instituto Societatis nostrae ab aliquibus obiecta nos pro virili parte tueri sategimus, rationibusque rationes opponere. Summa Domini bonitate freti speramus, eos omnes, qui non partium studio, sed veritatis agnoscendae desiderio ducti libellum hunc nostrum pervolvent, intellecturos esse, quam altis Institutum nostrum radicibus teneatur, quam remota antiquitate commendetur, quanto solidarum probationum pondere firmetur, quamque consentanee cum doctrina Sanctorum se habeat. Quod si aliqua in eo reperiantur, quae aut esse videantur, aut reapse sint nova, non ideo notari ac reprehendi continuo merentur. Siquidem ea omnia, quae nunc multam agunt aetatem, nova quondam extitere; atque bonum, ut supra animadvertimus, ex eo, quod novum sit, hoc solum habet incommodi, quod ignoretur: contra malo, quod vetustum est, egregium hoc ex vetustate sua accedit commodum, quod insanabile esse deprehendatur. Antiquis omnibus Religionibus hoc idem certamen subeundum fuit, primis ab institutione sua temporibus. Ex quo tamen victrices discesserunt tum ob Sedis apostolicae auctoritatem, quae eas approbavit, tum ob exempla vitae innocentissimae, quae ipsae ediderunt, tum ob fructum uberrimum, qui ex sanctis earum Institutis in totam christianam rempublicam di-

manavit. Haec utique sunt argumenta, haec testimonia, haec rationum robora, quibus munita Religio quaevis nihil solidius certiusve desiderare potest, ad veritatem sanctitatemque Instituti sui comprobandam. Atque in his equidem vellem, ut oculos figerent ii omnes, qui scribunt vel disputant de Instituto Societatis nostrae, in memoriam ea redigentes, quae initio diximus; modum scilicet plane admirabilem, quo Deus, ac Dominus noster in Ecclesiam suam Societatem misit, hominem excitans, qui eam fundaret, rudem, militarem, et qui nihil aliud, quam terrena, futilia, caduca sapiebat; tempus praeterea, quo eam misit, calamitosissimum sane, vitiorum omnium ferax, impigrisque proinde operariis, qui impietati late grassanti bellum indicerent, maxime egens; splendidissima porro testimonia, quibus eam tot summi Pontifices confirmarunt, et oecumenicum Tridentinum Concilium approbavit; deinde vitam doctrinamque hominum in ea degentium, atque eius incrementum, perque tot mundi regiones propagationem; tot denique tantosque populos, quos Iesu Christo peperit, tot pietatis ac christianarum virtutum vestigia, quae ubique terrarum impressit, tam miras mutationes morum, quas divina aspirante gratia operata est. Neque enim, quae ipsa per se quodammodo loquuntur, ea penitus silentio obruere aequum est.

Quod si ut hactenus rationem nostri Instituti reddidimus, causamque defendimus iis, ni fallor, pro-

bationibus, quae homini sano, prudenti, vacuo ab affectionibus plene possint satisfacere ; sic eiusdem ostendere vellemus excellentiam, perfectionem, locumque, qui ei inter alia sanctissima Instituta assignandus esset, haud difficile sane opus aggrederemur. Etenim si verum est, quemadmodum in capite tertio istius operis verum esse probavimus, maiorem minoremve Religionis alicuius perfectionem non a maiori vel minori vitae asperitate desumendam esse, sed a fine plus minusve praestanti ac perfecto, quem spectat ; tum ab adminiculis, quae possidet, plus minusve ad finem illum obtinendum idoneis ; si hoc, inquam, verum est, quod nemo dubitat ; quisnam, quaeso, finis esse potest in terris eo excellentior atque divinior, quem sibi proposuit Filius Dei, eiusque fideliores asseclae, aeterna videlicet salute ac beata immortalitate animarum? Quare divinus Dionysius [1] divine pronuntiavit : « Cuiuslibet eorum, qui sacrum Ordinem sortiti « sunt, in hoc sita perfectio est, ut ad divinam, pro « captu quisque suo, promoveatur imitationem, quod- « que divinius est omnium, ipsius etiam Dei (ut Elo- « quia loquuntur [2]) cooperator existat, divinamque in « semet ipse demostret operationem, quoad potest, « elucentem. » Citat hunc locum Dionysius Carthusianus [3], et Richardus a s. Victore, qui addit : « Nescio

1 De caelest. hierarch. cap. III.
2 Ioan. epist. III. 8 ; 1. Cor. III. 9.
3 In I. Corinth. III. 9.

« an maius bonum possit homini a Deo conferri; quam « ut per eius obsequium alii consequantur salutem, si « tamen Deo cooperentur ex charitate. » Sed audiatur aureum vere os, Chrysostomus [1]: « Nihil ita curat « Deus, ut animarum salutem. Id clamat Paulus [2] di- « cens: *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad « agnitionem veritatis venire.* » Et paulo infra subdit: « Et ut discas quantum bonum sit cum nostra aliorum « etiam salutem lucrari, audi Prophetam ex persona « Dei dicentem [3]: *Qui educit pretiosum a vili, quasi os « meum erit?* Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, « ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum « induxerit, pro virili parte humana me imitatur. » Et alibi [4]: « Nihil est, inquit, animae aequiparandum, « ne totus quidem mundus. Itaque etiamsi innumeras « pauperibus pecunias erogaveris, nihil tale efficies « quale is qui vel unam animam convertit. » Demum s. Gregorius [5] hoc effatum proferre non dubitat: « Nul- « lum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, qua- « le est zelus animarum. » Quapropter statuunt s. Thomas [6], aliique doctores (Durandus [7] scilicet, s. An-

1 In cap. I. Genes. homil. IV. §. 4.
2 I. Tim. II. 4.
3 Ierem. XV. 19.
4 In I. epist. ad Corinth. homil. III. §. 5.
5 In Ezechiel. lib. I. homil. XII. §. 30.
6 2. 2. q. 188. art. 6.
7 In III. dist. 35. quaest. 2. n. 8.

toninus [1], Silvester [2], Tabiensis [3], Caietanus et alii Thomistae) eam Religionem esse perfectiorem, quae ratione Instituti sui animarum saluti procurandae addicta est, eamque procurat ac promovet docendo, concionando, aliaque spiritualia munia exercendo. Nec iniuria sane. Ista enim Religio vitam perfectionis omnis archetypum aemulatur ac refert, quam Christus Salvator noster, quam beati Apostoli transegerunt; ista complectitur, quidquid in vita contemplativa atque actuosa praestantissimum est, ista amorem Dei cum proximorum caritate consociat; ista fructum, quem ex spirituali lectione percipit ac contemplatione, non sibi uni reservat, sed gaudet cum aliis communicare; ista denique vult quidem virtutibus enitere, divinique amoris flamma aestuare, sed proprio non contenta bono lucem ardoresque suos aliis etiam impertire contendit. Ideoque dixit Innocentius III, cap. *Licet* de Regular.: « Sicut maius bonum minori bono praeponitur; « ita communis utilitas speciali utilitati praefertur. Et « in hoc casu recte praeponitur doctrina silentio, sol- « licitudo contemplationi, et labor quieti. » Quae gravissima verba s. Antoninus [4], Religionibus optime convenire affirmat.

1 Part. III. tit. XVI. cap. 1. §. 2.
2 Summ. verb. *Religio I.* quaest. 4.
3 Summ. verb. *Religio* quaest. 5.
4 Loc. nuper cit.

Atque haec vera est ac germana forma, ad quam Institutum Societatis nostrae conflctum est, quemadmodum et Instituta sanctorum Dominici, Francisci, aliorumque certorum Ordinum conficta esse non negamus. Quod si Religiones inter, quae ad hunc praecelsissimum finem evadere laborant, illa perfectior dici debet, quae plura obit perfectioraque ministeria; quae possidet praesidia adiumentaque ad hunc finem assequendum magis apta et accommoda; quae graviora pericula durioresque labores perfert pro salute fratrum suorum obtinenda; quae omnia a se repellit perfectionis sanctitatisque impedimenta; quo in numero habendum, graduque collocandum sit Institutum Societatis nostrae, dicant, me tacente, illi, qui praedicto modulo, regulisque, quas Sancti nobis reliquerunt, utentes ad illud expendendum accedent. Neque enim mihi hoc pensum imposui, sed tantummodo ut Instituti Societatis redderem rationem, iisque responderem, qui illud vera aut simulata inscitia impugnarunt, contrariaque eorum argumenta diluerem. Quod quidem praestiti benignissima illius ope, qui intelligentiae omnis est fons, bonorumque omnium caput. Quamobrem quidquid in hisce chartis recte dictum vel cogitatum inveneris, soli Deo; quidquid perperam, soli auctori tribuendum est. Qui proinde totum id, quod in praesenti opusculo continetur, subiectum esse vult iudicio primum sanctissimae Matris nostrae, Ecclesiae scilicet Apostolicae, Catholicae, Romanae;

deinde personae cuiuslibet, cuius melior est sententia, saniusque consilium.

Praeter ea, quibus respondi, alia scio obiecta esse Instituto Societatis, quibus respondere non laboravi; tum quia mens fuit tantummodo communiores gravioresque refellere criminationes; tum quia si rationes, quas attuli, bene percipiantur, valebunt aeque et contra ea, quibus satisfacere curavimus, et contra ea, quibus negleximus. Nam quod aliqui dicunt, iactantque in vulgus, nos homines esse qui honores appetunt, qui potentium gratiam student captare, qui gubernantium animos in suam sententiam pertrahere, et sic publicae rei summae praeesse conantur, qui demum alia his similia moliri quotidie cogitant; his, qui haec nobis obiiciunt, duplici modo possum respondere; primum, quod si haec crimina revera admitterentur, ea non iam ex Instituto, sed plane contra Institutum admitterentur; iique, qui talia perpetrarent, prorsus immemores essent Instituti contraria omnino praecipientis. Respondeo deinde, haec pientissimi Dei beneficio longissime a veritate abesse: omnia conficta, falsa, foedaque invidia excogitata esse, manifesto constare. Nec sane probationes deessent, si eas vellem producere, ad tam turpia confutanda. Verum, ne a proposito evager, ab his producendis abstinebo. Haud tamen nego, aliquem exsistere potuisse ex nostris, qui regularum religiosaeque modestiae oblitus ita se gesserit, ut ansam praebuerit, quare sibi,

et, ut fieri solet, sociis omnibus haec crimina affingerentur. Sed quam iniuste id fiat, nihil est, cur dicamus. Esto, quod aliquis peccaverit; hic ad summum in culpa erit, non vero tota Religio. Iam vero nos non socios singulos, sed universam Societatem, eiusque Institutum defendendum suscepimus. Quamquam malevolorum admurmurationes, quemadmodum nos ab urgendo proposito, nostrisque muneribus implendis retardare non debent, sic certe debent quam maxime cautos ac vigilantes efficere: ut nullam ne levem quidem obtrectandi nobis occasionem suppeditemus.

Ceterum supremi Domini bonitate confisus spero, Reverendi Patres et Fratres in eodem Domino carissimi, hunc laborem meum, quem, ut initio monui, pro vobis potissimum suscepi, nec ingratum nec inutilem vobis futurum esse. Illud etiam spero, vos memoriam mei in orationibus vestris facturos, desideriumque repensuros, quo teneor, ut omnes nos probe intelligamus, plurimi aestimemus, unice diligamus Institutum nostrum. Utinam supplicationes vestrae a clementissimo Deo hoc mihi impetrent, ut beati Parentis nostri Ignatii germanus filius atque imitator aliquando tandem evadam; et quod vitae reliquum est, quod certe parum est, fidelius, quam hactenus feci, in Dei servitute impendam, sancteque hanc longam peregrinationem meam conficiam. Hoc est, quod ego etiam atque etiam a vobis infimis precibus postulo,

Patres Fratresque, per amorem eiusdem Domini nostri: qui pro immensa illa, qua aestuat, caritate nos omnes omnipotenti sua dextera defendat, atque hanc minimam Societatem tueatur, quam ipse per beatum famulum suum Ignatium plantavit, perque generosos Ignatii filios irrigavit, lateque propagavit, nec unquam e caelo benignissimo intuitu cessat aspicere, et largissima charismatum copia ditare atque augere; quemadmodum tot tamque insignia divinae providentiae ac patrocinii testimonia erga nos quotidie edita aperte declarant.

FINIS.

INDEX

Patribus Fratribusque in Christo carissimis Societatis Iesu perpetuam in eodem Iesu salutem . . . . . pag. 3
Quae sedulo advertenda sunt ante operis tractationem . . . . . » 17
CAPUT I. *De nomine Societatis Iesu.* . . . . » 39
CAPUT II. *Cur Societas proprium vestimenti genus non assumpserit, et illud admiserit, quo Clerici vulgo utuntur.* . . . . . » 50
CAPUT III. *Cur Societatis Constitutiones a ieiuniis certisque corporis afflictationibus imperandis abstineant.* . . . . . » 62
CAPUT IV. *Cur Societas chorum non habeat.* » 86
CAPUT V. *Quare Societas a sacris pompis abstineat* . . . . . » 102

Caput VI. *Cur Societas ob sua ministeria stipendium renuat.* . . . . . pag. 106
Caput VII. *Cur Societas admittere nolit eos, qui alterius Religionis habitum exuerint.* . . » 117
Caput VIII. *Cur Societatis tirocinium ad biennium protrahatur, cum annuum sit aliarum Religionum tirocinium.* . . . . . » 129
Caput IX. *Cur scholastici, absoluto studiorum cursu, annuae probationi iterum subiiciantur* . . . . . » 140
Caput X. *Cur differatur in Societate professio.* » 143
Caput XI. *Cur professio, quantumvis in longum protracta, certo tempore non definiatur.* . » 159
Caput XII. *Cur nostri ante professionem vota simplicia concipiunt* . . . . . » 168
Caput XIII. *Ex eo quod in votis simplicibus obligatio mutua non contrahatur Societatem inter et voventes, nulla inde iustitiae laesio deduci potest.* . . . . . » 175
Caput XIV. *Eiusdem argumenti tractatio sequitur, et causae afferuntur, quamobrem aliqui e Societate dimittantur* . . . . . » 189
Caput XV. *Quod Societatis alumni, qui post biennium probationis simplicia vota concipiunt, vere ac proprie sunt Religiosi* . . . . » 197

Caput XVI. *Sequitur eiusdem argumenti tractatio: primo argumento respondetur: s. Thomae sententia perpenditur.* . . . . pag. 217

Caput XVII. *Ad cetera argumenta respondetur* . . . . . » 223

Caput XVIII. *Explicatur, quomodo socii, licet per vota simplicia vere Religiosi, possint et in Societate degentes dominio rerum gaudere, et ab ea dimissi matrimonium inire* . . . » 235

Caput XIX. *Quid desit votis simplicibus Societatis ut solemnia evadant* . . . . . » 254

Caput XX. *De quarto voto solemni, quo spondent professi, se obedienter facturos Summi Pontificis mandata de missionibus* . . . » 261

Caput XXI. *De voto, quo professi Societatis promittunt se nec ambituros nec accepturos honores publicos, nisi ad id cogantur ab iis, qui cogere eos possunt, interminata peccati poenâ, ni pareant.* . . . . . » 277

Caput XXII. *De voto, quod faciunt professi, audiendi Praepositum Generalem, aut alium quemlibet e Societate ab eodem Generali assignatum, si fiat, ut cogantur dignitatem aliquam extra Societatem accipere* . . . » 300

Caput XXIII. *De voto ea non immutandi, quae ad paupertatem pertinent* . . . . pag. 305
Caput XXIV. *Cur Societas Domos professorum numeret paucas, multa vero Collegia* . . » 314
Caput XXV. *De caeca obedientia, quam Societas docet ac exigit.* . . . . . » 323
Caput XXVI. *Auctoritate Sanctorum probatur id, quod docet Societas.* . . . . . » 337
Caput XXVII. *Exemplis et rationibus eadem doctrina confirmatur* . . . . . » 363
Caput XXVIII. *Contraria argumenta solvuntur* . . . . . » 371
Caput XXIX. *Cur Superiores in Societate creentur nutu Praepositi Generalis.* . . . » 379
Caput XXX. *Obiecta solvuntur.* . . . . » 396
Caput XXXI. *Cur Praepositus Generalis, quamdiu vita manet, magistratu non abeat* . . » 403
Caput XXXII. *De conscientia Superioribus detegenda.* . . . . . » 412
Caput XXXIII. *De confessione peccatorum Superiori facienda* . . . . . » 424
Caput XXXIV. *De manifestandis Superiori aliorum defectibus, admonitione fraterna non ante adhibita.* . . . . . » 442
Caput XXXV. *De casibus reservatis..* . . » 476

7

Caput XXXVI. *Cur nostri in foris concionentur* . . . . . pag. 485
Caput XXXVII. *Sacratarum virginum cura spiritualis a nostris suscipienda non est* . . » 493
Caput XXXVIII. *De recreatione, quae in Societate agi solet* . . . . . » 498
Caput XXXIX. *Cur Societas pueros grammaticam edoceat.* . . . . . » 510
Caput XL. *Num Societas velit esse doctrinae regula, quam sui sequantur, et a qua discedere non audeant.* . . . . . » 520
Conclusio Operis. . . . . . » 527

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus De Villanova Castellacci Arch. Petrae, Vicesgerens.

060.15
R 352
24310
RIBADENEIRAE, PETRI, S. J.
AUTHOR
De Ratione Instituti
TITLE
Societatis Jesu

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Library	
	Mary	
	O'Connor	
	Reserve - Constd S. J.	
	O'Brien	
	STORAGE -	

24310